BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
9
4 B
11

Joannis Bis-
selii, S.J.
MEDULLÆ
HISTORICÆ
Rerum
Ætatis nostræ
SEPTEN-
NIUM.
II



JOANNIS BISSELII,
è Societate JESU,
ÆTATIS NOSTRÆ GESTORUM EMINENTIUM
MEDULLA HISTORICA.

SEPTENNIUM II.
Ab Anno M.DC.VIII. usque ad Annum M.DC.XIV. inclusivè.

Permissu Superiorum.

AMBERGÆ,
Apud JOANNEM BURGER.

Anno M. DC. LXXV.

SOCIETATIS JESU
Sanctissime Conditor,
IGNATI LOYOLA!

VIDERI nonnullis possit Liber hic, nihil admodum ad TE pertinere; quippe, qui nec inter *Divos* nunc, nec olim inter *mortales* adhuc, agens, aliud quidquam, præter *solam*, eámque MAJOREM, in omnibus DEI GLORIAM respicere gauderes. In hoc autem Opere meo compluria sunt, *Humanæ* duntaxat, ac *Terrenæ Sapientiæ*, gloriosa; cum plausu, sanè vanô. quædam autem, ex ipsis etiam probris, sibi claritudinis aliquid aucupantia: qualia subinde sunt hominum, *lætantium*, *quoties malè fecerint; & in rebus pessimis exultantium.* Horum fulgor est, è vitreis fractis; tumor, è bullis aquaticis; &, è pertuso tympano, sonitus, cum puncto fugitivus.

Quanquam autem hæc ità *sint*, ut veriùs *non-sint*; nec DIVINÆ GLORIÆ pro-

pagandæ famulantia ; rem tamen universam penitiùs introspicienti, non poterit videri, vel DEUS horum temporum annis adeò Virtutes invidisse ; vel ipsorum præmia meritorum sese Virtutibus negavisse : quin illustres aliquot Indígetum Animæ, tam in *Seipsis*, quàm in *Suis*, triumphum agerent.

Ità Sæculi nostratis *Initia* viderunt, ac suspexerunt, Cœlestium insertum honoribus, *Raymundum Pennafortium*. Ità, pòst aliquantò, consummatâ *Sanctorum* auctoritate radiantes, *Carolum Borromæum*, *&* *Franciscam Romanam*.

Sed nescio, quo Cœli favore fiat, IGNATI, pater amabilis : ut *Septenniorum*, quæ stylô meô deducuntur, omnia quidem stadia Tuorum habeant ornamentorum partem aliquam ; ad usque *tertii quartíque* confinia : sed hebdomas tamen Annorum *Secunda*, magìs aliquantò domesticè TUA, vel *in teipso*, vel *in Tuis*, sit.

Cùm enim *Annus* sæculi præsentis *Quintus*, de Pauli Quinti Pontificis voluntate, principium fecerit, in Miracula Virtutésque Tuas, viîs legitimîs inquirendi ; *Septennio* verò *Tertio* finito cohærens, TE *Sanctis* adscriptum declarârit ; *Annus* tamen hujus ipsius

sæculi

sæculi *Nonus*, hoc eſt, Septennii Secundi ſecundus, décoris quiddam, inter Quintum & Viceſimum-ſecundum medii, Tuis honoribus interſperſit.

Hic enim Annus, hic ipſe, quem nominavi, *Nonus*, Te famoſæ cuidam, ſed univerſis ſubeundæ, mortalitatis-Cenſuræ ſubduxit, & exemit. Hic effecit; ut, quod *ante* ſuum *obitum, ac ſuprema funeris*, nemini, nec in propatulo, nec in angulo, conceſſum eſt; Tu publicô Regis-Sacrorum oraculô pronuntiarêre, BEATUS. Id, quod ſuô geſtorum annalium locô, librôque, pleniùs exponetur in progreſſu.

Sed, quid prodeſt (ut humanô quiddam more diſſeram,) quid magnum adeò confert, ſua Patri *felicitas*; ſi filiorum circa ſe *miſeriâ* miſer ipſe ſibi videatur? Procùl enim eſſet ab hoc tali, Simonis illud Oníadæ; procùl & Aaronis, apud Sirácidem, decus: quorum *in circuitu Corona fratrum*; & *quaſi rami palmæ*, ſic *omnes* etiam illorum *filii*, ſuâ quadam *in gloria* ſtabant. Gaudium hoc ne deeſſe Tibi poſſet, IGNATI, magne Pater: hîs ipſis, ecce, quibus *Septennium* hoc *Secundum* ovat, Annîs, ſparſim ſacrâ de prole Tuâ, circùm Te, Capita ſeſe conſpicienda præbent, viro-

rum heroum; sicubi nondum cum *Radio*, certè tamen haud extra radii fortasse promeritum, & ejusdem, quam adisti Tu, felicitatis capacia. Præstò sanè Tibi sunt, Anno Sæculi labentis NONO, Societatis purpurata pro CHRISTO funera, pretiosi *spiritus, & animæ justorum*, Franciscus Pintus, inter Brasilos Ibiapánæ neci datus. *Eodem annô*, Britannicum ad Tiburnum, cognatus Henrico, Thomas Garnetus. *Undecimô*, Raphaël Ferrerus; inter Cosánes Americanos. *Duodecimô*, Martinus Aranda; cum generoso comitum pari, vitam ponens Elicúræ, Chilensium intrà vallem, & colonias.

Ità vides, Pater, omnî veneratione prosequende, quod initiò subindicavi; Non usqueadeò *Secundum* hoc lucubrationum mearum *Septennium*, à DIVINÆ, quam in omnibus ubique spiras, GLORIÆ disseminatione recedere: quin hæc, & in filiis, militibúsque *Tuis*, sese prodat: & in *Te*, patrem Imperatorémque legionum Tuarum, redundet. quo proinde nomine, meritôque, sub idem tempus, eum, quem attigi, BEATI titulum publicitus, ac palàm, adiisti: DEO Tibi, Gloriam Numinis ubique quærenti, gloriam *homini* refundente, qua *Beatis* adnumerarêre.

Quid

Quid est autem, & quantum est, *Beatum* ex vero *dici*? *beatum* in superis *esse*? Nempe, *Statu frui*, (si magnum *Aquinatem*, si Philosophiæ, Theologiæ, Curiæque trismegistum, *Boëtium*, audimus) *bonorum omnium aggregatione consummatô*. Quid tali *felicitate* celsius? ut, sine qua, nec *Sanctum* esse cujquam cœlestium, *antonomasticâ* Sanctitudine, contingat. O, *nomenclaturam*; cedrô, miniôque dignam, & aurô! BEATUS IGNATIUS! etsi sic *semper*, nec unquam *altiùs grandiúsq;*, *Divus* hic compellaretur.

Quocirca sanè, LOYOLA generosissime, prædicet TE MUNDUS, ore MUNDI (quod DEUS non æstimat); ut *Heroëm*, *ortu natalium connexum Grandibus Hispaniæ*. Proclament TE, sensu SPIRITûs excelsiore præditi; JACOBUS LAINIUS, *Patrem*, *magistrum*, *ac Ducem*, *Societatis*: JOANNES TEXEDIUS, Observantiæ Franciscanæ miles inclytus, *Templum-Pacis*; *aspectu sui solo turbida quælibet tranquillans*. TE nominet, *Urbium-Dominæ vivas ac pretiosas Reliquias*, LUDOVICUS MONTOYUS, Augustinianus Lusitanus. *Communem bonorum omnium Parentem*, religiosissimus BARNABITARUM ordo. *Virtutum*, *ac Prudentiæ* Speculum, LUDOVI-

cus GRANATENSIS; è familia Divi Dominici, probitatis, ipſe quoque, facundiæque Sacræ, ſpeculum. *Benedictam Animam, &c*, dum viveret, *tutiſſimum ſuis, in omni difficultate, Portum*, OTHO, CARDINALIS Truchſeſsius. *Eccleſiæ lumen*, aut *lampadem*, GABRIEL, Cardinalis PALLÆOTTUS. *DEO* denique *plenum* TE, *datúmq;* *mortalibus, ad emendandas Eccleſiæ labes*, PAULUS TERTIUS, è ſtirpe Farneſiana ſupremus Pontifex; Ordinis Tui primus approbator, & in aciem productor.

Omnia vera ſunt hæc; & plura circùm TE laudabilia, ſanctiſſime Pater IGNATI. Sed *Omnia* profectò dixit hæc, & hîs adhuc plura; qui TE, Dei vice linguâq; fungens, BEATUM, anno *nonô* pronuntiavit, *Paulus Quintus*, Petri ſucceſsor. Quisquis ritu ſollemni SANCTUS eſt; is *Omnibus* eſt. Qui BEATUS; *hujus*, Apoſtolô teſte, *ſunt Omnia*. ditiſſimus eſt: *Unus* quippe *cum* DEO, (Boni totius Oceanô) *Spiritus*. BEATUS *es*: & (Davidis etiam aſsenſu) *bene tibi* ſemper *erit*. Utinam autem (ſcribo trepidus, meîsque promeritis ex ſolido diffidens,) utinam, inquam, & *mihi*, Tecum! ut, quod *Duci* meo *Coronarium* eſt, mihi, *militi*

liti ducis, fiat ſaltem *donativum*. Hoc *bravii* votum eſto, maneátque, Servorum tuorum, ac Societatis Tuæ, minimo;

præſentis Septennii Scriptori.

Ambergæ Palatinorum,
anno 1675. feſto Divi
Franciſci Paulani, Mi-
nimorum patriarchæ.

APPRO-

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

JOANNIS BISSELII, è Societate JESU, *Ætatis nostræ Gestorum Eminentium* MEDULLÆ HISTORICÆ, *per aliquot Septennia digestæ*, SEPTENNIUM SECUNDUM, *à deputatis Patribus censum, probatúmq;, Ego* JOANNES EVANGELISTA THANNER, *Societatis* JESU *per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, pro potestate, à Patre Nostro* JOANNE PAULO OLIVA, *Universæ Societatis* JESU *Præposito Generali, acceptâ, in lucem & typum dari permitto. Fidem facio chirographo, & officii mei consueto sigillo. Ambergæ 26. Januarii 1675.*

JOANNES EVANGELISTA
THANNER.

SEPTEN-

SEPTENNIO II.

MEMORABILIORA continentur.

Pauli V. Pontificatus venerabilis.
Legatio *Sianea.*
Coquus *Batavicus.*
Amantes *deteſtabiles.*
Scaliger.
Mauri *expulſi.*
Henricus IV. *Galliarum Rex, occiſus.*
Antiſtita *Trebnicenſis.*
Swiſkius *Moſcus, captivus.*
Schachabas, *Perſarum Rex.*
Rudolphus *Cæſar, mortuus.*
Nagius *interfectus.*
Ruſkyus, *ſuimet interfector.*
Salinator *infelix.*
Tutores *pudicarum, occiſi.*
Tempeſtas *Genuenſis.*
Proceſſio *triumphalis.*
Bathor *tyrannus, occiſus.*
Captivi, *capientes.*
Sanguis *indelebilis.*
Novus *hæreſiarcha.*
Turbæ *Gallicanæ.*

Turbæ

Turbæ *Francofordianæ.*
Turbæ *Aquisgranenses.*
Montisferratum, *caussa belli.*
Cosacci, *Turcæ flagellum.*
Latrones *Bohemici.*
Dux *Neoburgicus.*
Stuartæ *Reginæ epitaphium.*

ANNUS

ANNUS M. DC. VIII.

Anni M. DC. VIII.
Gestorum
SYNOPSIS.

I. ANNUS, post millesimum sexcentesimum *Octavus*, aëris (ut inferiùs exponam) in utramq; partem immodicus; in *elementis* visus est, eventuum etiam humanorum alternantium, quandam præ se ferre picturam: lætis lugubria, flebilibúsque jucunda, variando.

II. Magnum hôc, & his, qui præeunt, ac sequuntur, annîs PAULI QUINTI Pontificis nomen & culmen, orthodoxo toti Mundo, fuit. Erat hic (ut & Anni Quinti synopsis meminisse cœpit, at strictiùs,) antequam in *Petri* sede Clementi succederet, *Camillus* dictus; cognomentô gentis, *Burghesius*; patriâ Romanus: *Antonii Burghesii* Senensis, *Advocatorum*, in synedrio Romano florentium, *decani* præsignis, è *Flaminia*, stirpis *Astaliæ* matronâ,

tronâ, filius. Is, tituli Divi Chrysogoni *Cardinalis*, Anni, quem dixi, Quinti decimô sextô Maji promulgatus Pontifex; suetam Summis Pontificibus *Coronam*, ipso *Pentecostês* sollemni die, suscepit. Indè, convenienter illi, quem utique copiosum acceperat, SPIRITUI *cœlesti*, per *terras*, quousq; posset, omnes, suæ cœpit administrationis utilitatem, decúsque, diffundere: mereri jam tum orsus, eam, quam his inserimus, *Effigiem*; ac majestatem oris explicare, dignam, cuj sculptor illius temporis subscripserit: *Vultu portendebat Imperium.* quod incisoris omen, & populi voces adprobabant: & gestorum sequentium dignitas implevit. Præter ea verò, quæ *primô* statim suæ gubernationis ingressu, solerter ac piè cogitare *Paulus*, super IGNATII *Loyolæ* supremis honoribus, cœpit; ac, parte quadam luculentâ, paucîs pòst annîs expedire: præter illa quoque, quæ sparsim alibi, cœlo gloriosa, gessit, & decrevit; hujus etiam anni princeps pæne curarum *Paulo* fuit; FRANCISCAM, patriâ *Romanam*, nobilitate paternæ stirpis *Bussæam*, matrimonii claritudine *Pontianam*; vitæ meritis inclytam, ac suprà naturæ vires mirandorum effectricem; inter *Vidua-*

Ad Pag. 12.
PAULUS V.
Pontifex Maximus.

duarum cœleſtium cœtus receptam, declarare: poſt annos, ab ejus obitu, *ſeſquicentum* circiter, & *duodeviginti.*

III. Refundere verò quodammodo, *cœleſtibus* impenſam reverentiam, voluiſse Pontifici *Deus-cœli* videri potuit: quando, providâ rerum negotiorúmque diſpoſitione, ſub idipſum tempus, diverſis è mundi regionibus, clariſſimorum capitum mortales aliquot, ad ſacrorum oſcula pedum, in urbem miſit. Ex *Africa* namque, trans Marocchium & montes Atlanticos, *Nigritarum* è regione, quæ lateri Libyês interioris ad Occaſum adnectitur, *Antonius* venit *Emmanuel*, Faneſtæ (1) *Marchio*; Romanæ cathedræ debitam, religionis in rebus, fidem & obedientiam juraturus. quod & præſtitit. (2) E Gallia quoq;, ſplendidô cum equitatu per Italiam ductâ legationis pompâ, regulus ac Dux Nivernenſis, *Gonzaga*, Romam eſt ingreſsus: primúmq; publicâ ſubmiſſione *Christi Vicarium* veneratus; poſtea, remotîs arbitrîs, arcana quædam cum eo negotia, quæ Rex Borbonius ei cum cura pertractanda mandârat, contulit: collatíſq;, *ſub roſa* (nemo quippe ſecreta tunc exterus introſpexit) relictîs; ipſe, cum caducéi ſui Lilio, Gallias repetivit. (3)

B IV. Am-

Anni Acta.

IV. Amplificavit autem, ſub hoc ipſum tempus, non minùs humanitatis ſuæ, quàm majeſtatis famam, *urbs* éadem, *gentium* non magìs olim *Domina*, quàm poſtea *pia mater*; *Hiberniæ catholicæ* receptus, & aſylum hoſpitale, facta: *Comite* gentis illius longè nobiliſſimo, *Tirœnio*, cum omni familia ſuâ religionis retinendæ cauſsâ profugô, liberaliter, & obviis bonorum ulnîs, exceptô: diúque, Pontificiîs etiam impendiîs, ſuam illic dignitatem tam luculenter obtinente, nihil ut is magnopere, veteris ad fortunæ recordationem, ſuſpiraret. Cùm inter hæc tamen, haud perindo *Batavicô* ſibi diverſoriô gratularetur, ejuſdem anni legatione functus, *Sianii* regis Orator; omnia ſpe ſuâ jejuniora ſibi viſus ibi reperiſse. Cujus, ſuper infelicitate ſuâ querelam, inferiùs nos aliquantò ſonantiùs exprimemus; *Hollandorum* tamen gloriæ nequaquam erubeſcendam: utpote, cujus gentis etiam *lixa* quandoque, famularéſque culinarum operæ, dominorum ſuorum Martiale robur, & acutam in tempore ſolertiam, expromant; utì pleniùs, ante finem iſtius anni, demonſtrabitur.

V. Quantùm interim honoribus, à gentibus exteri Solis in ſe congeſtîs, Roma, Bataviá-

taviáque gaudebant; tantùm patrii soli festis spectaculis *Hispania* gestiebat, Philippo IV. Victore-Dominico, Philippi tertii filio, tunc trienni, palàm Madriti, sollemnes inter plausus, coronatô. (4) Gerebantur hæc ibi; dum, sub idem tempus, in Hetruria Florentiæ, *Cosmi*, magni Tusciæ Ducis, cum heroide *Magdalena* (cuj pater, Carolus Archidux Austriæ, frater verò, Ferdinandus erat, pòstea Cæsar), sacra nuptialia tractantur. (5) Interim autem, veluti dotis auctarium, & parapherna nova, sponsæ virgini quærente Fortunâ Medicææ domûs, Florentina classis, in littora Libyci maris exscendens; *Hippónem-Regium*, (illius partis Africæ, quam hodie *Barbariam* vocant, urbem) invadit: direptúmque, post magnas indè devectas opes, injectis ad extremum facibus, Vulcano consecrat; non multò pejori *deo*, quàm malus *propheta* Mahometes fuit: cujus hucúsque legi cultuíque servierat. Auctores audacis facti, ducésque, *Sylvius Piccolomineus*, & *Beauregardius*, memorantur; operam quoque, propemodúmq; potissimam, ad id conferente *Patre* quodam *Cœlestinô*: quem *Janum de Bosco* scriptor annalium, etiam allophylus, appellat.

VI. In *Germanicis* Imperii terris, turbante licèt Transsylvaniam *Gabriele Báthore*, nequam homine, cùm eandem tamen pacatam utcunq; Ragozius nuper reliquisset: concordiâ duos inter Augustales fratres, *Rudolphum* Imperatorem, & *Matthiam* Archiducem, paullò pòst imperaturum, instauratâ; *Praga* Bohemica, quam Muldavia fluvius (6), & *Vienna*, quam Danubius prælabitur, exultant. Hi, fratrum utrique reductam pacem lætitiâ communî gratulantes, animorum conjunctionem, armáq; pactô mutuô posita, trahunt in omen *capitum duorum*, uno brevì pòst annô, sub *unam* Imperii coronam coiturorum. Hæc hucusque *læta*. Sequuntur autem hujus ejusdem anni *tristia* quædam, luctúque prosequenda.

VII. Nam in *Austrasia*, Carolus III. Lotharingiæ Dux, Henrico II. generis, & potentiæ post se relicto successore, vivîs excedit. (7) In Gallia cæterâ, Dux Montpenserius, Henricus Borbonius, regii sanguinis & orthodoxæ professionis heros, funus suum adjungit innumeris Gallorum aliis, iísque non merè plebejis, funeribus. (8) Accidebant hæc, insuetô compluribus retrorsum annis *Libitina*

bitinæ censu : neque tamen obscurâ pereundi causâ ; nec per origines diversas sparsâ : quoniam *communi* plerisque mortalium, & *unâ.* Sub veris enim exortum, *Ligeris* amnis, cum hieme pariter, & nivibus, undique diffluentibus, è locis editioribus ; Rhutenorum maximè montium valles & claustra perrumpens, latè loca plana , tanquam Oceano quodam, eôq; truculentô, corripuit, ac traxit : cum infinitâ strage rupium, Alpium, sylvarum, hortorum, vinearum, ac segetum campestrium : cum labe ruinâq; pagorum, oppidorum, urbium, castellanarum munitionum & arcium ; necnon avectione violentâ gregum, jumentorum, domuum vulgi, palatiorum nobilitatis, & prædiorum : mortalium denique, non plebeji tantùm, sed primi quoque gradûs & ordinis, quàm plurimorum. Qui cuncti, mortis *necessitatem* , quam sub idem tempus duo, sese nequiter *amantes*, libidinis suæ fecerant, *inviti* subierunt. (9)

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Alit:* Funestæ. (2) *Appamianus* , *in Annali anni 1608. num. 1.* (3) *Continuator Sl.*

Anni Acta.

hôc anno. (4) Appamianus *in Annali, num. 9.* (5) *Continuator Sl. tomô 8. libri 31. fine, nondum de nuptiis ipsis, ut alii, hôc anno, sed de solo nuptiarum apparatu, loquitur. Ego verbum posui, locutionisq; formam, qua ad utrumq; trahi possit.* (6) *Fluvium, qui* Pragam Bohemicam (*est enim &* Lusitaniæ *sua* Praga) *præterfluit, immò & secat, J. Hondius in Atlantis sui tabula* Moldam, *in explicatione verò tabulæ* Muldaviam, *appellat: ut & alicubi Carol. Steph. in Lexico historico. In Metro ego priorem nuncupationem posteriori præponam.* (7) *Id Majo mense accidisse, Mercurius tradit Gallobelgicus, ad finem libri 31.* (8) *Magnô namque numerô, nobiles etiam, ubiubi suis in ædibus, arcibus, & suburbanis æstivis, ac villis, ab aquarum impetu deprehensi, abrepti, mersi; vel tectorum rupiúmve ruinîs oppressi, perierunt.* (9) *Id inferiùs, quale sit, aperietur, in Mussardi concubinæq; desperata morte.*

METRUM.

OCtavô *pia Roma suam cœlestibus* annô
FRANCISCAM titulis, per Stata sacra, colit.
Neu tanti Paulus pretiô fraudetur honoris,
Hujc dignam reddunt sidera grata vicem.

Numi-

Septennium II. Annus 1608.

Numinis en! stimulis, à tostis Sole Nigritis, (1)
Æmula quos Nili (2) *traluit unda vadis,*
Sacra pedum Emmanuel summissus ad oscula, Paulo
Omne suæ Libyês dedicat obsequium.
Axe alio, sublimis equîs Gonzaga Nivernis, (3)
Celtica per Latiam lilia vectat humum.
Caussa viæ est, legata sacræ veneratio Sedis;
Et, Galli adstratum nomine regis, Ave.
Quanta sed, è prono Franci diademate, Thybris
In mare gratanti gaudia vexit aquâ;
Tanta, coronatâ trimi (4) *de fronte Philippi* (5),
Lætitiæ Hesperius flumina Bætis agit.
Ast Arni (6), *geminô non parciùs ebria plausu,*
Explicat herbosos florida ripa toros;
Austria dum Tusco nuptura est Magdala Cosmo,
Et vastat Libycos classis Hetrusca sinus:
Punicáque, immensis spoliaria farta rapinis,
Jam spolium fiunt; Regius-Hippo, (7) *cinis.*
Quid, revirescentes fraterno à fœdere, ripas
Istrique, & Moldæ, ac bella repressa, canam?
Praga suum cecinit placido Pæana Rodulpho;
Matthiæq; suum læta Vienna melos.
In nova Pacis, io! coierunt oscula fratres,
Quósq; uterus quondam, nunc quoque jungit amor.
Sic opus Austriacam fuerat revalescere Palmam:
STIRPIS, in accensis mentibus, aret honor.
Sic decuit, scissas iterum coalescere Lauros:
Dissutas nequeunt serta ligare comas.
Quid, quòd &, unanimi socient nisi vertice frontes,
Injicient fatis frater uterque moram?
Cæsar hic, est: ille alter, erit. nisi sensa jugentur,
Una teget geminum quando Corona caput?

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Populi illi, quamvis alioquin etiam reipsa à solari æstu vehementissimo, sint aterrimi coloris, & (ut in adagiis est)* pice nigriores, & scarabæô; *sic tamen etiam dicuntur à flumine, quod accolunt,* Nigir *dictô; & Jovio,* Gambra. *Carolus Stephanus.* (2) Nilus, *Ægypti fluvius, ut notissimum est, quotannis alveum ripásq; suas egredi solitus; dum vadosus est, terram omnem operit, opimat, & quasi stercoratione fœcundat. Idem ipsum autem &* Nigir *in interiore Libya præstat; à Junio mense, per dies XL. ut & J. Hondius tradit, in sua Guinéæ topographia.* (3) *Pro,* Nivernensibus. *Sic enim subinde substantiva capiuntur & adjectivè: planéq; & adjectiva fiunt. ut,* Non servata fides, cineri promissa Sichæo; *velut & novissimè Daniel Hejnsius, illum Virgilii 4. Æneid. versum, cum omni antiquitate, legit: pro* Sichæano, *vel* Sichææo. *Sic,* Romula *templa, pro* Romulea; *Dardana puppis, pro Dardanica, apud Propertium lib. 4. eleg. 1. med. à Dardanus, ni. & alia plura, apud alios.* (4) *Coronatum, Appamianus ait,* necdum trimulum. *num. 9. At Continuator Slejd. ait,* hat seinen dreyjährigen Sohn krönen lassen.

B 5 Anni Acta.

sen. de Philippo III. loquens. (5) *Nominis ejus,* Quarti. (6) *Fluvii Tusciæ, rapidissimi; Florentiam alluentis.* (7) *Invenias apud auctores utrumque vocis istius genus;* Hipponem, *inquam,* regium, & Hipponem regiam. (8) Lessum *lexica Quartæ, mos Secundæ, facit.*

APOCOMMA I.

Comes Tirœnius Hibernus, Romam sese recipiens: & ab ea receptus.

HUGO, *Comes Tirœnius*, orthodoxorum omnium antehac in Hibernia (quæ veteribus Ierne, vel Hierne, fuit) opibus ac clientelis potentissimus, sanæque religionis propugnator acerrimus; cùm primùm, à sæculi superioris annis postremis, palàm, ac passim, *pro Domo Dei se murum*, postea verò, novô sub sæculo sceptróque, pro viribus tantùm non & arcem, *opposuisset*: ad extremum denique, prævalere sensim omni violentiâ eo-nantibus *Averni portîs*, & custodiîs; ex insula solóque natali, cum suorum charissima numerosâque copiâ, decessit, primûm in Belgium

gium catholicum: & indè, Romam. Utrobique porrò, sed inprimis Romæ, quàm amicissimè, paternísque brachiîs, exceptus est à *Paulo V. Pontifice Maximo*, virô gentis ac nobilitatis, utì suprà dixi, Burghesianæ. cujus insigne gentilitium etsi sit, *vigil*, expassîs alîs, *draco*: sub illius tamen clementiæ munificentiæque præsidio, velut *Aquila*, non dicam, *latuit* (nam, quî potuisset, in orbis ac lucis terrarum illo publico theatro?) sed *mansit*, quoad vixit. Quem interim incassum quidam, & Iernês, & plurium insularum, protarchus, Calvini venenô tinctus, lacerare conatus est. Quin & asperô, parúmque personâ suâ dignô, Satyræ scriptô, (sed eminus) eum insectatus; styli tamen sui spicula priùs in *ventis*, quàm in Tirœnii *famâ*, fregit.

TESTIMONIUM.

De his Appamianus agit, in annos 1596. num. 14. & 1608. numero XI.

METRUM.

Ergò suum in fumos, etiam pia bella, calorem,
Vanâ acie effundunt? & pia caussa, fugit?

An

Hugo, Comes Tirœnius.

An magìs, ut Romana omnis sub Sacra redires,
Nondum erat in fatis, pauper Iërna, tuis?
Ille, tuæ nuper turris Machabæa Sionis
Unica, & afflictis altera petra Sacris,
Per freta, per terras, Latiam Tirœnius *arcem,*
Quæq; petenda aliis suasit, asyla petit:
Hospitiiq; fide, quàm sumptis, tutior, armìs,
Sub Vaticani tegmine montis agit.
Hunc procùl à tergo satyris, trux Mome, cruentis
Confodere, & calami cur meditaris acu?
Illa superba, parùm facit, hæc ad prælia-chartæ,
Purpura, & auctoris murice canna madens.
Ipse, velut sitiens, (*nec enim Pavor urget euntem*)
Ad vivi cervus *flumina roris abit.* (1)
Hunc tu tergeminô *Pauli intercludere* fonte, (2)
Non cane, non Faunìs, Styx, Satyrìsq;, potes.
Remigiô ratium hic, antennarúmq; volantûm
Cornibus, ablatus, Pegaseóq; pede,
Burghesii, super hæc, placidè exporrecta, Draconis
Brachia, securo papilione subit.
Et tu, puniceæ hunc agitas formidine pennæ,
Quem tam multa uni præripit ala Cani?

TESTIMONIUM, & NOTA.

(1) *Psalmo 41. v. 1.* (2) *Allusum simul ad tres illos viâ Ostiensi fontes, enatos, eô decollatô, cujus nomen gerebat Paulus V.*



APO-

Septennium II. Annus 1608.

APOCOMMA II.

Comes Tirœnius, frustra diu exagitatus, evadit in requiem.

ANglorum novissima regina, Boleniæ partus; in *venationibus* multùm esse solita, non *ferarum* magìs, quàm *Romanè-Catholicorum* (etsi, quínam usquam, nisi Romanè, possunt esse Catholici?): præ cæteris universis, qui quidem sacrorum Ordinum exsortes essent, in *Hugonem*, Tirœniæ Comitem, inter Hibernos religione præcipuum, incitatissimo comprehendendi studiô, compluribus annîs ferebatur. Secutus est, post excessum *venatricis*, ejus ardorem, cum ejusdem emissariis, (in quibus cumprimis suspectum quibusdam *Cacilliorum* nomen erat) quorundam mulieris illius atrocium consiliorum & conatuum hæres, summúsque *cynegetárum ordinis magister*. Qui, *Tirœnii* firmitudinem animi, Sacrorúmq;, tam acriter omnî circumegit Hiberniâ, tanquam in saltibus damam, aut monocerótem, aliquot annîs: ut hic tandem exclamare, vel tacitîs votîs, cogeretur; *Quis dabit mihi pennas Columbarum; ut volem, & requiescam?* (1) Et has

has ille, post multa, tam sua, quàm suorum, in nubes suspiria, demum invénit: sub *alarum umbrâ* divinæ *protectionis*, (2) ac fiduciæ, subvectus in *septem-montium* fidam stationem, ac tabernacula. de quibus insultare, modestâ cum gratulatione suæ securitatis, & venatrici posset, & aucupi suo, Salomonicîs illis verbis; *Frustra* jam *rete jacitur, ante conspectum oculósq; pennatorum.* (3)

TESTIMONIA.

(1) *Psal. 54. v. 7.* (2) *Psal. 15. v. 8.* (3) *Prov. 1. v. 17. De persecutione porrò Tirœnii, fusiùs agentes aliquantò, Appamianum vide, annis numerisq;, superiore citatis Apocommate: tum & Jansonium, Tomo 8. lib. 31. qui posterior tamen videtur Calvinisequis plus, quàm* Veritas *sinat, credidisse.*

METRUM.

Quem, quasi Marmaricum, Libyæ per vasta, leonem,
Per se, pérq; suos, pressit Elisa, *canes,*
Terrentem hinc, alternô illinc terrore paventem,
(Debet enim Martis mutuus esse labor)
Præcipitis nunc damæ agiles Tirœnius *artes*
Ausus, & infestas, tesqua per arcta, vias:

De-

Desilit in profugos, ab Iërnes littore, puppes;
Exteraq; haud æquô regna Aquilone petit.
Britonis *hanc, per sicca sagax, per & humida*, Pardi
Ira sequens, sterili captat odore, feram.
Sed, licèt Hibernam ostentent vestigia prædam,
Non nive, non laqueis præda, nec hæret aquis:
Comprensæq; decus, quod, ovans indagine, Cambra
Nunquam Atalanta *tulit, nec* Meleáger *habes.* (1)

TESTIMONIA.

(1) *De his duobus venantibus, & Atalantâ priore, ante Meleágrum, sauciante belluam; ideóq; recisum illius caput, præmii titulô reportante: vide mythologos; & Hermannum Torrentinum, Carol. Stephan. in vocibus* Atalanta, Meleáger: *& Ovid. Metamorphos. de Althea. lib. 8.*

APOCOMMA III.

Bathorius degener.

IN brutis animantibus exploratæ veritatis esse concesserim, Horatianum illud (1), *Fortes procreari fortibus: In juvencis, in equis, genitorum esse virtutes, & animos: nec generosis unquam ab Aquilis inertem*, meticulosiq; rostri, *colum-*

columbam produci. Sed, in hominum posteritate, *Pythium* hunc falsiloquum repertum iri, plurimæ coarguent nostri generis successiones degeneres. Ac, ne multùm à nostra, majorúmq; nostrorum, paullò supra nostram ætatem, memoriâ discedam; *Bathoriorum* modò gentis, quantum pace, quantum bellô, quàm inclytum in sacra, civilíque togâ, chlamyde, coronâ, galeróque, nomen floruit? In *Polonia*, regnabant; in *Transsylvania*, principabantur; in *Romana* curiæ purpurâ sententiam dicebant; in aliis denique rerum gubernaculis, aliter eminebant. Descivit ab eorum denique splendore virtutis, & famæ gloriâ, nepos eorum, *Gabriel*; Beliális, quàm *Archangeli*, nomine dignior. Qui, Catholicîs quidem institutis à patruo quondam educatus; ad hæresin deinde transfúgit; quæ non Arianorum modò, sed Genevensium etiam erroribus, Daciam universam inundârat. Postea verò, quàm *Sigismundus Ragozius*, quietæ vitæ studiô, Cæsareæque vindictæ fugâ, (sicut explicatum in superioribus est) principatu se Transsylvanorum abdicavit: *Bathor*, quem dixi, modestiam simùl, & prudentiam, seipsum exauctorantis Ragozii, *simplicitatem* nominans; ipse,

ipse, fide perfidiâque *duplex*, ascitis confluentibúsque partium ipsius studiosis, novatoribus, Daciarum se (regi Decébalo quondam obnoxiarum) tetrarcham fecit: ac promulgavit. Et quoniam *instabilis est omnis potentia rebellis, nullâ potentiore fulta*, contra caput abdicatum: *Bathor* hic, Rudolphi Cæsaris ejuratô sacramentô, Turcarum Imperatoris se tutelæ præsidióq;, totum, & ultrò, submisit. Qui vir futilis, quomodónam potuit *inferius*, à *Bathoriano* fastigio, descendere; præterquam, ad *Inferorum* primò *portas*, hæresin: ab hac, ad portam Otomannicam; & hinc, ad Tartari *profunda?*

TESTIMONIUM.

(1) *Odarum lib. 4. odâ 4.*

METRUM.

D*Acorum indutus, non sponte, Ragozius ostrum,*
Excutit ingrati cautus honoris onus:
Trans-sylvásque, *ratus, mentis sibi mille tumultus*
Instare; ad sylvas, *in loca sola, fugit.*
Quantùm animi distant animis? *Odia ista, fugásque*
Culminis, in vulgus se redigente Duce,

C Stulti-

Bathorius degener.

Stultitiam, cerebríque, vocat plebs devia, vulnus:
Párque sibi reperit factio calva caput.
Exuvias, spoliúmque putat, quascunque tetrarches
Exuit alter opes; & rapit arma, Bathor.
Mox sceptrum, trabeámque, capit: regni induit *umbram,*
Qui jus, pacta, fidem, Cæsaris exuerat.
Denique, Bosphorii mercatus amica tyranni
Limina; *sit* Lunæ (*noctua vera*) cliens.
Hic honor, iste gradus, scelerum est! Fit purpura, furtum;
Fur, satrapes; satrapæ tutor, & ara, latro.

APOCOMMA IV.

Legatio Sianæa.

I. SIAN, Orientis extremi regnum est, ultra Gangeticum sinum, & Menánem, ingentem fluvium: qui, priusquam in sinum Bornæum effundatur, ad urbem, quam *Regum* nominant, insulam efficit, & oram Sianæam; sub decimo quarto ferè cœli gradu, suprà lineam æquatoris, Septentrionem versùs. Ex eo regno, cùm hoc ipso, quem exsequimur, annô, Regis illius jussu nominéque, venisset ad Batavos, ac *Mauritium* inprimis *Nassovium*, sumptuosa Legatio, fœdus & amicitiam ambien-

ambientium : nequaquam exſpectationi ſuæ reſpondentia, ſibi reperire, barbara natio videbatur. Qui namque, cum *Cynea*, regis Epirotæ legatô, Batavorum terram, Italiam; Haagam-Comitum, Romam; fœderatorum Senatum, regulos totidem; Mauritium, *regum regem*, è rumoribus, longinqua narrantibus, ſibi finxiſsent : poſteaquam, in rem præſentem, & conſpectum Ordinum, ac regionis penitiorem notitiam, admiſſi, ſingula curatiùs introſpexêre : deluſos ſe, narrationum transmarinarum hyperbolâ, dolere cœperunt. Nec tacitum id tulêre : *Regem Sianæum*, memorantes, (haud ſinè profeſsâ comparationum invidiâ) potentiâ naviculatores Europæos plurimùm antecedere. *Nam eum, bellatorum, quoties res poſceret, trecenta millia ſuîs è finibus; elephantorum, millia bina; clientium quoque regum, quinos aut ſenos, ſemper educere ſolitum. ad hæc, amicitiam cum propinquo ſibi monarcha colere, Rege Chinæ* : cujus *terram ſolam, vel ducentæ, ſpatiô regionis, æquare Bataviæ*, deſperaturæ forent.

II. Damus hîc porrò perſonam, & ſermonem, homini *Batavo*: cujus proſopopœja faſtidioſo barbarorum fremitui, gentis è ſenſu,

Legatio Sianæa.

respondeat. Ea, si non dixit *unus* aliquis; dicere potuerunt *omnes*.

TESTIMONIUM.

Narrat rem ipsam Appamianus, hoc anno, n. 7.

METRUM.

D*Ives ab extremo* pacis *venit* institor *orbe,*
Inda Sianæô *quà plaga* Sole *calet*;
Regidque ad Batavos, & verba & dona, Quirites,
Ambitæ expromit pignus amicitiæ.
Verba *viris*, & dona, *placent: tamen ampliùs* ista:
Nam, cuj non labiîs *blandiùs* æra *sonant?*
Non pariter probat ille viros, humilémque senatum;
Quis cidarim, & sceptrum, &, quâ gerat arce? rogat.
Ambitiosa foris, Satrapas *mihi fama crepabat;*
Quos ego nunc video nobile vulgus (*ait*):
Mauritii *nomen latô mihi limite* Regem
Spondebat: regnum est, arctus, & udus, *ager.*
At non illa mei *spatiosa potentia* Regis,
Tam circumcisis jura dat aggeribus.
REGEM, acies numerosa facit. *pharetrata trahentem*
Millia, ter centum, Styx etiam ipsa tremat.
Circà illum, turrita fremens fera dentis eburni,
Bis millena, minis hostica castra fugat.
Sex *latus unius stipant, in bella ruentis,*
Principis, immotâ regna *ministra fide.*

Septi-

Septennium II. Annus 1608.

Septima *bellorum ſocialis dextera*, mundus
Eſt novus ; *æternô ſœdere juncta*, China.
Talia jactanti, retulit, nil territus, Indo,
Delphicus è Batavis, talia verba, ſenex.
IMPERIUM, *ô hoſpes*, magnum eſt, Respublica concors:
Plúſque valet ſeptem regibus, unus-amor.
Majeſtas eſt ampla, Status, nec morte caducus:
Ac liber populus, multa Corona ſibi eſt.
Et Rex ille quidem barris tuus imperat atris,
Hoc eſt, bis (*quod ais*) mille proboſcidibus:
Mauritius, *dat jura Viris, nil pectore brutis,*
Quique omnes naſum rhinocerotis habent.
Ingentes in campum acies rex urget Eous:
Milite dux Batavus caſtra, fretúmque, replet.
Illius ad lituos ſervum pecus omne Sianis
Commeat : huic præſtò ſunt capita ipſa Ducum.
Si magnum eſt *igitur*, magnis dare bellica jura
Agminibus ; *quantò eſt majus*, & Ordinibus?

APOCOMMA V.

Batavicus coquus.

I. HOllandorum mercenarii-coctoris (1), homine quovis, etiam ingenuô, dignum futurum facinus ; iiſdem propemodum vocibus, quibus auctor famæ primus id memo-

Batavicus coquus.

memoravit, tradere posteritati, cur erubescam? ne, verbîs expicta domesticis, exteræ narrationis simplicitas, adlevisse nudæ veritati fuci quidpiam videri queat. Ità verò gesta res est.

II. In navi bellicâ Bataviæ fœderatorum Ordinum, ad portum Dunkerkanum agente stationem; dum navarchus, negotiorum caussâ digressus in continentem, abest: classiarii, conspiratione clam inter semet initâ, virum fortem, navarchi tunc vices agentem, repentè comprehendunt: funibus constringunt: in abstrusum quoddam navis amplæ penetrale compingunt: ipsi, cum navi, paullò pòst, vel ad Hispanos, vel ulteriùs etiam, in Africam avolaturi. *Coquo*, paucísque nonnullis classiariorum, improbatum id facinus est. Sed cùm, oppressi factiosorum numerô, pares animo suo vires penès sese non reperirent; astu rem tractare constituunt. Coquus ergò; *Cùm impræsentiarum nos* (inquit) *rerum omnium dominos Fortuna fecerit: quidni genialiter nósmet, de copia penoris, alioqui frustra perituri, saginamus?*

III. Placuit omnibus liberale consilium: continuóque refractîs annonæ claustrîs, relitísque

tísque generosissimi cujusq; vini doliis omnibus, epulantur, & perpotant. Inter hæc autem, ebrietate primùm rebellibus universîs, mox verò somnô quoque, per ordinem oppressîs; cubiculô, quod stertentes occupârant, oppessulatô, *Coquus*, pronavarchum illum, quem constrictum dixi, vinculîs exsolvit: eíque consilia conjuratorum aperit. Is ergo, tanto compertô periculo, temulentorum thalamum firmiùs adhuc occludit, ac vallat: continuóq; conversîs velîs, & consiliô, navim *Amsterodámum* reducit. Ibi, cæterîs ad triremes damnatîs, duo cœptæ, (tametsi non ad optata perductæ) seditionis duces, in furcam aguntur: pereúntque, suæmet perfidiæ laqueîs intricati; postridie Calendarum Julii, merô cùm anima tandem exhalatô.

TESTIMONIUM.

(1) *Janson: annal. Mercurialium, tomo 8. lib. 31. hujus anni.* Coctor, *Petronii est; in Eumolpo. Sicut & infrà vox*, Oppessulatô. *ibid.*

METRUM.

SEu Batavam ruptura fidem, seu, littus ad algens,
Exosa imbelles classica turba moras,

C 4 *Conspi-*

Batavicus coquus.

Conspirante coit fremitu: vinctúmque catenis,
Cæca suæ Tiphyn (1) *trudit in antra ratis.*
Pars melior, sed muta metu, diffingere factum
Quod nequit, obtutu dissimulante premit.
E numero meliore, coquus (*quis crederet?*) *astu*
Vim doctô eludit, perfidiámque fide.
Fortibus iste viris, ceu tempestiva laborum
Præmia, depromi Bacchica dona jubet.
Ipse simùl verubúsque epulas, Cererémque canistris,
Expedit: hortatur: vitrea pugna calet.
Ipse, aliam ex alia densans in pocula lancem;
Hæc, ait, hæc, dominâ *digna merenda fame est.*
Nam dominos *vocat, atque* Joves, *stans ipse, sedentes:*
Se, pro Mistyllo (2), *pro Ganymede* (3), *gerit.*
Utque dapes placeant, Se, Marci *ad prisca poëtæ* (4)
Vota, coquus dominas optat habere gulas.
Plausu omnes versúmque probant, sapidámq; coquinam:
Regnum hi, res salvas archimagirus, habent.
Cum Bromio (5) *interea nox, & sopor influit almus:*
Strata jacet somnô, *strata caterva* merô.
Unum omnes, uno thalamum duce lixâ, intrârant:
Una illis concors buccina, rhonchus *erat.*
Hic Coquus, *emunctis adipato è pectore curis,*
In proprios transfert perfida facta fabros.
Carcere diffractô, insontem nexu eximit æreô;
Inq; vicem, sontûm libera *membra ligat.*
Libera *cur dixi? quæ, plusquam vincla feræq;,*
Indomiti arctârat densa catena meri.
Pæne soporatos etiamnum, ac vina vomentes,
Ambstela (6) *non blandis hospita vexit aquis.*
Nam, celerî refugis Aquilone liburnica remis,
Adstituit Batavo séque, reósque, foro.

Quam

Quam caussam dixêre Rei, nulla urna probavit:
Culpa quibus minor est, hos sibi transtra ligant:
Colla ducum, *ac primas fassorum in crimine partes,*
Elisîs laqueum faucibus accipiunt.
Stat, spectátque, Coquus: *versúmque, dapêsque, retractans;*
Heic nolim dominas (*inquit*) habere gulas.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Qui locô navarchi, tunc absentis, erat: cujus nomen non proditur.* Tiphyn *appellare, libuit, per antonomasiam; qui Jásonis olim, Argonautarum thalassarchi, vices navarchus obiit. de quo & Maro, eclogâ 4.* Alter erit tum *Tiphys*, & altera, quæ vehat Argo Delectos heroas — (2) *Martialis, libro 1. epigram. 51.* Si tibi *Mistyllus* coquus, Æmiliane, vocatur; Dicetur quare non Taratalla mihi? (3) *Jovis ministrô, ad pocula stare creditô.* (4) *Marci Valerii Martialis, (qui se, epigrammate ad Gelliam, simpliciter* Marcum *appellat* — dicis mihi, Gellia, semper; Septem formosus, *Marce*, diebus eris) *libro 14. apophoretum est 220. istud.*

Non satis est ars sola coquo, servire palato:
Namq; coquus domini debet habere gulam.

Batavicus coquus.

(5) *Inter cætera* Bacchi *(qui vini deus priscis) cognomina, fuit &* Bromius. (6) *Batavorum, seu Hollandiæ, princeps urbs,* Amsterdamum; *à diversis diversè scribitur : v. g. Amsterodamum, Amstelrodamum, &* Amstelodámum: *fortasse cumprimis omnium genuinè*; ab amne Amstela *(inquit J. Hondius in Atlante), atque* catarrhacte, *nominis hujus compositi posteriore parte : putà*, Dam. — Amnis cuj nomen, cuj cataracta, dedit; Dicta priùs Damum. — *ait Nicol. Cannius, in hujus emporii encomio.*

APOCOMMA VI.

Heteroclita
præsentis anni mensium intemperies.

I. FUit (ut experti nos sumus, & librorum monimenta prodiderunt,) *annus* sæculi nostratis *octavus*, aëris, cœlíque gravitate, partem in utramque degener, & intemperans. Ac primùm quidem, *frigore* præsertim sævus, sed ferè siccô : pòst autem, *æstu* longissimô marcidus, & siticulosus. Sub hæc, gelidâ fluviorum & imbrium effusione squalidus; in febres

febres tum demum erumpebat, poſtquam exundationum humidiſſimo frigori, viciſſim trimeſtris ſupervénit *ahenei cœli* ſiccitas. quibus è malis alternatîs, quid enaſci, niſi morborum mortiúmque potuit, cum hominum brutorúmque denſâ ſtrage, chaos, & viciſſitudo?

TESTIMONIUM.

Continuator Slejd. libri 14. princ. & inferiùs, ante med.

METRUM.

In Solem, & Annum 1608.

Quid tantùm, immodicò te, Sol juvat horne, per axes
Ire gradu, & NIMII te maculare probrô?
Non ſoli ſcripta eſt homini lex aurea, NE QUID
PLUSve, minúsve! *Etiam ſidera, norma decet.*
Cùm tamen iſte tuus, veluti malè ſobrius, Annus
Incertô titubans omnia calce trahat.
Nam ſua bifronti ſemper ſtata limina Jano,
Non, nivium ſolitô vellere tecta, ſinit;
Sed, quaſi marmoribus, brumâ glaciata trimeſtri,
Incruſtat Scythici ſpiſſa rigore vitri.
Bruma recedebat. Pæſtani tempora floris,
(Ver,) ſperabantur: cùm nova *venit* hiems.
Nec ſuetis fluxêre nives, vel ab æthere, floccis;
Sed ſurſum, è medio proſiliêre ſolô.

Fla-

Aër anni heteroclitus.

Flagranti regelata die, concreta fluenti
Unda luto mista est. mersit arata liquor.
Hoc Hyadum, Boreæque feri, lacrymabile regnum,
Disslârat Libyci vix satis ira Noti:
Dimidiô cùm jam gyrans in pulvere currum,
Icarii Titan finderet ora Canis;
Quæ visa est Æstas, *merus est* Vulcanius æstus:
Arva, gregem, atque homines, atris Ætna necat.
Infelix! adeóne tibi hæc insania sedit,
Nil, cum temperie temporis, Anne, dare?
Ut, cùm Zodiacam Leo jam Nemeæus arenam
Torreat, ac vapidô Julius axe tonet;
Tu flammam adduplices: sèxque *actis* mensibus, *ipsa*
Nondum etiam observes in medio medium?

APOCOMMA VII.

Par amentissimorum amantium, exsecrandum.

I. V*Alerianus Mussardius*, in ea Galliæ Belgicæ provincia, quam *Picardiam* posteriores nominârunt, & cujus caput urbs *Ambianum* est, familiâ nobili genitus; cùm, ferventibus adhuc civilibus Galliæ bellîs, inprimis memorabilem in equitatu partium operam apud Mórinos (1) posuisset: balteô demum armísque paullisper sepositîs, interquiescere constituit. Sed, ut plerorumque generis ejus morta-

mortalium indoles est, à labore proclivis ad lubidinem, (ut Simo Terentianus sensit): *Valerianus* quoque, quem dixi, non multò pòst, Martiæ fortitudinis tot clarorum facinorum oblítus, emolliendum sese voluptatibus, iisque propudiosis, dedit; illapsus in mutuas nobilis cujusdam juvenculæ cupiditates. Nomen ei, *Joanna* fuit, cognomentô *Prestæ*: cuj, patre fatîs abrepto, vidua superstes mater, & illustris propinquitas, erat. quibus illa tamen generis ornamentîs insuper habitîs, contra Dei leges, & famæ decus, nullo nuptiarum interveniente fœdere, *Mussardo*, tantùm non ad insaniam usque, cohærebat. nec eousque duntaxat, dum ex eo, suî sexûs, fœtum ederet; sed postea quoque, multîs durîsque tempestatibus, in assidua stupri consuetudine volutabatur. Néve quisquam dubitaret, *nefarios amores, quàm legitimos, esse pertinaciores*: adversæ demum, quæ lætis supervenêre, res, flam̃am alioquin imminuere solitæ, vel restinguere, tunc eam acriùs incenderunt; ex eo, quem memorabo, rerum eventu.

II. Fortè jurgiô, levi de caussâ, *Mussardum* inter, & paris conditionis ordinísque juvenem, *Aruntium*, (2) enatô; *Mussardus* hunc, post

Mussardus, & Presta.

post reconciliatam utrimque gratiam, in campis adequitantem sibi, perfidè, procùl arbitrîs, interfecerat: in caput inopinantis exoneratô sclopô. Quô sic, & statim, extinctô; priùs, quàm ab *Aruntii* propinquis (qui, cadavere deprehensô, cædis auctorem insequebantur,) comprehendi posset, *Moyencurtium* interfector profugit; alieni juris permunitam arcem: eâq; sese clausum multo tempore tenuit, eò libentiùs; quòd eodem paullò pòst & *Presta*, cum ephebo, filiolam ejus afferente, se contulerat.

III. Ac propinquitas quidem Aruntiana Moyencourtium, cognitô *Mussardi* latibulo, cum omni suorum armatâ multitudine, confestim advolârat. sed, ob loci firmitatem, sinè bellicis machinis adhuc inexpugnabilem, oppugnationis irritô redditô conatu recesserat. Quòd autem uxorem (3) *Aruntius*, interitu tunc suo viduam, reliquisset, ultionis inter primos hæredem: ea, consanguineorum succincta comitatu, Lutetiam profecta; pro *privatis* armis, quæ nihil valuerant, arma *publici* juris exposcere, *legémque de sicariis*, apud Galliarum regem, adversùs homicidam, invocare cœpit. Hanc vidua caussam, lacrymîs æquè Justitiâque perorantibus, evicit; &, uti secun-

ſecundùm eam, nullâ militarium *Muſſardi* meritorum habitâ ratione, judicium daretur; impetravit.

IV. *Regis* igitur imperiô, dies homicidæ dicitur. Is eum non obit. Ad dicendam cauſſam, citatur. non paret. In cuſtodiam rapi jubetur. arctiùs ſemet cuſtodit ipſe. Clementiæ regiæ veniæque ſpes ei proponitur. is ei diffidit; ac, niſi regiâ fide quàm ſanctiſſimâ priùs impunitati delicti ſui cautum ſit; *fatalem* Pariſiorum *aream*, ſuppliciíque publici theatrum, & infamiam, formidat. Ad ſummam! ab agentibus ſecum nudô verborum hortatu miniſtrîs regiis, & à valvis arcis (è quibus deorſum reſpondebat regiis internuntiis), ità diſcedit introrſum; ut, qui ſe juſſa facturum, neget, ac dejeret. Et hanc ejus contumaciam, non magìs gladii carnificíſque metus, quàm ſcortilli, nuſquam ab ejus latere digredientis, hortamenta continua, roborabant.

V. A verbis ergò, verſus ad vim, capitalium rerum quæſitor regius, Lutetiâ *Morlierium* ei, legatum, cum aliquanto numero, fiſtulîs æneîs armatorum, immittit. quos tamen *Muſſardus*, & *Preſta*, (nam & ipſa ſtabat in armis) parî vi retundunt. Auget vires Morlierius;

Muſsardus, & Preſta.

erius; Ambianô copiîs, & Noviodunô, (quippe vicinîs oppidis) è numero præsidiariorum, evocatîs. Oppugnatione repetitâ, militum aliquot occumbunt: parietes ac muri feriuntur; intus nemo sauciatur.

VI. Quare, ne semper vulnerum intacti, qui soli perire debuerant, illi duo nocentes agerent; ac, loci fiduciâ paullatim insolentiores, ultrò demum obsidentibus, ceu laborum irritis, insultarent; ariete geminô murali Noviodunô *Morlierius* advectô, bellare jam cum loco potiùs, quàm incolîs, constituit; quoad & ad ipsos, perfractîs portîs, perveniret. *Prius* tamen & hîc, è sapientia veteris Thrasonis, *Omnia verbis, quàm vi machinîsq;, tentanda* ratus, in hoc Phædria, Thaidéque, (qui Menandræis illis, ac Terentianîs, longè deteriores erant); pérq; seipsum ad deditionem eos hortari, tertiùm quartúmq;, non contentus: ad *Valerianum*, primò Sacerdotem, sacrorum illius castelli præsidem (ejus antehac conscientiæ rectorem) mittendum decernit. Eum, nihil tergiversantem, de mandatis sibi Lutetiâ, diligenter & graviter edocet: ac, post hæc, eundem ipsum, auctoritatis suæ vicibus obeundîs, exornat. Indè verò, quò pertinacem illum

illum à certiſſimo pereundi conſilio deterreat; denuntiatô furore muralis, jamjam imminentis, arietis, in arcem eum ablegat. Eô verò myſtâ, quantumvis compertiſſimæ probitatis eruditioniſq; virô, ſuîs cum monitis rejectô; matrem inſuper *Preſtæ*, ſpectatæ virtutis gravitatiſque matronam, è municipii ſui ſede *Morlierius* evocat, ac, velut alteram, eámque potentiorem, frangendis amborum mentibus *balliſtam*, ſuperimmittit. Ab hac, eâdem, quæ *curio* priùs dixerat, egerátque, dicta factáque; rei ſucceſſum habuerunt eundem. *Quid tu, mater*, (infit Joanna) *vel tibi vis, vel nobis? decretum utriq; noſtrûm, ac trabalî clavô fixum eſt; vitâ priùs, quàm ab hac mente, per deditionem, decedere. Placeréne tibi, generoſa genitrix, aut debet, aut poteſt; vel me tam ignavâ vitæ prorogatione, vel hunc, alteram meam animam, Valerianum, ejuſdem tam probroſâ per manum carnificis jacturâ, fœdari?* (quaſi verò *ſcortum*, & impurus *amator*, unquam *vitæ* profeſsâ turpitudine carerent?). *Ego verò, ne neſcias* (inquit), *ſi, verborum tuorum incantamentîs emollitus iſte, manus daret; enſe, quem dextrâ gero* (gerebat autem tunc, ut ferè ſemper,) *primùm ipſum, uti timidum perfidúmq;, tuîs*

Muſsardus, & Preſta.

tuis in oculis trucidarem. *deinde, meúmmet ipsius pectus, infamis assensûs exsecratione, mater, transverberarem.* Hæc matri suæ Joanna. Detestante verò tam desperata filiæ consilia religiosâ matre; cœlestémque, si perseveraret in cœptis, iram, & inferorum tormenta sempiterna, denuntiante: filia, talium (utpote, scelerum profundô jam pridem demersa) contemptrix; *Quod quidem ad ea, quæ supra nos,* inquit, *vel infrà, sunt, attinet: viderint ii, quos talium cura mordet. mihi verò, præter hoc, aliud animo non sedet; quàm, Valerianus meus Joannæ, Joanna Valeriano suo, vitâ mortéq; juncti. De cætero, mors, & vita sempiterna, sibi valeant!*

VII. Hâc impietate pervicaciâque fulminata pia mater, mœstissima denique recedit. Post cujus abitum, priusquam aries, ad id præparatus, arcis aditum perfringeret; *Mussardus* (quod Joanna consilium, adhuc matre præsente, repudiârat) filiolam, cum ephebo custode, bonâ *Morlierii* veniâ, corbi clausos, pérque funem demissos, in tutum reponit. Post quæ *Joanna*, nunquam, (ut & ab ipso statim adventûs sui die primô fecerat,) intermittebat, amatorem ardentissimis incitare ver-

verbis; *Si* Preſtam *ſuam, ſi ſui generis gloriam, ac generoſitatis famam, charam haberet: odiſſet amorem vitæ diuturnioris; ac potiùs, quàm aut Morlierio ſeſe dederet, aut incertiſſimæ ſpei placandi regis, certiſſimum in ſupplicium, aures præberet: mortem ultrò jam ſtatim occuparet; & hanc, unà ſecum, id eſt*, comite dilectâ: *quippe, cuj fixum animô ſederet, etſi nihil, ob homicidium alienum, à legibus metuenti, ſuimetipſius cædem, inſtar ſalutis & incolumitatis putare: dummodo, quos tamdiu vita junxiſſet una, nunc & mors ſocia copularet.*

VIII. Inter hæc autem, aulæ mediô, materiem accumulabat aridam, & incendio concipiendo promptam. In hujus ſarmenta faculam conjicit ardentem. quâ ſtatim omnem ſtruis ambitum comprehendente, *Muſſardus* & *Preſta*, ſclopîs, ad explodendum expeditîs, inſtructi, pyræ medium, & eminentiorem locum inſiſtunt; æneæ fiſtulæ foramen antícum, & hians, ſuis uterque temporibus, ſecundùm auriculam, applicantes: pollice dextræ manûs claviculo tubi, quoad ejus laxandi tempus ad ejaculandum inſtaret, ſuperimpoſitô. Quæ dum aguntur ab his, mutuas inter valedictiones, & damnatæ pertinaciæ decreta, re-

novata : porta tantisper, arietis ictu validissimô labefactata, dissilit ; ac jacet. milites irrumpunt ; & in arcis superiora, nemine jam aditum ullum prohibente, magnis cum clamoribus, evadunt. flagrantem rogum, & in eo, per interlucens spatium conspicuos, detestabiles amantes, inveniunt. Qui statim, in suum uterque caput, sed aliquantillô prior *Joanna*, sclopos exonerant, ictibus adeò non deceptis ; ut momentô *funus* essent ; & fieri *bustum* inciperent. Quod ipsum tamen ne prorsus ad eorum, quod viventes conceperant, votum, à morte procederet : ex illa rapta pyrâ cadavera semiusta, *Morlierii* mandatô, foris, aliô novôque rogô, carnificum ministeriô, cremata sunt ; (4) *mense*, quo postrema rerum istarum facinora gesta fuerunt, *Martiô*. Qui pulverem igitur humanæ gloriolæ quærebant ; cinis & favilla facti sunt : infames, non tam regii tribunalis fugâ, quàm divini contemptu ; nec *Aruntiô* magis, quàm seipsis interfectis, Gehennâ digni. quam hîc suis à facibus inchoârunt ; à bustuariis, prorogârunt : in æternitate (quod nemo non è piis sapientibúsque credit) perpetuabunt. (5)

Laudavêre multi *Prestæ* mulieris fidem-amoris,

ris, & mortis insanæ collegium: sed populus, & stulti. Fuêre quoq;, qui narrarent; priùs, quàm fatalem pyram intraret animosa mulier; ex arcis Moyencourtianæ pergula sublimî spectabilem, à multitudine circumfusâ, pro se, *suóque* (quem appellabat) *altero*, preces ad Deum fundendas flagitâsse: statímque, post hoc pietatis simulacrum, mortem capessîsse. Quis autem, oro te, tam perditè *pereuntes*, prece retineat; *ne perierint?*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Apud Bononiam Gallicanam, freti, Britanniæ Magnæ oppositi, portum; & urbem munitissimam, vulgò* Bologne: *quam*, vetus *Morinorum* Gessoriácum *fuisse, vulgò putant.* (2) Aronse, *Zeyllero dicitur*, *Gallicè*: *nisi, verò pro nomine, personatum posuerit.* (3) *De* vidua, *Zeyllerus tacet: Continuator Slejd. non tacet; neque de lacrymis illius.* (4) *Subindicat hoc etiam Continuator Slejd. pag. 357. col. 2. cùm ait, Rapta rogô cadavera semusta, pœnis aliis seposita fuisse.* (5) *Quid Catholici de tali, támq; præmeditatâ, suimet interfectione censendum habeant;* Fides *eos sua, Theologiáq;, docent. Certè*

Mussardus, & Presta.

quidem inter heterodoxos etiam, Zeyllerus saltem, hæc pronuntiat. Daß sie beede (*Mussardus*, vnd *Presta*,) darauff (nach beeder Pistolen Abschuß) todter in das Feur fielen: Ihre Seelen aber zayseten mit einander / in der ewigen Flammen zu brinnen. *addit.* wofern GOtt / durch seine grundlose Barmhertzigkeit / sich ihrer nit erbarmet hat. *quæ verba tamen retunduntur, à postremis Prosæ meæ verbis: & ab Apocommate postremo jugulabuntur.*

Rei porrò tam atrocis, & meâ memoriâ peractæ, seriem, complures, nec admodum in peristasibus dissonè, recensent: præcipuè verò, Continuator Slejd. libri 14. principiô. Serræus item; Auctor Mercurii Gallicani, de gestis anni 1608. novissiméque, Martinus Zeyllerus, tragici theatri historiâ 17. recognitione 5. cuj septima *quoq; jam, post auctoris obitum, superinducta, copiâ Notarum uberî diffunditur, & illustratur. Circumstantia verò subinde rem, parerga-gestorum, in* Metro, *non in unius alicujus enarratoris fidem ac verba juratus, sed, ut ex unoquoq; visum erit commodum sequi; sequar, & immiscebo.*

METRUM.

METRUM.

GAllicus ad Morinum dictus modò littus Achilles,
Atque Bologniacæ gloria Dardaniæ;
Pellice Mussardus maculat dum Chryside Martem,
Transfugit ad Cypriæ turpia castra deæ.
Mox (ut Culpa trahit culpam) de fornice præceps,
Glandivomô Aruntis trajicit igne caput.
Flagitium citat ergò Themis, legésque nocentem:
Rex, profugo indicit vincula; caussa, diem.
Non trahit hunc sceptrum ad caussam; non virgula Juris,
In jus. Ferrum illi est, jus; latebræq;, dies.
Esse Reum (modò, cum gladio) putat, esse triumphum;
Et SONTEM indomitum, Nobilitatis opus.
Moycurtæa ferox, scelerum sibi firmat asylum,
Pergama. Mussardum regia tela petunt.
Regia Mussardus non segniter arma repellit;
Seriòque Iliacô bella furore calent.
Nec tamen iste suos, vel tantillùm, abdit amores:
Hæret & hic, Paridi fœda Lacæna suo.
Presta simùl, stantíque astans, & fixa sedenti,
Prælia vultu animat; prælia voce, manu:
Irarúmque ingens semper mala-fœmina flabrum,
Tunc magis ignem inflat. Sed mala caussa, labat.
Obruitur numerô rea pars tandem: ista, fatiscunt
Robora murorum. Vis foris, intus amor.
Ne spolium-Mavortis amor, fiátque rapina;
Sardanapalæus surgit in arce rogus.
Protinus Assyrii, Thaisque procúsque, tyranni, (†)
Quem vitâ æquârant, mortis in acta ruunt.
Summa pyræ gradibus superant concordibus ambo:
Et stant adversô pectora fida situ:

D 4 Impli-

(†) Mussardus, & Presta.

Implicitíque manus, toties ad prava ministras,
Alter in alterius vulnera poscit opem (1).
Mox, simùl applicitâ stridet face frondea moles:
Dextra simùl pyrios laxat utrimque globos.
Unà ambo lethúmque patrant, lethúmque receptant:
Unà unus recipit corpora lapsa rogus.
Irruitur (nam porta patet): semusta trahuntur
Membra rotæ, (2) *ac flammis, quas meruêre, novis.*
Turba levis (cuj palma ingens est, Impetus omnis
Arduus; ac Facinus nobile, grande nefas)
Concursat: celebrátque tuas, insane Cupido,
Atque tuos, plus hoc mascula Thai, faces.
Hujus & ignivomos ex arce viriliter ictus,
Et canit, expulsis funera facta globis.
Exstructum post ista, rogum, Miracula *clamat*
Flammæ, etiam priscis digna viraginibus.
Sic nuptas arsisse, viris ardentibus, Indas: (3)
Hôc viduum Evadnês more flagrâsse torum.
Talibus in sublime ferunt hunc laudibus Ignem:
Nec tamen hic quidquam sideris, ardor habet.
Ipsa adeò Capra subsultans (4), *aut stella comata,*
Consortem hunc, nollent. Quid Facis *ergò rear?*
Mussardæa pyra hæc, (dicam, quod sentio,) quanquam
Tam clara, ac flagrans; IGNIS *erat* FATUUS. (5)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(†) *Sardanapali; Venereâ flagitiosâque vitâ (quam & hi duo scelesti* Amantes *imitari, delegerant) probrosissimi. cujus & epitaphium fuit hoc, belluinum;*

Hæc

Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit — *apud Ciceronem libro 5. quæstionum Tusculanar: Fuit autem* Assyriorum *monarcha postremus: qui, Arbace Medô, post occupatam jam Niniven, irruente, rogum in aula penetrali exstruxit: eóq; conscensô, cum concubinis, seipsum, & pretiosissima quaq;, pariterq; regiam, flammis absumpsit. Verba porrò Ciceronis, locô citatô, quibus Sardanapalum* Syriæ regem opulentissimum *notavit, haud absterreant te, quò minùs eum credas*, Assyriæ *fuisse Imperatorem. Suspicamur enim, cùm Tullius* Assyriæ *scripsisset principiô; syllabam primam, AS, librariorum postea vel inscitiâ, vel incuriâ, detruncatam, compluribus in exemplaribus intercidisse. Quòd si displicet hæc tibi animadversio; contendisq;,* Syriæ *jam & olim fuisse scriptum: noveris, sub* Assyriorum *monarchia, fuisse quoque* Syriam *ab antiquissimis temporibus: ut postea sub Persis etiam, & adhuc sub Dario quoque Codomanno: ut patet ex Q. Curtii libro statim 3.* (1) *Qui historiam hanc Germanicè, cum imagine chalcoglyphicâ, vulgavit:* sedentes *collocavit primùm, Valerianum hunc, & Joannam; cùm Zeyllerus* stantes faciat. *Deinde,*

D 5 *alte-*

Mussardus, & Presta.

alterum alteri sic exadversùm oppositos; ut Valeriani dextra sclopo Joannæ, Joanna sclopo Valeriani, pollicem, uterque adversùm se, ad simultaneam explosionem, sic imponerent: uti, cùm tempus instaret, hic amicæ fistulâ, amica amatoris sclopetô, periret. Et id genus moriendi nonnemo scriptorum, etiam extra imagines, expressit. Ubi tamen jam locum non haberet illud Zeylleri, dicentis; Observatum ab irruente milite fuisse, Joannam Prestam in explosione priorem, Mussardum contrà, cunctabundiorem, & seriorem, deprehensum. Sic enim, quomodo collapsâ jam cum sclopo suo Joannâ, Mussardus eum in se explosisset ità, ut pariter conciderent? (2) Crurifragium *enim per* rotam, *quod Aruntii cædes meruerat (ut & regiorum aliquot ministrorum interfectio) memoratur à Continuatore. &c.* Ignem à morte *irrogârunt provinciales leges iis, qui mortem sibimetipsis intulerant; eámque, regiæ majestatis pertinaci cum contemptu.* (3) *De hac notissima mulierum Indicarum, apud* Cátharos *præsertim populos, amentiâ, etiamnum ad nostra tempora durante; tradit & Franciscus Sacchinus, Partis 4. histor. Societ. libro 8. à num. 284.* Inter pravas Ethnicorum, memorata antiquitus, etiamnum (*an-*

nô

nô 1580.) vigebat consuetudo; ut in mariti rogum uxores sese conjicerent. *&c.* (4) *Inter meteora, de quibus libros IV. Aristoteles reliquit, sunt etiam* aëriæ capræ saltantes, πυροφανεῖς. (5) *Huic duorum horum desperatissimo facinori Davus Terentii Andrianus succineret illud Actûs 1. sc. 3.* Inceptio est Amentium, haud Amantium. *De* Ignibus fatuis, *vide Commentatores in Aristotelica meteora: Majndelium, in univ: Philosophiam, numero 414. & alios. Et hac quidem, de pyra horum duorum,* in hoc sæculo, *stolidè exstructâ. In* altera *verò* vitâ, *pro flagitiorum suorum meritis, eos, non Ignem* flammámve, ex terra siccâ, & exhalatione fumosâ, enatam, equorum sudantium capillis, aut uliginosis locis, insidentem, aut divolitantem (*vana utique pavidorum terriculamenta) sed verô veriorem* Gehennæ *ardorem, intrâsse; ea, quæ subnecto, declarabunt.*

APO

Mussardus, & Presta.

APOCOMMA VIII.

Laus Impiorum brevis, (*Job.* 20. *v.* 5.) & levis.

I. TAnquam RARAS IN TERRIS AVES, nonnulla mundus *subterranea* celebrat PARIA, seu legitimè sese quondam, seu contra leges, AMANTIUM: qui fatum, alter alterius, sponte sumptâ morte, nefariè, vel secuti, vel comitati statim sunt. Prætereo, fabulis immixtos, *Pyramum* atque *Thisben*; *Ceycem* & *Alcyonem*; atque, siqui generis istius alii *poesin* intrârunt. E *verè* gestis, *Portia*, Marcô Catone genita, M. Brutum maritum, suopte ferrô, suapte dextrâ, sublatum; amoris impatientiâ, cùm gladius ipsi subtraheretur, vivis deglutitis (crudele!) prunis, est subsecuta.

II. Sic, Bartholomæô Scaligerô Veronensibus ad Athesin præsidente, Romæus & Julietta, novi, sed occulti, conjuges; prior ille, *falsò* creditâ Juliettæ morte, posterior autem ista, *verô* deprehensô Romæi funere, sibimet ipsi manus intulerunt. ac, sicut necem uterque spontaneam, ità *tumulum* quoque, jun-

junxêrunt. Is tumulus diu postea, tanquam ille quondam *Tarentinus* τῶν φιλέντων, (1) sic *Veronensis*, DUORUM AMANTIUM, dictus, ac monstratus, est. Et hoc, non sinè multorum, in laudes eorum certantium, epitaphiis poëticis adscriptîs.

III. Par aliud, Joannes *Mariana*, scriptor Hispanicarum rerum Latinus, (2) ex eo pereuntium censu profert: juvenem formosissimum, nostratium sacrorum; & puellam, Granatensis regis Mahometani filiam, furtivâ sibi consuetudine tamdiu contra fas indulgentes: donec, deprehensionis deniq; metu subigente, profugerent. Qui, potiùs, quàm in regis, eos obsidentis, manus inciderent, alter innexus alteri, de rupis altissimæ sese vertice, regios ipsos ad pedes, dejecerunt; ac, dispersîs cerebrîs, elisóque spiritu, perierunt. Quibus, Hispanus epigrammatographus acclamâsset, Martialis:

Hic, rogo, non furor est; ne moriàre, mori?

Gentiles autem eorum, scopulum, illius præcipitii locum, nominant, *Amore mutuò sese depereuntium, rupem.* (3)

IV. Omnes hi, cum Mussardo, Prestâque, *plausum* invenêre *Rararum in terris avium.*

Mussardus, & Presta.

um. *Laudem* obtinuêre, sed *Impiorum*, & ex impiè-factis; ac suî simillimorum. *laudem* denique, non *brevem* modò (quippe, *sæculi præsentis*, cujus spatium, *æternitati* comparatum, durationis non nisi punctus est) sed & *levem*, futilem, cariosam, inaniîs refertam. Quid enim? Cum Divo libet *Augustino*, talibus quoque (*furiosis*, inquam, *suîmet homicidis*) succinere; quod ille, proscriptis à cœlo Deóque, doctis viris: *Laudantur, ubi non sunt: Uruntur, ubi sunt.*

TESTIMONIA.

(1) *Valerius Maximus libro 4. cap. 6. num. 3. de Marco Plautio, & Orestillâ uxore.* (2) *Libro 19. cap. 22. Præcedens autem Exemplum Belleforestus, Teutonicè versus, narrat in quinque tragœdiis selectis, Exemplô 3.* (3) *Hispanicè*, La pena de los Enamorádos. *German:* Der gegen einander Verliebten Felß.

METRUM.

Altam, ac diffissâ congestam ex ilice sylvam,
Ultima suppositâ quam voret hora face,
Mente Thraso, Thaisque, pari, neque dispare passu,
Juratâ scandunt mortis amicitiâ.

Hic,

Hic, velut Arabum frondoso in vertice nidum, (1)
Compositis ineunt sedibus : ac pereunt.
Flagrantes pariter, paritèrque ex more jacentes,
Spectatrix reperit, nec sinè laude, cohors :
Felicésque, *aliquis de fornice, clamat* Amantes;
Párque Columbinum, turtureúmque, *vocat.*
Hos (nisi quòd, glacie damnatâ, incendia mâlint)
Alcyonum *dicit nobile* conjugium : (2)
Hos, Cypriâ è flamma, tam rara in busta solutos,
Phœnicas (*volucrum prodigium*) *esse* Duos.
Hæc audit; diffidénsque acidâ rex inferus odâ;
Cur tam paucæ (inquit) congeminantur Aves?
Turturibus castis, Amathuntæisque columbis,
Et maris, atque Arabum sideris, alitibus, (3)
Addo ego. qui, lucrô hôc geminæ necis auctus, in Orco
Mussardum, & Prestam, (par ulularum), *habeo.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *In Arabiæ sylvis,* Phœnices aves *nidum supremum sibi struere; ex auctoribus ostendi libro 3. Antiquit. Angelicarum Veteris testam. in Tobia & Sara. &c.* (2) *Ceycis nempe, regis Trachyniorum, naufragiô submersi. cujus agnitum cadaver, & Alcyone conjux submersione secuta est. Vide Metam: Ovid: lib. XI. de mutatione in aves marinas alcyones factâ.* (3) *Phœnix, Avis Assyriæ, &* Arabiæ *multò magis; dicitur* Solis-avis. *caussam, in Phœnice meo Germanico*

Mussardus, & Presta,

expressi, Monachii, Leysserianis typis, excusô, annô 1640.

ANNUS M.DC.IX.

ANNI M. DC. IX.
Gestorum
SYNOPSIS.

I. HOc Annô, Germania potissimùm, nova, nec tamen non antea meditata, dissensionum consilia deprompsit; in mutuas postea lites & pugnas exitura. Semen horum, annus jam superior concepisse visus est, in Ordinum imperialium, auctoritate Rudolphi Cæsaris indictis, Ratisponensibus Comitiis. quæ, cùm votis postulatisque *Protestantium* (quos appellant) *Principum* in eorum nullo, quibus *gravabantur*, (1) respondissent; ab eo tempore *Fridericum IV.* Rheni Palatinum Comitem, Septemvirum, cæterorúmque nonnullos, inferiùs nominandos, aliquantò jam ampliùs alienare cœperunt: donec mox, enascitu-

sciturâ novâ causâ, sibi nova quoque per secessionem essent consilia capturi.

II. Per hoc autem idem tempus, rimas iterum agente, non optimâ per omnia fide nuper coalitâ, pace fratrum *Augustæ* domûs: culpâ factum est, hinc quidem *Ambitionis*, illinc autem *segnitiei* cujusdam; ut sermo styliisque præberetur, malevolis maximè, tum rumoribus, tum libris, sive verô, sive falsis mixtô clangore, divulgandi: *Matthiam*, Rudolphi Cæsaris germanum, cum exercitûs sui validis viribus in Bohemiam irrupisse; discussurum armîs, (si dehortationes verborum minùs valuissent,) nescio cujus *orthodoxæ* gentis, ac factionis, meditamenta: quæ *Ferdinando Carinthio* credebantur *Rudolphi* provinciarum, & Hungarici regni, successionem conciliatura. (2) Bohemos *Rudolpho* studium suum, & arma, contra vim fratris obtulisse: si *libertatem* is ipsis, ac maximè *Sacrorum*, indulgentiâ publicâ, quantam & qualem à Maximiliano patre quondam accepissent, constabiliret. Eô verò gratiam illis hujus laxamenti facere (si *gratia* tamen ab *homine* fuisset, quæ *divina* repugnâsset,) differente; desertô Rudolphô suis à regnis, tantùm armîs, & robore

E par-

Anni Acta.

obtinebat. Ne semper, & in longinquum, teneret; factiones fecêre Principum, & civitatum, partim è præsentibus tum rebus, partim & è præteritis offensione captâ, belli cogitationibus ardentium. Indè vires sibi quisque domì circumspicere; foris alienas, & Germaniis parùm amicas, opes. Indè, Batavicîs etiam Celticîsque, sub hæc, concurrentibus, ad Juliacum expugnandum, auxiliis; *Leopoldo* postea non diuturnior ibi bimestrî mora: conditionibúsque mutuò latîs, & acceptîs, maturata deditio. Quæ tamen priusquam in annum denique sequentem acciderent; jam antè substructa consiliîs fuerant, plusquam unius curiæ: præagitata verò, conspiratione, postéâque sensim *cœtu* quoque, (sicut anno vertente dicetur) coëuntium *Halæ-Suevicæ* Principum, ac legatorum: qui fœdus suum appellavêre, *Correspondentium*. In id nomina sensim dederunt, *Fridericus* inprímis *Quartus*, Rheni Comes Palatinus, Elector: Marchio Brandeburgicus (6); Christianus, princeps Anhaltinus (7); imperii civitates, Argentoratum, & Ulma. Quò verò constaret, DEUM, qui *Pacis*, & *non dissensionis* est, *eorum* (ut cum Davide loquamur) *conventicula*, *de Sanguini-*

quinibus, ulteriùs *congregari* (8) *nolle:* contrarium Hallensi fœderi, fœdus aliud, post hæc, *Herbipoli*, Fránconum urbe, metropolitanâq; sede, coalescere permisit, aliorum, & disparia meditantium, Imperii Principum. quorum primas tenuêre, Rudolphus Imperator; Christianus II. Saxoniæ Septemvir; Maximilianus, Bavariæ Dux; & Dux Brunswicensis. Horum prudentiâ primùm, deinde fortitudine constantiâque, sic obviàm itum est adversæ factionis molitionibus: ut (quemadmodum *Protestantium* doctrinæ sectator nonnemo, verbis his ipsis, prodidit, *semilatinis*) *uniti* Correspondentes *nihil profecerint; ac tandem eorum unio*, post annos undecim, *annihilata sit.* (9)

V. Præter hæc interim, auget præsentis anni lugubrium numerum, excessus è vivis, Hetruriæ Magni-Ducis, *Ferdinandi.* Cujus tamen tristitiæ sensum, non tam *Hilaria*, quæ circa tempus illud anniversariâ licentiâ lasciviebant, quàm *Cosmi* filii, paternas in ditiones ac fortunas succedentis, egregii mores, & Medicææ domûs continuata per eum felicitas, temperavêre. Fuit is, cujus, annô proximè superiore, cum Archiducis Græciensis filiâ Magdalenâ, sponsalia nuptiæve tractabantur.

 VI. Ali-

alterum alteri sic exadversùm oppositos; ut Valeriani dextra sclopo Joannæ, Joanna sclopo Valeriani, pollicem, uterque adversùm se, ad simultaneam explosionem, sic imponerent: utì, cùm tempus instaret, hic amicæ fistulâ, amica amatoris sclopetô, periret. Et id genus moriendi nonnemo scriptorum, etiam extra imagines, expressit. Ubi tamen jam locum non haberet illud Zeylleri, dicentis; Observatum ab irruente milite fuisse, Joannam Prestam in explosione priorem, Mussardum contrà, cunctabundiorem, & seriorem, deprehensum. Sic enim, quomodo collapsâ jam cum sclopo suo Joannâ, Mussardus eum in se explosisset itâ, ut pariter conciderent? (2) Crurifragium *enim per* rotam, *quod Aruntii cædes meruerat (ut & regiorum aliquot ministrorum interfectio) memoratur à Continuatore. &c.* Ignem à morte *irrogârunt provinciales leges iis, qui mortem sibimetipsis intulerant; eámque, regiæ majestatis pertinaci cum contemptu.* (3) *De hac notissima mulierum Indicarum, apud* Cátharos *præsertim populos, amentiâ, etiamnum ad nostra tempora durante; tradit & Franciscus Sacchinus, Partis 4. histor. Societ. libro 8. à num. 284.* Inter pravas Ethnicorum, memorata antiquitus, etiamnum *(an-*

nô 1580.) vigebat consuetudo; ut in mariti rogum uxores sese conjicerent. *&c.* (4) *Inter meteora, de quibus libros IV. Aristoteles reliquit, sunt etiam* aëriæ capræ saltantes, πυροφανεῖς. (5) *Huic duorum horum desperatissimo facinori Davus Terentii Andrianus succineret illud Actûs 1. sc. 3.* Inceptio est Amentium, haud Amantium. *De* Ignibus fatuis, *vide Commentatores in Aristotelica meteora: Majndelium, in univ: Philosophiam, numero 414. & alios. Et hæc quidem, de pyra horum duorum,* in hoc sæculo, *stolidè exstructâ. In* altera *verò* vitâ, *pro flagitiorum suorum meritis, eos, non Ignem* flammámve, ex terra siccâ, & exhalatione fumosâ, enatam, equorum sudantium capillis, aut uliginosis locis, insidentem, aut divolitantem *(vana utique pavidorum terriculamenta) sed verô veriorem* Gehennæ *ardorem, intrâsse; ea, quæ subnecto, declarabunt.*

APO

Mussardus, & Presta.

APOCOMMA VIII.

Laus Impiorum brevis, (*Job. 20. v. 5.*) & levis.

I. TAnquam RARAS IN TERRIS AVES, nonnulla mundus *subterranea* celebrat PARIA, ſeu legitimè ſeſe quondam, ſeu contra leges, AMANTIUM : qui fatum, alter alterius, ſponte ſumptâ morte, nefariè, vel ſecuti, vel comitati ſtatim ſunt. Prætereo, fabulis immixtos, *Pyramum* atque *Thisben*; *Ceycem* & *Alcyonem*; atque, ſiqui generis iſtius alii *poëſin* intrârunt. E *verè* geſtis, *Portia*, Marcô Catone genita, M. Brutum maritum, ſuopte ferrô, ſuapte dextrâ, ſublatum; amoris impatientiâ, cùm gladius ipſi ſubtraheretur, vivis deglutitis (crudele!) prunis, eſt ſubſecuta.

II. Sic, Bartholomæô Scaligerô Veronenſibus ad Atheſin præſidente, Romæus & Julietta, novi, ſed occulti, conjuges; prior ille, *falsò* creditâ Juliettæ morte, poſterior autem iſta, *verô* deprehensô Romæi funere, ſibimet ipſi manus intulerunt. ac, ſicut necem uterque ſpontaneam, ità *tumulum* quoque, jun-

junxêrunt. Is tumulus diu poſtea, tanquam ille quondam *Tarentinus* τῶν φιλέντων, (1) ſic *Veronenſis*, DUORUM AMANTIUM, dictus, ac monſtratus, eſt. Et hoc, non ſinè multorum, in laudes eorum certantium, epitaphiis poëticis adſcriptîs.

III. Par aliud, Joannes *Mariana*, ſcriptor Hiſpanicarum rerum Latinus, (2) ex eo pereuntium cenſu profert: juvenem formoſiſſimum, noſtratium ſacrorum; & puellam, Granatenſis regis Mahometani filiam, furtivâ ſibi conſuetudine tamdiu contra fas indulgentes: donec, deprehenſionis deniq; metu ſubigente, profugerent. Qui, potiùs, quàm in regis, eos obſidentis, manus inciderent, alter innexus alteri, de rupis altiſſimæ ſeſe vertice, regios ipſos ad pedes, dejecerunt; ac, diſperſîs cerebrîs, eliſóque ſpiritu, perierunt. Quibus, Hiſpanus epigrammatographus acclamâſſet, Martialis:

Hic, rogo, non furor eſt; ne moriàre, mori?

Gentiles autem eorum, ſcopulum, illius præcipitii locum, nominant, *Amore mutuò ſeſe depereuntium, rupem.* (3)

IV. Omnes hi, cum Muſardo, Preſtâque, *plauſum* invenêre *Rararum in terris avium.*

Muſsardus, & Preſta.

um. *Laudem* obtinuêre, sed *Impiorum*, & ex impiè-factis; ac suî simillimorum. *laudem* denique, non *brevem* modò (quippe, *sæculi præsentis*, cujus spatium, *æternitati* comparatum, durationis non nisi punctus est) sed & *levem*, futilem, cariosam, inaniîs refertam. Quid enim? Cum Divo libet *Augustino*, talibus quoque (*furiosis*, inquam, *suîmet homicidis*) succinere; quod ille, proscriptis à cœlo Deóque, doctis viris: *Laudantur, ubi non sunt: Uruntur, ubi sunt.*

TESTIMONIA.

(1) *Valerius Maximus libro 4. cap. 6. num. 3. de Marco Plautio, & Orestillâ uxore.* (2) *Libro 19. cap. 22. Præcedens autem Exemplum Belleforestus, Teutonicè versus, narrat in quinque tragœdiis selectis, Exemplô 3.* (3) *Hispanicè*, La pena de los Enamorádos. *German:* Der gegen einander Verliebten Felß.

METRUM.

Altam, ac diffissâ congestam ex ilice sylvam,
Ultima suppositâ quam voret hora face,
Mente Thraso, Thaisque, pari, neque dispare passu,
Juratâ scandunt mortis amicitiâ.

Hic,

Hic, velut Arabium frondoso in vertice nidum, (1)
Compositis ineunt sedibus : ac pereunt.
Flagrantes pariter, pariterque ex more jacentes,
Spectatrix reperit, nec sinè laude, cohors :
Felicésque, *aliquis de fornice, clamat* Amantes;
Párque Columbinum, turtureúmque, *vocat.*
Hos (nisi quòd, glacie damnatâ, incendia mâlint)
Alcyonum *dicit nobile* conjugium : (2)
Hos, Cypriâ è flamma, tam rara in busta solutos,
Phœnicas (*volucrum prodigium*) *esse* Duos.
Hæc audit ; diffidénsque acidâ rex inferus odâ ;
Cur tam paucæ (inquit) congeminantur Aves ?
Turturibus castis, Amathuntæisque columbis,
Et maris, atque Arabum sideris, alitibus, (3)
Addo ego. qui, lucrô hôc geminæ necis auctus, in Orco
Mussardum, & Prestam, (par ulularum), *habeo.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *In Arabiæ sylvis,* Phœnices aves *nidum supremum sibi struere ; ex auctoribus ostendi libro 3. Antiquit. Angelicarum Veteris testam. in Tobia & Sara. &c.* (2) *Ceycis nempe, regis Trachyniorum, naufragiô submersi. cujus agnitum cadaver, & Alcyone conjux submersione secuta est. Vide Metam: Ovid: lib. XI. de mutatione in aves marinas alcyones factâ.* (3) *Phœnix, Avis Assyriæ, &* Arabiæ *multò magis ; dicitur* Solis-avis. *caussam, in Phœnice meo Germanico*

expressi, Monachii, Leysserianis typis, excusô, annô 1640.

ANNUS M. DC. IX.

ANNI M. DC. IX.
Gestorum
SYNOPSIS.

I. HOc Annô, Germania potissimùm, nova, nec tamen non antea meditata, dissensionum consilia deprompsit; in mutuas postea lites & pugnas exitura. Semen horum, annus jam superior concepisse visus est, in Ordinum imperialium, auctoritate Rudolphi Cæsaris indictis, Ratisponensibus Comitiis. quæ, cùm votis postulatísque *Protestantium* (quos appellant) *Principum* in eorum nullo, quibus *gravabantur*, (1) respondissent; ab eo tempore *Fridericum IV.* Rheni Palatinum Comitem, Septemvirum, cæterorúmque nonnullos, inferiùs nominandos, aliquantò jam ampliùs alienare cœperunt: donec mox, enascitu-

ſciturâ novâ cauſsâ, ſibi nova quoque per ſeceſſionem eſsent conſilia capturi.

II. Per hoc autem idem tempus, rimas iterum agente, non optimâ per omnia fide nuper coalitâ, pace fratrum *Auguſtæ* domûs; culpâ factum eſt, hinc quidem *Ambitionis*, illinc autem *ſegnitiei* cujuſdam; ut ſermo ſtyliſque præberetur, malevolis maximè, tum rumoribus, tum libris, ſive verô, ſive falſis mixtô clangore, divulgandi: *Matthiam*, Rudolphi Cæſaris germanum, cum exercitûs ſui validis viribus in Bohemiam irrupiſse; diſcuſſurum armîs, (ſi dehortationes verborum minùs valuiſsent,) neſcio cujus *orthodoxæ* gentis, ac factionis, meditamenta; quæ *Ferdinando Carinthio* credebantur *Rudolphi* provinciarum, & Hungarici regni, ſucceſſionem conciliatura. (2) Bohemos *Rudolpho* ſtudium ſuum, & armâ, contra vim fratris obtuliſse; ſi *libertatem* is ipſis, ac maximè *Sacrorum*, indulgentiâ publicâ, quantam & qualem à Maximiliano patre quondam accepiſsent, conſtabiliret. Eô verò gratiam illis hujus laxamenti facere (ſi *gratia* tamen ab *homine* fuiſset, quæ *divinæ* repugnâſset,) differente; deſertô Rudolphô ſuis à regnis, tantùm armîs, & robore

Anni Acta.

partium, valuisse Matthiam; ut ei tandem à Cæsare vel ingratiîs cedendum Austriâ fuerit, & Hungariæ regnô. Tunc enimverò, quò scire boni, doleréq;, cogerentur, *Humanas cupiditates, nisi per turbamenta divinorum, ad vota sua non pervenire:* primò quidem *Austriis*, (invitissimô licèt, sed eò demum armorum intentatione pertractô, Matthiâ) post hos autem, assensu quoque Rudolphi, *Marcomannis*, *Silesiis*, ac *Moravis*, *Augustanæ Confessionis* publicum cultum indultum; eúmque, *diplomate* quoque firmatum, (3) unà cum *Academia* Pragensi, *Lutheranis* magisteriis traditâ, (4) permissum esse: frendente super his (si non & ultrà fas calumniante), scriptore quopiam exterô (5): *Cæsaris*, per id tempus, *adeò vilescere cœpisse*, plurimorum in mentibus, *auctoritatem: ut tantùm non in ordinem redigeretur.*

III. Equidem, rumorum hujuscemodi, quales multorum & tunc, & adhuc hodie, librîs circumferuntur, quid, ac quantum, vel affirmare possim, vel infirmare; non statuo: nisi quòd, utut ea gesta sint, contendam; unicuique DEI, religionísq; sanæ, potiorem esse debuisse, quàm humani culminis aut commoditatis, caussam. Sed hæc posteri fortassis,

ſis, & fortia *Ferdinandi II.* Cæſaris exempla ſubſecuta, meliùs judicabunt.

IV. Inter hæc autem, nova diſſidiorum ſementis, mors *Joannis Gulielmi*, Juliæ, Cliviæ, Montiúmque Ducis, nullâ poſt ſe relictâ prole decedentis; animos, & ſpes, ac partim arma jam tum, excitavit eorum, qui, ſororibus olim *Ducis* illius ſibi conjunctîs, ad ſe quiſque ſucceſſionis jus aliquod trahebant. In his cùm eminere cauſsa videretur *Joannis Sigiſmundi*, Septemviri Brandenburgenſis, & *Philippi Ludovici*, Palatini Neoburgici, (cujus auctoritatem & vices, iis in motibus, filius ſuſtinebat, *VVolfgangus VVilhelmus*): hi quidem inter ſe, præ cæteris ſucceſſionis competitoribus, contendebant. Cæſar autem, univerſam illam diſceptationem ſinè ſanguine tranſigi cupiens, eam ſibi ſepoſuit dijudicandam: &, quoad negotium id exitum ſuum inveniret, continendis interim in officio provinciis illis *Leopoldum* impoſuerat, *Auſtriacum*; Paſsavienſem tunc adhuc, & Argentoratenſem, Epiſcopum. Hic, Brandeburgicô, Neoburgicôque, tum quàm maximè cum exercitu ſuas utroque ditiones quærentibus; *Juliácum* & ipſe, non ſinè firmis (ut apparebat) copiis,

Anni Acta.

obtinebat. Ne semper, & in longinquum, teneret; factiones fecêre Principum, & civitatum, partim è præsentibus tum rebus, partim & è præteritis offensione captâ, belli cogitationibus ardentium. Indè vires sibi quisque domì circumspicere; foris alienas, & Germaniis parùm amicas, opes. Indè, Batavicîs etiam Celticîsque, sub hæc, concurrentibus, ad Juliacum expugnandum, auxiliis; *Leopoldo* posteà non diuturnior ibi bimestrî mora: conditionibúsque mutuò latîs, & acceptîs, maturata deditio. Quæ tamen priusquam in annum denique sequentem acciderent; jam antè substructa consiliîs fuerant, plusquam unius curiæ: præagitata verò, conspiratione, postèáque sensim *cœtu* quoque, (sicut anno vertente dicetur) coëuntium *Halæ-Suevicæ* Principum, ac legatorum: qui fœdus suum appellavêre, *Correspondentium*. In id nomina sensim dederunt, *Fridericus* inprímis *Quartus*, Rheni Comes Palatinus, Elector: Marchio Brandeburgicus (6); Christianus, princeps Anhaltinus (7); imperii civitates, Argentoratum, & Ulma. Quò verò constaret, DEUM, qui *Pacis, & non dissensionis* est, *eorum* (ut cum Davide loquamur) *conventicula*, *de Sanguini-*

guinibus, ulteriùs *congregari* (8) *nolle*: contrarium Hallensi fœderi, fœdus aliud, post hæc, *Herbipoli*, Fránconum urbe, metropolitanâq; sede, coalescere permisit, aliorum, & dispaṛia meditantium, Imperii Principum. quorum primas tenuêre, Rudolphus Imperator; Christianus II. Saxoniæ Septemvir; Maximilianus, Bavariæ Dux; & Dux Brunswicensis. Horum prudentiâ primùm, deinde fortitudine constantiâque, sic obviàm itum est adversæ factionis molitionibus: ut (quemadmodum *Protestantium* doctrinæ sectator nonnemo, verbîs his ipsis, prodidit, *semilatinis*) *uniti* Correspondentes *nihil profecerint*; *ac tandem eorum unio*, post annos undecim, *annihilata sit.* (9)

V. Præter hæc interim, auget præsentis anni lugubrium numerum, excessus è vivis, Hetruriæ Magni-Ducis, *Ferdinandi*. Cujus tamen tristitiæ sensum, non tam *Hilaria*, quæ circa tempus illud anniversariâ licentiâ lasciviebant, quàm *Cosmi* filii, paternas in ditiones ac fortunas succedentis, egregii mores, & Medicææ domûs continuata per eum felicitas, temperavêre. Fuit is, cujus, annô proximè superiore, cum Archiducis Græciensis filiâ Magdalenâ, sponsalia nuptiæve tractabantur.

 VI. Ali-

VI. Alibi quoque, lætiora ſubinde rerum geſta quædam, aſſiduos Europæ luctus interpolavêre. *Matthiam* enim *Auſtriacum*, cuj, nuper à germano cedendum provinciis aliquot fuiſſe, memorabamus; *Hungaria*, ſupra *Regium* nomen jam ei conceſſum, etiam inauguratione non multò pòſt, & coronâ, ſpectabiliorem fecit. *Antuerpia* verò, promulgatas edictô publicô (quod rex Hiſpaniarum deinde ratum habuit) inducias belli *duodecennes*, inter Hiſpanos, Batavóſque, lætiſſima, quaſi pacis prævium ſponſorem, excepit. In quam ſanè rem, ut hæc aliquando tandem, poſt tot annorum laborioſas conſultationes, confieret; ſollicitîs incubuerunt animîs diverſorum legationes Europæ-Principum: inprimíſque Regis magnæ Britanniæ; Septemvirorum Imperii quorundam; & Germaniæ prôcerum eminentiorum: nullius autem ardentiore tunc, quàm Henrici IV. Galliarum regis, ſtudiô. (10) Qui rex idem, imperii neſcio quem principem, turbas novas, & (ut opinor) jam tum *Iconoclaſmum* & *Calvini* furias, in quas poſtea prorupit, inſanè ſpirantem; auxiliorum præciſâ ſpe, tepefecit in impietatis cogitatâ flammâ: quoad ſaltem regi vita

vita duravit. Idem quoque rex, severissimîs iterum iterúmque legum ac suppliciorum intentatîs fulminibus, nunquam satìs hucusque compressam *duellorum* barbariem exsecratus est: corporum juxtà, mentiúmq;, vitæ consulturus. Quam, *mentium* saltem, *vitam*, ut (quantum esset in se) Thracibus etiam importandam curaret: adnitente potissimùm toparchâ Saligniácô, Christianissimi Regis, in aula Turcarum-Imperatoris, oratore; Societatis JESU Sacerdotes hôc anno *Peram* (seu Gálatam), Achmétis assensu, post longam temporum intercapedinem, (H) introduxit (12). In hac ergò quantulacunq; demum Otomannicæ curiæ, Christianam erga rem, indulgentiâ; ne *Pacis* initæ conditiones temerè, vel à nobis prioribus, infringerentur; cautio nostris erat: eáque tam sollers, ut *Schach-abam*, Persidis regem, in instigandis ad fœderis Turcici rescissionem Christianorum capitibus assiduum, ac vehementem, offenderent: eò, quòd, superiorum annorum cantilenas iterantem, & *perfidiam* tantùm non armatîs etiam hortamentîs inculcantem, nec ad extremas quidem aures admitterent: *ne rupta fides, in auctorum capita revolveretur.*

E 4 VII. Dum

VII. Dum tamen hac ſpe conjunctionis armorum, (etſi poſtea caducâ) *Schachabas* initiô lætatur; per ejus occaſionis rimam, indulgente, ſeu diſſimulante magìs, *Perſâ*, ſed auſpiciîs tamen Apoſtolicæ Sedis, ſacerrimi *Carmelitarum* ordinis profeſſores, & Evangelii præcones, feliciter in Perſiam irrepſerunt: maximô plurimorum, Chriſto per eos adjunctorum, emolumentô. (13)

Sed & per éadem tempora, vir ſanctiſſimus, Auguſtinianæ religionis, *Alexius Meneſius*, archiepiſcopus Goanus, & Primatis Indiarum titulô conſpicuus; indefeſſis ſpargendi divini *Verbi* laboribus, & innocentiſſimæ vitæ lucidîs exemplîs, non ſuarum modò diœceſeon, ſed Perſidis quoque populos, quaquaverſum licuit, percurrens: plurimùm augmenti noſtram ad religionem faciebat. Inter eos autem, quos inveteratîs ab erroribus transduxerat in Veritatis lucem, *Armuziani* quoque *Regis* erat filius; in illa Perſici ſinûs inſulâ, quam antiquiores *Ormum* appellabant. Hic, non in Chriſti duntaxat legem, ſed, paullatim in eo creſcente fluxarum mundi rerum faſtidiô, ſui quoque doctoris in regulam juravit, & habitum; *Eremita* factus *Auguſtinianus.*

nus. (14) Et hic quidem, in hunc, quem indicavi, modum, *sæculo præsenti mortuus*; piis hominibus, Angelísque cœlestibus, lætandi factus est argumentum: quo tempore, Josephus Scaliger, scientiarum omnium jactantiâ, *mundi Cymbalum*; & Jacobus Arminius, *Bataviæ crepitaculum*, sectæque Calvinianorum *Remonstrantium* adversùs Gomaristas *Contraremonstrantes* signifer, obitu suo (sicut boni verentur) genios subterraneos exhilaravêre: *DEO mortui*. (15) DEO verò tantò magìs, ac DEO-charis-hominibus, vivebat, *beatis* insertus, alius quidam: cujus nomen æquè familiámq; totîs animi sensibus, & Arminius, & Scaliger, in detestandis habuerunt.

VIII. Decesserat è vivis Inclytæ memoriæ Vir, IGNATIUS Loyola, Societatis JESU primus, post DEUM, auctor & institutor, anno sæculi superioris millesimo quingentesimo quinquagesimô sexto: cùm esset ipse sexaginta quinque natus annos. Is ejus obitus inciderat (siquid & hoc pertinere queat ad rerum pleniorem certiorémque notitiam) in diem Julii mensis postremum, qui Divi Petri Vinculorum memoriam in fastis Ecclesiæ proximus antecedit: & in sextam

Anni Acta.

tunc hebdomadæ feriam, patienti Servatori sacram, incurrebat. Occumbentis autem vitæ, quam placidissimè clausit, hora felix, eadem fuit & illius diei, plenis jam radiis exorti, secunda. Venerabile porrò Corpus ejus, cujus sacros cineres, ossiúmque reliquias, maxima plurimáque jam Orbis orthodoxi pietas honorificè prosequitur; non nisi ligneâ tunc clausum sandapilâ, templum acceperat Ordinis sui; quod Divæ MARIÆ DE VIA nominabatur. Locus autem, quo sitæ fuerant exuviæ venerabiles, Sacellum erat majus, à dextro templi latere. fuitque tunc earum ista depositio nequaquam honorum vacua, quos in funeratum, eodem ipso tempore, certatim populi congerebat Romani confluxus; & ipsorum quoque Prócerum urbis-almæ religiosa præsentia. Sensisses, non hominem è vulgo, sed aliquem, multitudine majorem, sepultum: ut, cujus & feretrum & indumenta, lipsanáq; cætera, contingere manibus, globulísque precatoriis, agminatim contenderent. Crevit autem hæc, tanquam inchoata duntaxat, postea per gradus annorum magis magísque se protrudens confirmánsque, veneratio: tacitis insita piorum affectibus. Isque privatorum, erga

ga tumulum, ſenſus & cultus, gliſcere deprehendebatur, &, cùm annô pòſt, illius ſæculi duodeſeptuageſimô, transferretur IGNATIUS in partem ædis ejuſdem diverſam ; cœleſti ſymphoniâ diuturnâ translatum honorantibus alterius-mundi-cantoribus : & magìs, quandò poſt annos deindè novendecim, Claudius eum AQUAVIVA, totius Ordinis gubernator, templo novo Farneſiano Nominis JESU ſuprèmùm intulit. Quo tempore, ſtellulis vividè conſpicuîs radiâſſe, complurium virorum gravium ab oculis oſsa Loyolæa deprehendebantur. Dixiſses, IGNATIUM, & dum viveret, amore NUMINIS *arſiſſe*, ſicuti jugem *Flammam* ; & ab obitu, propter eruditos ad juſtitiam innumeros, fulſiſſe, quaſi *ſtellas* : *in perpetuas æternitates* radiô, Danielicîs è præſagiis, duraturô.

IX. Cæterùm, quanquam & hîs talibus interim, & quàm plurimîs per orbem omnem aliis oſtentis, valetudinúmque miraculîs, teſtimonium IGNATIO præbentibus, felicis in cœlo ſedis, & quietis : quanquam item & votîs nuncupatîs, & votorum exſolutione, per congeriem donariorum, ſplendere pæne quotidie tumulus IGNATIANUS poſset ; Socie-

Anni Aſſa.

Societatis tamen JESU præsides inprimis, modestiâ, paullatim propemodum nimiâ videri cœptâ, Parentis sui publicos ad honores prosilire nec pedem latum ausi; Supremæ sacrorum Sedis decretis omnia religiosissimè reservabant. Primos tandem ad piam audaciam stimulos admovit Ordinis timidiori verecundiæ, Cæsar Baronius Cardinalis; Vir, qualem quantúmque primô descripsi Septennio: Vir, qualem Orlandinus fine suorum Societatis-Annalium exprimit, *animô pariter, doctrinâq;, pietatéq;, magnus & acer.* Hic anni, qui sæculo superiori postremus fuit, postremo Julii die, cum Roberto Bellarmino Cardinali Farnesianam Societatis JESU basilicam ingressus; auditô ponè tumulum *Ignatianum* ardenti Bellarmini-sermone, super virtutibus, & consummatâ sanctitudine, patriarchæ *Loyolæ*; vehementer & ipse palàm exardescens, post præmissam in aspectu sepulcri prolixam precationem, & crebra pavimenti sepulcralis oscula, repentè tandem assurrexit: &, *Quid diutiùs*, inquit, *cessamus? afferte tabellam, picti vultûs Ignatiani.* Cùm attulissent, qui præsentes circùm eum erant; *Nunc & scalas*, ait, *apportate*. Cùm & has apportâssent:

con-

conscensis iis, id ætatis ac gravitatis Ecclesiæ Romanæ purpuratus, tabulam super sepulcrum, effigiem sepulti, qualis in vivis fuerat, parieti suismet ipse manibus appendit. dein, circùm hanc, & anathematum piorum donaria, sacris in adytis ad eum usque diem asservata. Secundùm hæc, regressus è scalis, *Effigiem Ignatianam* primus ipse própalam, unà cum Bellarmino, cæterisque præsentibus, venerari suspiriis, & invocationibus piis, exorsus: populi deinceps, ab eodem illô die, votis ac supplicationibus pietatis januam, exempli sui quasi clavi, reseravit, ac patefecit. (††) Romam secutus reliquus exinde Catholicus orbis; *Ignatianam*, tanquam *Cœlestis* incolæ, venerationem longè latéq; sparsit. Nec hujc populorum sensui vel Clemens octavus tunc, vel post eum Leo, nominis istius Undecimus, Pontifices intercessêre.

X. Minimè gentium verò, *Paulus* (ut in superioribus indicavi) Quintus: cùm, in Acta prodigiáq; beati viri mandatis inquirendi curis, post eas demum solerter expeditas, hôc anno, Sæculi nostri nonô, BEATIS *Ignatium* Loyolam palàm adnumeravit. Societati verò, passim, & ubique gentium, suismet in tem-

templis, Officii sacrificiiq; divini sollemnibus publicis, IGNATII recolere memoriam, & invocare fidum apud DEUM patrocinium, indulsit. Jam hoc magnum à *Paulo* pietatis in *Ignatium* specimen, & opus, erat. Nam, ut è Cæsaribus Imperatores, & Augusti; sic è Beatis demum Sancti, procedunt. Quod *Paulus* cœpit, *Gregorius* absolvet.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *In* Donawerda, *libertati veteri restituendâ. in paritate numeri & auctoritatis Pontificiorum, & heterodoxorum; dum sententia dicuntur in camera Spirensi. Circa mutationem antiquissima jurandi formula, in feudorum investiturâ. VVilhelmus Stratemannus, in Theatro historico. anno 1609.* (2) *Hos* Hispanienses *vocat Joan. Cluverus, in Epitoma, an: 1609.* (3) *Idem Cluverus, & Stratemann: ibid.* (4) *Cluveri verba sunt.* Augustanæ Confessionis sociis, Academiæ Pragensis directionem fuisse traditam. *an: 1609. Stratemanni verò:* Rudolphus II. Bohemis libertatem religionis concedit: Academiam Lutheranam Pragæ instaurat. *eod: an.* (5) *Appamiano, in Continua-*

vocatione: qui, subinde visus Augustissimæ Domui Austriacæ non æquissimus, hæc tradit in an: 1609. num. 5. (6) *Hic à Stratemanno* Marchicus *ponitur.* (7) *Is utique, qui postea, Cluveri testimonio in annum 1610. Juliacum cum Gallis, & Mauritio Nassovio, obsedit; & cum illis ad deditionem coëgit.* (8) *Psalmo 15. v. 4.* (9) *Stratemann: in annum 1609.* (10) *Cluverus, hic: & Continuator Slejd. pag. 312. & Appamianus, in an: 1609. num. 1.* (11) *Antehac enim* Missionem, *ac Sedem temporariam, hominum Societatis,* Gálatæ *fuisse; reperies etiam apud Franc: Sacchinum, Parte 5. historia Societ: libro 3. à num. 23. & lib. 5. à num. 39. Postea verò stationem illam, justas ob causas, fuisse dissolutam, annô 1586. ægerrimè licèt id ferentibus Consulibus, Gallicanô, & Venetô, ibi residentibus: invenies apud eundem Sacchin: ibid. libro 6. n. 13.* (12) *Appamianus, in hunc annum, num. 3.* (13) *Idem, in eund. annum, n. 2.* (14) *Idem, ibid.* (15) *Hac ipsâ phrasi S. Petrus Alexandrinus, hæreticam* Arii *impietatem, cœlo invisam, depinxit: quando Achillæ, & Alexandro, sibi in episcopatu successuris, præcepit;* Ne unquam Arium in communionem reciperent: *utpote,* quem *ipse* sciret, Deo mortuum esse.

Et

Et certè, ad nonnullam Ariani quoque, Meletianiq; schismatis imitationem, Jacobus Arminius, Ambstelodamensi è Pastore, Calviniane postea mataologiæ Professor Lugduni Batavorum; ac, deterior eô, successor illius, Conradus Vorstius, contra Gomarum, itidem Calvinisequum, ejúsq; sectatores, turbas suscitârant. Quo tempore, Remonstrantium *&* Contraremonstrantium *tunc primùm invalescentibus monstrosis nominibus, scholas & pulpita blasphemiis (etiam in Deum, ejúsq; Perfectiones,); Hollandiam autem litibus, procerum factionibus, armîs, pugnîs, ac damnîs, implêrunt. De* Scaligero, *dicetur infrà.* (††) *Orlandin. l.15. f. Bartol. l.4. f.*

METRUM.

ANnus, *ab incepto hôc annorum tramite* Nonus,
Pace palàm lætus, clam nova bella serit.
Islebidæ proceres, jurati in verba choragi,
Lernæum sociant; in fera monstra, caput.
Pars balba Imperii, correspondentia (1) *tendit*
Tympana: nec mutò sibilat ære tuba.
Saxonico influere ut liceat sibi molliter Albi, (2),
Contemptô Tiberî, Molda (3), *&* *Anassus,* (4) *agunt.*
Hoc nempe, hoc peperêre mali, malè consona Fratrum
Pectora; Germani nominis omen atrox! (5)
Tecta quati, Thebásque uri, Polynice furente,
Nil mirum. At, verti templa, tholósque, grave est.

Hostili

Hostili fraterna rogô se scindere busta (6),
Sit satis! Anne etiam sidera flamma petat?
Scilicet, Arbitrium *qui toto ex orbe* (7) *relegant*,
Arbitrii facient omnia jura sui?
Et Pietas *dicetur adhuc, tam lege soluta*
Impietas? *Paxne est, bella movere Deo?*
Sed, factum accusare licet; lenire dolorem,
Non licet. imbibiti vix medicina mali est.
At fortes audere tamen spes ardua jussit;
Ac bona, patronos quærere, caussa deos.
Sævum ut pacificô disturbent fœdere fœdus,
Imperii capitum mitior ordo coit.
Horum animos acuit vigiles, & pectora nexu
Astrinxit, Martis fax nova jacta, novô.
Nam, quà Juliacos, Clivóq; & Monte frequentes,
Vitifer hinc atque hinc Rhenus opacat agros,
Regulus improli Gulielmus *funere, liquit*
Sub sterili Litis-semina densa toro.
Hinc Eridis pomum excrescet: Pomum, auferet hæres:
Ipsam Eridem, tollet non nisi Troja flagrans.
HEU mihi! quem, post ista juvet præsagia, lucis
Haustus, & assiduô marcida vita metu?
Tot mala Fernandus, gentis regnator Hetruscæ,
Supremâ evasit mentis in astra fugâ.
Neu' post se Medicæa *forent sine præside* Poma,
Sub Cosmi hæredem transtulit illa fidem.
Hæc, Domus illa fovet, nemorum florente juventâ,
Hesperidum Libycis fidiùs excubiis:
Dúmq; alii nudis foliorum in plausibus algent:
Et *steriles lauros*, Imperium *esse, jubent;*
Tuscus habet Regnû: *qui, tutô in vertice*, *GRANDEM*
Stare putat meliùs, quàm diadema, (8) DUCEM.

F *Nun-*

Anni Acta.

Nunquam adeò hibernis lacrymatur Aquarius urnis,
Quin aliqua explicitò rideat hora Jove:
Nec tam subductô riget ulla tragœdia vultu,
Quin promat placidis & bona verba choris.
Sic ergò alternis etiam vos sortibus, Anni,
Dividite hinc oleis vosmet, & indè tubis.
Discite, perque rosas, perque horrida vepribus arva,
Ferre bipertitos inter utrumque pedes.
Túque adeò, nonanc, *prior, tua tristia lætis*
Spargere, Nonarum *cesset ut omen, ama.* (9)
Profeci. Jámque Annus adest, ut, turbida fatis
Nubila, dispungat candidiore die.
Vernum aliquid tandem, post multa nivosa, recenset.
Austriacum exornant Hungara serta caput:
Quantáq; adhuc superest, Corvini (10) *nominis umbram,*
In Matthia *aliô, Pannonis ora colit.*
Bætica bissenos Batavus suspendit in annos
Prœlia, Borbonij regis ab auspiciis.
Pacem idem hic & Catto optans, socia arma repressit:
Fert pacem, Marti quisquis ademit opem.
Belli idem simulacra, suis hostilia Gallis,
Fortiùs armatâ lege, duella *premit:*
Regia neu' nostro virtus se includeret orbi,
Usq; in Bosphorii transiit ora freti: (11)
Borboniique decus, per sæcula postera, regni est,
In Byzantino Cantaber ordo sinu. (12)
Christiaden (13) *probat hæc deducta colonia Regem:*
Vellem, idem & Persam tunc stimulâsset amor!
Par Schach-abæ *sanè actus erat; mens intima, dispar,*
Dum Latiis aperit rostra tholósq; Sacris.
Hic etenim, ostrini nimis acer amore tiaræ,
Cærula fœdifragas in capita (14) *ambit opes.*

Rumpere

Rumpere sed junctæ cum Achmeta *fœdera pacis,*
Christicolis pietas impia visa fuit.
Nec sanè immeritò. Pugnet vetus Hannibal astu:
Romanas aquilas non decet Afra fides.
Non tamen Arsacidæ nihil est memorabile gestum
Principis auspiciis. Persis aperta Petro est:
Romáque, Carmeli deductis monte colonis,
Cœpit Achæmenii scindere tesqua soli.
Privatisq; , parùm est, quòd aratrum profuit arvis:
Regia siqua virent Jugera, pondus habent.
Mennesiæ *fervente mitræ sub sidere, crevit*
Persica, Romuleô culta ligone, seges.
Persicus ipse Sinus (15), *rubríq; antiqua profundi*
Gemma (16), Ormus, *dives littoris, imbris egens,*
Scabra licèt siccô sabulosi pumice fundi,
Insula; nunc ipso floruit in Solio.
Regius è fluido facundi antistitis ore,
Casta Sacra, & vitæ, *filius, haurit* aquam. (17)
Néve quis ambigeret, patriæ hunc deliria sectæ,
Ac totum hæredem culminis, exuere,
Libera taurinô succingens ilia lorô,
Arcta Hipponæ (18) *migrat in antra casæ.*
Hic, cœlum digitis, & vertice sidera tangens,
Amputat in rasis & diadema comis.
J*AMq; adeò retuli, niveis signanda lapillis:*
Quêis contenta, potes, Musa, referre gradum.
Dentit adhuc in plura tamen, pruritq;, novorum
Rumor inexpletus. Quod petit ergò, ferat!
Scaliger, Arminiúsque, diem, cum hoc carmine, claudunt.
Fama, tot adde bonis, hæc duo rapta mala!

Anni Acta.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Hujus Participii barbarie, senaculi sui molitiones, insigniebant olim, conspirantes : ut indicat* in terminis, *ac loquitur, etiam Appamianus, num. 5. Alemanni dicunt :* Herren / die einen heimblichen Verstand / mit- vnd vntereinander / haben : vnter einer Decken ligen ; In ein Horn blasen. (2) *Fluvio illius partis Germaniæ, quam primam omnium Lutherus, & Confessionis Augustanæ procusor, obtrusor, immutator,* M. Philipp Schwartz-Erd / *post se traxêre :* Die Elb. (3) Die Moldau. *lat. Moldavia, & Molda, ut dictum est superiùs, Septennio I. Amnis Bohemiæ, Pragámq; traluent.* (4) *Fluvius, superiore Austriæ tractu Danubium irrumpens.* Die Enß / *vel* Aens. *unde regioni,* Das Land ob der Enß / *nomen. hac vel imprimis tunc Augustanæ Confessionis exercitium urgebat : hodie, orthodoxa.* (5) *Fratribus enim germanis, talibus, atque tantis, discordantibus ; quânam concordiæ spes esse poterat Germaniæ toti : in qua illi principabantur ?* (6) *Thebanorum fratrum illorum, Eteoclis & Polynicis, ex Oedipo Jocastâq; genitorum, rogus, in quem eorum illata fuerant cadavera ; diversas in partes sese scidit :*

dit : ad indicandum mentium, etiam post mortem adhuc permanens, dissidium. (7) *Hujus temporis sectarios, vexillifero Luthero*, libertatem Arbitrii *explodere*, & Servum arbitrium *introducere ; notius est Atticis noctuis, & ranis Seriphiis, etiam tacentibus.* (8) *De* Regia *nuncupatione, magnis Hetruriæ Ducibus conferendâ, Sixtum V.* (*an potiùs, Pium V.?*) *agitâsse, Appamianus indicat, præfatione Prolusionis suæ in Continuationem.* (9) *De* Nonarum *lævo omine cavendô, Nasonem vide, 1. Fastor. & Maron. 1. Georgic.* (10) *Rex Hungariæ*, Matthias Hunniades, *cognomentô* Corvinus ; *è Bonfinii libris notissimus est.* (11) *Constantinopolis in ipso capite ingressúq; sita est Bosphori Thracici ; contra Chalcedonem. Sophian. in Græc.* (12) *Peræ, seu Galatæ : prope Byzantium.* (13) *Imò*, Christianissimum ; *utpote*, Galliarum. (14) Persarum *Mahometismus, cujus propugnator acerrimus fuit hic* Schach-abas, *distinguitur etiam insignî* Rubri *capitum tegminis, à Mahometismo* Turcico ; *qui cidari* cæruleâ *superbit.* (15) *Sic appellatur maris ille procursus, qui hinc Arabico Sinui committitur, illinc Indico mari.* (16) Gemmam *dici insulam illam vulgò, magnam ob opulentiam, & mercimoniorum confluxum ;*

 xum ;

Anni Acta.

xum ; colliges etiam è Schoto , in vita R. P. Gasp. Barzæi , cap. de Armuzia. (17) *Baptismum. vide cap. 3. & 4. S. Joannis Evangelii.* (18) *Cœnobium, S. Augustini (qui præsul fuit Hipponensis) ascetarum.*

APOCOMMA I.

Josephi Scaligeri obitus, ex hydrope.

I. JOsephi Justi *Scaligeri* magnum (etsi nonnullis æquô veróq; visum inflatius) præconium, apud Jacobum Gillotum, in quadam ad Meursium epistolâ, prostare fertur, ex Adriani Turnebi deductum effatô : *Portentosi juvenem ingenii fuisse.* Peræquè grande, rebúsque diffusius, quàm verbîs, apud auctores libri, cujus inscriptio ,, *Virorum clarissimorum Icones Academiæ Lugduno-Batavicæ* : Tam *magnum* legitur *naturæ miraculum !* Monumenti verò, quod sepulto Leydenses posuêre, frons est hæc : *Æternæ memoriæ Josephi Justi Scaligeri, Julii Cæsaris à Burden Filii ; Principum Veronensium nepotis.* Quo fit, ut mirer, non *Scioppium* tantùm, sollemniter ei maledicentẽ , cum aliis,

Pag: 87.
Iosephus Iustus
SCALIGER, A
Bur den.

aliis, (in Hyperaspiste cumprimis,) sed & *Robertum Titium*, librô secundô, septimôq; , sparsim proclamantem, in stirpis ejus insignē contumeliam; *Avum Josephi (patrem Julii) Scaligerorum usurpâsse nomen: quoniam Venetiis* sub scalis *quibusdam scruta, sulphuratáq;, popello distraheret; ínq; tabernæ fronte scalas pictas haberet.*

II. Magìs verò stupeo *Josephum* ipsum, etsi librô quodam venditantem se, *Neminem sibi quidquam objicere posse, præter virtutem, quam objector non habeat: nullíusq; sibi conscium esse, cujus apud homines pudere debeat:* scribere tamen in epistola quadam (1) ausum; *Patrem suum, Julium Cæsarem Scaligerum, fuisse quondam Franciscanum. Ibi, Scotisticam hausisse disciplinam* (id est, post tirocinium). *indè verò, propter ἄῤῥητον quiddam* (2), *nemini detectum, abiisse. post relictum denique cucullum, ad seculum rediisse: duxisséq;* (putà, *jam ætate gravem*, ut Abrahamus Sauræus *in Urbibus* prodit; & quidem Virginem Aginnensem nobilem, *tredecennem*, cùm ipse pæne *silicernium* jam esset) *matrem suam: è qua liberos complures sustulerit.* (3) Quæ, nónne notam generi, nónne ruborem, ingerunt ? Et tamen prædicantur; ut gloriæ materies.

Josephus Scaliger.

III. Verùm nos, ab hac ejus imprudentia, revertimur ad ipsúmmet, & ad ea, quæ minùs in dubio sunt. *Josephus* hic, iis, quos indicavi, parentibus, Aginni, Gallorum Nitiobrigum oppidô, natus ad Garumnam; fratres habuit, scriptoribus memoratos, *Leonardum*, & *Janum Constantium*, Scaligeros; sororémque, sexui suo non erubescendam: ut, quæ *latinè* docta, *latinè* loqui, scriberéque, sorores quoque suas spiritales, ordinis *fontis-Ebrardi*, ditionis Aginnensis Religiosas, docuerit. Josephum ipsum, à patre Catholico, Catholicè pariter educatum; ferebant (4), *clerici* quoq; *coronâ* tenerioribus in annis insignitum: à pravæ, post hæc, opinionis *pædagogô* depravatum, ad *Calvini* sectam transfugisse. Quod adeò verum est, ut idem ipsum, ejus quoque librorum assertiones *hæreticæ*, nec paucæ, nec parùm notabiles, loquantur. Cujusmodi sunt; *Servatorem Christum, in suprema cœna, præter Rabbinicarum quarundam cærimoniarum observationem, nihil præstitisse: nihil extraordinarium instituisse. Catholicos, in recipiendis Traditionibus humanis, agere, quod olim in Pharisæis Christus arguerit. Marranorum esse*, seu Maurorum, *non Christianorum; libros hæreticorum*

corum expurgare Fidei mendis. Morem, organis in templo, cæterisve musicês instrumentis, strependi; bacchantium imitatorem esse, non Dei cultorem: aliáque scriptorum ejus deliria.

IV. Cæterùm, in *litteris*, præsertímque politioribus, antiquariis, philologicis, ac linguarum reconditiorum cognitione, celebrem *Josephus*, & prosperam, posuit operam. Biennium continuum *Græcis* impendens, iisque *tunc solis*; post evolutum Homerum, reliquos Græciæ poëtas universos, quatuor intrà menses, *devoravit* (5); seu malis, *exhausit*. Hebraicæ quoq; notitiam ingentibus invasit animîs. & verò, possidere sibi visus est. Hæc, & alia talia, juniori potissimùm, peperêre plausum; quoad, perceptarum scientiarum limites egressus, in Philosophiæ quoq; *Theologiæq;* messem, mittere falcem conatus est: &, superbiâ, maledicentiâ, jactantiæque perpetuâ prurigine, longè quoque suprà seipsum intumescens, in *mathési* tandem, & Christophorum *Clavium*, (artis eâ tempestate principem) ausus est aggredi. cuj tamen, refutanti se, respondere deinde, supersedit: quia successum desperavit.

V. *Aquâ* demum *intércute* diffluens, Lu-

F 5 gduni

Josephus Scaliger.

gduni Batavorum periit, anno sæculi decimi septimi *nonô*; cæterùm ætatis, non, (ut Continuator, & Appamianus, narrant) octavô suprà sexagesimum, sed unô suprà, quod Leydenses produnt: (6) duodecimo Calendas Februarii: *Jani* nempe mense. cujus ille sibi *frontem geminam* haud dissimulanter arrogavit: Omnia, *prorsum retrorsúmque posita*, sibi pervidere visus.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *De vita Julii Cæsaris Scaligeri, Lugduni Batavorum editâ.* (2) Ineffabile, *inquit margo prolatoris epistola.* *al.* Irretectum. *sed, priori notione, vocem* ἄῤῥητος *etiam Nonnus Panopolites capit, initiô statim Paraphraseos.* (3) *Hæc ex epistolâ Scaligerianâ profert auctor* Peniculi foriarum Elenchi *Scaligeriani*, Liberius Sanga: *pag.183. & pag.184. cap.33. Quantam autem Scaligeris hæc infamiam inurerent, fusiùs idem* Sanga *exsequitur, paginis 168. 181. 182. 183. 184. 185.* (4) *De sorore* Nonnâ *(ut ipse, diserta cæteroqui latinitatis scriptor, loquitur). tradit idem* Liberius, *eodem libellô, cap.32. pag.175. de* clericali *verò* coronâ, *pag. 138. cap.24. De propo-*

propositionibus autem acatholicis, *cap. 9. pag. 54.* (5) *Hac ipsâ voce scriptor elogii Scaligeriani utitur, in Viror. clariss. Iconibus.* (6) *In elogio, modò cit. ad finem, de anno ætatis. De die verò mensis, ei funesti, Appamianus in Contin: num. 5.*

METRUM.

Jam super Orcinæ stat Scaliger *aggere ripæ,*
Lethæô humentes siccet ut igne pedes,
Castalias qui solus aquas, Permessida lympham,
Pegaseiq; pedis docta fluenta, bibit:
Cujus (siqua fidem jactans se lingua meretur)
Vena erat, Aonii quidquid in orbe vadi est:
Mincius, Andini; (†) *Liris, Arpinatis alumnus* (1):
Et *Senecæ, Bætis;* (2) *Divonáq;, Ausonii.* (3)
Quem libâsse ferunt (& bibliotheca resudat)
Armenium Euphraten, Assyriúmque Tigrin;
Jordanémq;, Abanámq; (4) *Syrum, Medúmq; Choaspen,*
Arnonémq; Arabem (5), *purpureúmq; fretum.* (6)
Musarum hic, (quid multa?) fretum est; Sophiæq; Profundum;
Ventosæq; omnis Palladis Oceanus.
Post tot, mirer, aquas, si, intercute ruptus ab undâ,
Hydrochoi (7) *fluidô sidere, delicuit?*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(†) *Virgilii: qui à patrio vico, Andibus, ad Mincium sitô, Vates* Andinus *dicitur.* (1) *M.*

Tull.

Josephus Scaliger.

Tull. Cicero, Arpinas, haud procul patriâ suâ villam *habuit, altricem suam; Abr. Ortelio teste, in tabula Latii: ad* Lirim, *Græcè* Λίειν, *amnem sitam. qui amnis eidem Ortelio, pluribúsq; aliis, etiam* Clanis, *&* Clanius, *Glaniúsq;, dicitur.* — Umbrosa *Liris per regna Maricæ. Virgil. Cæterùm, ad* Lirim, *seu* Clanium, *Marcus Tullius Cicero, jam tum puer, apricabatur, ac meridiabatur, sub arboribus riparum, ut ipse de se satis prodit; maximè, lib. 2. de legib.* (2) *L. Annæus Seneca, Cordubensis erat. At Corduba Hispanica, ad Batim fluvium hodiéq; est.* (3) *Decius Ausonius, poëta, quem Lectionibus suis, lib. 2. cap. ult. Scaligerianæ crises retractârunt, patriam Burdégalam habuit, Aquitanicam. Burdegala verò, Fontem mirandum, nomine* Dívonam *: de quo, Nobilium Urbium metro XIII. sic ipse scribit Ausonius, potor illius.*

Salve, Fons, ignote ortu, sacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace;
Salve, urbis genius, medicô potabilis haustu,
DIVONA, Celtarum linguâ, Fons addite Divis.

Quantitatem porrò vocis Dívonæ, *agnoscit & Ricciolius, Prosodiæ Bononiensis numerô 6611.* (4) *Fluvium Damasci, Syrorum urbis: cujus est*

est mentio, *l*. 4. *reg*. *c*. 5. *v*. 12. (5) *Moabiticæ regionis torrentem*. *Moábi autem terra*, *pars jam est Arabiæ*. (6) *Erythræum*, *ad Persidis oram*. *Omnibus* aquîs *his*, regiones *designantur*, *quarum callui∫se* linguas *hic Scaliger ferebatur*: *uti mox infrà quoque relibabitur*. (7) *Latinis* Aquarii, *in Zodiaco*: *sub quo signo cœlesti Scaliger iste extinctus est*, 21. *die Januarii*.

APOCOMMA II.

Hora vitæ ultima, *sui effluxu*, *factus sibimetipsi Scaliger*.

POstquam *Josephus* (inquit elogium illius Batavicum) *operam Hadriano Turnebo dedisset*: *quia*, *destitutus aliis præsidiis*, *in doctissimo ejus auditorio operam omnem ludebat*; *in muséum se abdidit*: *&*, *in illo pistrino inclusus*, *quod ex aliis non potuerat*; *SE MAGISTRO*, *discere experiebatur*. *Vix delibatis ergò conjugationibus Græcis*, *Homerum*, *cum interpretatione arreptum*, *viginti & uno diebus totum didicit*. *Grammaticam ipse sibi*, *poëticæ dialecti vestigiis insistens*, *formavit*. *neque ullam aliam didicit*; *quàm*, *quæ ipsi ex analogia verborum*

Josephus Scaliger.

borum Homericorum observata fuit. Hæc Lutetiæ fecit, tanquam Occidentis *Athenîs redivivîs*, *litterarum Græcarum amore : quas*, *qui nescirent*, *eos omnia nescire*, *putabat.* Dixisses, & illud *pistrinum* ejus, in quo Græciæ se sic totum dabat, & ipsúmmet Scaligerum, sic effluentem in Hellada, *fontem* esse *factum* arcis Atheniensis, per cryptas labentem ; & idcirco *Clepsydræ* nomen adeptum : siqua Francisco Philelpho fides, epistolâ, quam ad Catonem Saccum dedit, JCtum l. 5. cujus initium est, *Quis te non amet?*

METRUM.

Atthide Cecropiæ fons fertur in arce Minervæ,
Cujus in irriguos concha redundet agros :
Quòdq; fluat cæcis hypogæa per avia rivis,
Lubrica conveniens Clepsydra *nomen habet.*
Sis aliis, sis ipse tibi, quodcunque mereris,
Scaliger ; Ingenii prodigium, atque styli.
Sis mare doctrinæ (*quod adhuc negat hostis*). *At istud,*
Teste vel invidiâ, Scaliger, es, quod eras.
Helladis ipsa sitis, *tótque undique Phocidos haustis,*
Exhaustísque, ipso fontis ab ore, libris,
Omnis Mopsopiæ puteal, cratérque, scatebræ,
Argolicas Batavâ sub scrobe trudis aquas.

Atti-

Attica, *quid dubii est, quin* Clepsydra *jurè voceris,*
Scaliger? Hoc tibi dant vita, *librique, decus.*
Nomen idem mors *ipsa tibi jam clamat in aurem*;
Clepsydræ effluxit gutta suprema: Veni!

APOCOMMA III.

Scaliger,

Grammaticus & Philologus πολύγλωσσος.

I. Titulô *Grammatici Philologiq;* celeberrimi, Gallum hunc Appamianus condécorat. A *linguarum* quoque, quas orbi venditavit, multitudine, sui *Suum* appellavêre *Mithridaten*; putà, Ponticum. Sleidanæus quoque Continuator, ad libri quintidecimi principium, affirmat; *præter* Romani *Græciq; sermonis libros, eum Hebraicos etiam, Chaldaicos, Syriacos, Arabicos, Persicos, & Armeniacos, post se reliquisse, præcellentî laude.*

II. Vellem, idem & stylum habuisset, *linguámq;*, *MODESTIÆ!* Quam in eo virtutem, marmor quidem ejus sepulcri Lugduno-Batavicum prædicat; ipsa verò scripta Scaligeriana negant. in quibus viros, fastum ejus,

Josephus Scaliger.

ejus, & *Appionis* in eo *cymbalum* inane, non ferentes, invadit *Asinis*, *Antichristis*, *belluis*, *bestiarum postremis*, *calumniarum sterquiliniis*, *larvis*; *lutô*, *stercoribus maceratô*; *scarabæis* item, *&* *diaboli stercoribus*, *aliisq; multis*, virum stylúmq; *temperantem* dedecentibus, sputîs. (1) Quæ Josephus hic cuncta procùl habuisset; si γνῶθι σεαυτόν illud Delphicum in corde; meminissétq; , se, *Grammaticorum* licèt *caput*, Quintiliani tamen de consilio, librô primô, *Non omnia*, nec solum, *scire debuisse*: vel certè, nôsse præ cæteris omnibus, à Robertô Titio seipsum quoque nominari, *Pædagogorum sterquilinium*. (2)

TESTIMONIA.

(1) *Sanga, in Elenchum ejus. pag. 16. & pag. 147.* (2) *Idem, pag. 178.*

METRUM.

POst *obita innumeris dispersa volumina chartis*,
Unde aliquis Veri *debuit ire nitor*,
Calvini *tamen urget iter*, *tenebrásq;*. Videntem
Se solum, *atque Aquilam*, *Scaliger esse putat*.
Hinc criticâ & Matrem suspendit nare; Patrúmque
Sacra, nepotini (1) *fronte supercilii*.

Scili-

Scilicet, oblitus Veronam, *ac stemma suorum,*
In quo Calvini *nota* nec umbra, *fuit.*
Quæritis, Unde inopi sit tanta superbia menti;
Aut, tam docto, acies nubila? caussa nova est.
Cùm sit Grammatici *laus non postrema* periti,
Et Nescire aliquid, *nequid in arte nimis;*
Grammaticum *ne se non Scaliger esse probaret,*
Omnia cùm nôsset cætera, Se latuit.

NOTA.

(1) *Memineris, lector;* Josephum *hunc* Scaligerum *in Leydensium illo, quod superiùs afferebamus, elogiò, dici* Principum Veronensium NEPOTEM. *vnde Scaligero suus tumor, & crista; cùm è diverso,* Trium (*quas inscribit*) Capellarum *auctor, anno 1608. titulum eidem condat istum:* Ad Josephum Justum Burdonem, Julii Cæs. burdonis Filium, Benedicti burdonis Nepotem. *Quis autem non videt; quantum inter* caminum, *ac* Phari turrim, *tantum & inter* burdonem, *&* Principem, *intérq; Principis & burdonis Nepotem, intercedere discrimen?*

ANNUS M. DC. X.

ANNI M. DC. X.
Gestorum
SYNOPSIS.

I. QUemadmodum Mauritaniæ mons amplissimus, altè, longéque sese porrigens, *Atlas*, ingentem occidui Solis Oceanum illum à se nominat, ut is *Atlanticum mare* dicatur; interímque tamen, atrocium ei tempestatum, aliâs auctor, aliâs autem impulsor, est: parì ferè modô, numerorum annalium primus *decussis*, Latinorum litteram X. referens, Annúmque præsentem efficiens in ordine suo *Decimum*, variorum ubique motuum & calamitatum, quodammodo *Cruce*, quam *Santandreanam* vulgus appellare suevit, insignivit; paucissima *bona* multis *malis* per obliquum intrudens: ut impræsentiarum ostendemus.

II. Et inter *fausta* quidem, Divi *Caroli Borromæi*, referamus licèt, plenam à *Paulo* *Quin-*

Quinto factam in Superos, *Sancti* cum titulô, rescriptionem. (1)

Statim eam, ejusdem Pontificis illius religiosissima solertia mundo Catholico, quà per ænea cæteríque metalli Sigilla sacra, quà per Imagines, tabellas, ararúmque picturas, publicandam curavit: S, litterâ nomini CAROLI præfixâ, cuj B, fuerat, ad eum diem antehac, præscripta nota. Cùm autem, annô primùm superiore, (sicut dicebamus suis locis) divus IGNATIUS Loyola BEATOS in Cœlites rescribi palàm cœpisset: tunc & illô statim, appellatione talî præsignes ICONES *Ignatianæ*, propositæ videbantur; haud minùs, ac, *Sanctorum* cum insignibus, imagines *Borromæanæ*: tum, hôc ipsô subsequente sæculi nostri *Decimô*, tantopere jam increbuerant; ut omnium passim in manibus ac veneratione versarentur. Ad eas, utì præmia diligentiæ, juventus in scholis discebat. Ad ea munuscula, Pietas in templis Catechistica, scitationibus ac responsîs alternatîs exercebatur. Denique, tum affectûs religiosi caussâ, tum adversùs lemurum ac sagarum importunitatem & insidias, penetralia domuum *Loyolæis* picturîs fulgebant. Sacrarum item ædium

(1) Anni Acta.

parietes & Aræ ſplendebant: & ad Imaginum earum aſpectum, vota, precéſque nuncupabantur. Trahebantur autem ad iſta pii cultûs obſequia mortales, jam olim edi cœptis, ad invocationem BEATI viri, ſanitatis impetrationibus, partuum difficillimorum expeditionibus, aliîſque majoris etiam ordinis miraculîs, ac beneficiîs, naturam ſupergreſsîs.

III. Ex hac ipſa tamen novi *thaumaturgi* claritudine, quæ párere debuerat auctori *reverentiam*, & *amorem*; è contrario, naſci ſtatim *Odium* ei cœpit, & *Invidia*. Signifer *Odiorum*, Sathan, ſuas in partes inſtigabat è Sectis quoſdam. *Invidiâ* verò (felicium germinum ſceleſtâ teredine) tabeſcebant quidam, ex ipſis etiam *orthodoxis*; quódque nefandius eſt, Solitudines ſacras *per vota trigemina* profeſsîs. qui, quod Indigeti recenti *lucis* accedere videbant; id *priſcorum*, Inſtituti ſui, *Cœlitum*, tenebras ac nubem eſse, foréve, ſed *perperam*, interpretabantur. DEUS enim idem & *veterum* eſt, & *novorum* opifex Admirandorum: utrobique parî ſemper majeſtate glorioſus, in Sanctis ſuîs.

IV. Ex illa porrò prioris generis malevolorum claſse, præter Tartari regem, & phalangas

langas illius, extitit, haud ità multò pòst, detestabilis exploratoris, & hypocritæ ſucceſsor, *Haſenmilleri*, Borealis cardinis frigidus alumnus quidam alius. qui, Græciæ facilè totius ignarus, Græcanicô ſe tamen nomine conatus eſt *Alitophilum* appellare: cùm *Alethóphilum* reipſâ (ſpecioſô quidem, ſed mendaciſſimô, *Lacrymarum-Veritatis* titulô,) lectori profiteretur. Is in eo, turpitudinum, obſcœnitatum, & impietatis pleniſſimô, *Pſeudeuphormione*; cùm paſſim, & plurimùm onuſtîs, Satyræ plauſtrîs in IGNATIUM invehatur, ſub *Acignii* larvâ: queritur, *Sole vultum hominis, quaſi perſonâ tegi. micare, partem in omnem contortos, radios: ingentiſq; multitudinis oculos ſuô fulgore perſtringere. Fieri proinde paullatim, ut ad illius in tabulis picturatis conſpectam majeſtatem religioſam, alius, elatîs in ſublime manibus, aſcititiam ejus gravitatem miretur: alius, in ora pronus, alius genuum flexu, quidam votîs; alii donîs etiam, & humili cultu, quaſi DEO, ſupplicent. Præcipuè verò*, ſuperſtitionis iſtius reos eſſe, *ſordidæ conditionis viros, ſenes effœtos, puellas ſimplices, puerósq;*, ferulis *objurgari ſolitos. Adulteras quoque matronas; lenones impuros; ſpintrias famoſos: &, quiſ-*

quis alius, aut aquis ablui crimina putet, aut tralatitiâ Confessione tolli.

V. Torquebantur hæc omnia dicacis Impietatis scommata nequam, in BEATUM *Ignatium*, cœlestibus adscriptum; & à terrarum incolis honoratum. Cujus quidem maledicentiæ compositori scurrili, (quem *Omnia prorsus contraria*, refutant) quódnam *à morte* præmium Justitia divina rependerit; ille nôrit, qui sentit, & experitur. *In vivis* autem, profectò *Virgines* illum *Musæ* destituerunt omnes; quippe suîs, passim interspersîs, versiculîs, adeò graviter hallucinantem: ut *ferulis*, non *pueri* (de quibus scurratur,) sed ipse potiùs, quoties contra *Prosodiam* omnem delinquit, *objurgari* mereatur. Monstrabunt id, huic *gestorum synopsi* subnexæ, NOTÆ: (*) quæ frequenter nuclei plus, quàm, quantum putamen ostentat, claudunt: ideóq; non semper inter *Rejectanea*, transitúque digna, collocandæ sunt.

VI. Cum *posterioris* autem generis *Ignatio-mastigibus*, severiùs, in hac quoque vitâ, plusquam semel actum est, à Numinis vindictâ. Cuj rei testandæ tragica compluria deprehensa sunt experimenta. sed è *multis* hic *unum*

unum, aut summùm alterum,(quoniam primũ, hujus ipsius & *Septennii* pariter est, & *anni*, nósq; properamus ad alia,) sufficisse vel *avido* debet. Id & ante me *Daniel Bartoli* narravit, IGNATII sui quintô libro ; brevitérque sic habet se rei casus.

Annô, quem dixi, quémque nunc exsequor, Decimô, ponè *Cordubam*, in Hispania Bæticana, Societatis JESU quidam, ex eorum numero, quos, operas, & *Adjutores* domesticos, appellant, negotii nescio quid, alimentis necessarii, prope molam aquariam agebat. In hunc, rerum suarum satagentem, otiosus nonnemo Religionis alterius incurrens ; fanda cœpit in eum, & infanda, nullâ re voculâq; provocatus, evomere. dein ab eo, totum illius in Ordinem factô criminationum transitu ; sub extremum haud pepercit, quin & in ipsum Ordinis Patriarcham, *Loyolam*, anno proximè lapso BEATIS adscriptum, conviciis ac sarcasmis improbissimis baccharetur. Inter hæc autem, haud verecundiæ minùs, quàm reverentiæ cœlestibus debitæ, contemptor ; omnibus sibi detractis indumentis, in molæ, quam memoravi, profluentem, sese nudum impudens immittit :

ac *natatione*, cujus peritissimus erat, corpus æstuans refrigerat & oblectat. Redeunti verò, post paullum, Societatis *adjutori*, semet, & agilitatis artem in frangendis aquis, ostentans; *Reverteris*, inquit, *bone vir? Bonum factum! sed, Quis mihi det, ut, meas hîc inter ulnas, tuum, ac tuorum, teneam Ignatium? Eum ego, mediusfidius! sic acciperem, ut, à me prælargè potatus hôc rivô, nunquam in posterum sitiret.*

Dixit hæc blasphemus: minatus est: mersus, ac submersus est, molaris instar lapidis: & interiit. Gesta sunt hæc omnia, sub *unum* oculi nictum, ac *momentum. ex quo momento* tamen, urinatoris istius *pependit æternitas.*

VII. Neque tamen hic, tam luctuosus licèt, ac manifestus, interitus, sub hoc ipsum paullò pòst Septennium, alium alterius Instituti, vulgò sanctissimi, Burgundionem, Arbosianum tunc *Ecclesiasten* prope Dolam, absterruit: quò minùs, & ipse petulanter in *Ignatiana* ludens, quà *merita*, quáque *curationum* miracula, *novámq; Beatitatem*, conviviô plenô proclamaret; *Non ultra dentium dolorem sopiendum, illius Cœlitis ascendere sanandi potentiam.* Quem, post tertiam exinde septimanam,

nam, ipsis alteris Paschæ Sollemnibus, item in convivio, tenentem cyathum, ac, nescio quid, inter potantes dicturum, repentinus invadens, immani cum cruciatu, *dentium* (ut ipse clamabat) *dissilientium* fragor; in amentiâ rabidâ mugientéque post triduum extinxit: *dentem pro dente*, velut lex divina jussit, (**) cœlesti vindictæ *reddentem*.

VIII. Ab hoc *Sanctitudinis*, publicè declarandæ, periculo, quò se Trebnicensium antistita virginum quàm longissimè removeret; factô transfugiô, profanas ad nuptias; ejuravit. Nec cætero mundo sua, pro more, defuit adversùs numen irreverentia *gigantomachica*; quæq; sanis rerum æstimatoribus videri digna posset, quam subinde, jactîs ex alto flammîs, cœlum feriret; ac grandinosîs nimbîs aura lapidaret. Recordamur igitur, annum hunc, siquem ullum alium ætatis nostræ, tempestatibus (æstate præsertim) atrocissimîs, vulgóque perniciosis, exarsisse. (2) Procellas autem illas, in terra sævientes, æmulatæ sunt, in aquarum regno, non mitiores Caurîs ac fulminibus, furiæ belli maritimi: quæ, piratas barbaricos passim insectantibus Florentinorum ac Melitensium classibus, me-

diterraneum pelagus inquietârunt: hinc quidem Turcarum, illinc autem Africanorum prædonum, multiplicî clade fluctus inficiente. (3)

IX. Graviùs autem adhuc, & *Africa continens*, suósmet inter sese commisit indigenas; *Fessæ* nempè *Marocchiiq;* reges. quos, jam olim hostiliter discordes, posteaquam *Muléus Sidanes* tandem bellô contusos, aciéq; victos, soliis suis dejecit; omnem illam, ad Occasum sitam, Africam suæ possessionis fecit. At ea ne perpetua *Sidâni* maneret; patruus ei *Xequus* (4) obstitit, rebellione motâ. Qui tamen, etsi causâ (quod nemo dubitabat) potior, armis autem & copiis inferior tum esset; ad Hispanicas confugiens opes, Philippo Tertio, (qui pecuniam in stipendia subministrabat) se clientem addixit: eíq; *Larachiam*,(5) Africæ littorum, infrà fretum Gaditanum, munitissimum propugnaculum, non modò *depactus* est; sed & *reipsa* postmodum, ut auctoramentum ac pignus fidei, præsidiô nummis corruptô, tradidit: meritò ratus, *Aliter Pœnis ac Mauris, nisi mercato, non credi.* Succursum igitur hoc pactô *Mauris exterio* est, à Philippo.

X. *Mau-*

X. *Maurorum*, è diverso, terras adhuc Hispanicas *incolentium*, corruptior fuit caussa; quàm, quæ sanari, nisi *resectione*, posset. Eruperant enim jam dudum, & adhuc in dies invalescebant, indicia, non solùm malâ fide susceptæ tractatæque *Fidei Christianæ*; sed & *Fidelitatis*, regi suo juratæ. Ferebantúrque, famâ passim probabili; præter Turcas, & Mauros Africanos, insuper & Britannos, *Insulâ* clausos, & à *continenti* Celtas, in regis ac regnorum ejus interitum evocare. Quibus proinde malis præsecandis, ferrô visum est opus fore, profundiùs penetraturô. Repertus est gentis illius numerus, ad *novies centenûm millium* facilè summam excurrens: immane, vel regio fisco, vel Hispanicis ærariis, momentum futurus: & è copia tributorum ingens, si retinerentur, compendium; si pellerentur, detrimentum. Pulsi tamen, sartæ tectæ conservandæ Religionis studiô, (quo Philippus ardebat); pulsi sunt, inquam, omnes in Mauritaniam *transmarinam*; pársq; constipatione tot millium in navibus elisi; pars, appéllere naves ad Africana littora vetiti; multi, longinqua portuum, inter incommoda navigationum, sectantes; alii, diversas in terras, insuetósque

Anni Actâ.

tósque sibi populos, ejecti, mille moriendi viîs interierunt.

Facta sunt hæc ab *Hispanis*: incassum interim adversùm hæc insurgente maledicô *Cluveri* stylô (6), *mirantésq; multos*, nescio quos, comminiscente; *Jesuitas, qui peregrinas, & longè dissitas*, (ut ipse loquitur), *animas lucrari nitantur*, tantæ Maurorum *multitudinis, suis in oculis versantis, neglectores, ad certum eam exitium expelli sustinuisse: cùm inter tot millia, puerorum præsertim & mulierum, reperiri dociles animæ potuissent.*

Quæ *Cluverus* dum dicit; suopte se (quod in adagiis est) gladiô jugulari, non videt: utpote, qui, narrationis suæ statim exordiô, spontè fateatur; *Mauros illos, malâ fide Christianismô tinctos.* Quasi verò, qui semel inveteratè malus deprehensus est, non judicari soleat, talis semper futurus? Aut Æthiops, aliquando jam accuratè lotus, neq; tamen in candorem versus; sperari debeat, iteratô lavacrô futurus Europæus, ac Belga? Tanquam item, vel parùm *Societas*, in reducendis à pravo sensu *Mauris*, semper, & aliîs in Hispaniæ regnîs per alios, & novissimè per Joannem Albotótum, (7) circa Granátam Hispalímque, contentione

Digitized by Google

tentione summâ, laborârit? vel, (quoniam *puerorum ac mulierum* instructionem adeò *Cluverus* urget) aliquid, aut puerô posſit inconſtantius, aut fœminâ (præsertim Maurâ Punicâque) *dolosius* fallaciúsq; reperiri? Tanquam denique, si Mauricum genus, etiam universum, à *Jesuitis* ad sacra *Romana* transferretur; eô nomine magnopere lætaturus *Cluverus*, vir Lutheranus, esset: *Romanensium* (velut ipse passim nos appellat) juratus hostis?

XI. Sed nos, à nugis *Cluverianis*, ad severiora *Persarum* regis gesta narrationem convertamus. Hic *Schach-abas*, idem, qui semper antehac, in *Turcam*, hôc etiam inventus annô; nec paullò ferocior: populorum Orientis Aquilonísq; sui *myriadas quindecim* in Assyriam rapit. Indidem autem Chaldæam irrumpens, & Babyloniam regionem, castrîs ibi collocatîs, depopulans; *viginti* quidem *millia* Turcarum ad Arciron, *altera* verò *viginti*, gentis ejusdem, ad ipsam Babylonem *millia* trucidavit. Iis verò prœliîs, elapsos è mortis vicinia, tum paucos quosdam alios primorum ducum, tum & *Nasuffum* fugavit *Bassam*; supremũ expeditionum illarum prætorem. Hic, è fuga Byzantium denique repetere, magis non

non erubescens, quàm non veritus; ut vulgò, *Semel afflictis omnia sunt infida refugia*, fortunæ potiùs culpâ, quàm meritorum, inclementer excipitur: cum ducibus aliis, arcuum Turcicorum nervô strangulatus. Inter Bassas porrò, seu Purpuratos Achmeticos, & *Scribanius fuit*, (ut eum Appamianus appellat) Alépi prætor: & Gamblátus, eidem auctori Gambolátus dictus, ac Syriæ Damascénæ gubernacula tenens. quem nonnulli tamen (8) ab Alepiensi satrapâ non discriminant: *Scribanii* mentione prorsus dissimulatâ.

XII. Cæterùm, adversùs Achméten *Scribanius*, antehac (seu, quisquis *Alepiensis* ille prætor extitit) arma seditionémque moverat. Præliô verò postea contusus, ab Achmetæis; & post fugam, partium suarum opibus destitui cœptus: Achmétis denique gratiæ, fide promissorum, adversùs *Persam* militandi, datâ receptáque, supplex adrepserat. Nunc autem, promissa repræsentaturus, cùm & adversùs *Schach-abam* malè pugnâsset, ac denuò, sicut antehac, terga vertisset: ad Achmétem indidē insidiosîs retractus blanditiîs, capite fugaces pedes, cum Gamboláto, luit. Verùm, quod remedium fore motuum, plexîs seditionum vete-

veterum ductoribus, & castigatîs victoriarum interceptoribus, visum fuerat; id novam ad inquietudinem valuit. Exasperatîs namque, per omnem passim *Minorem Asiam*, (9) & in tot purpuratorum necis ultionem ardescentibus, factiosorum animis armîsque; bellatum multis in locis ac regnis est, immanî plurimorum Turcarum cæde: quæ, ne Tartaricîs quidem tunc Chami-magni (cæteroquin Achmeti jure stipendiorum obnoxii) subsidiîs adjunctîs, sisti, sicut aliîs antehac bellorum tempestatibus, potuit. Nam, sub idem ipsum tempus, & in Scythia Tartarica turbatum haud parùm erat: cùm, è vivis raptô Chamô, frater ejus, filio Chami relictus tutor, principatum, pupillo servandum, pedetentim in sua jura per injuriam traheret. Qua re, nepotis, ac clientium, ei studentium, in se concitatîs armîs; experiri prœlii fortunam coactus est. Sed, quadraginta millium utrimque militum occidione, victor nepos, patruum profligat: & rerum is denique, qui *debebat*, potitur; qui *volebat*, extorris, alienis in terris contabescit.

XIII. Cæterùm, eâ tunc Scytharum inter sese contentione securior, *Polonia* rex, *Sigismundus*; in Lituaniam arma convertit. Ejus namq;

namq; tetrarchiæ principem ac firmissimam urbem, ad ingentem fluvium (quem multi Borysthenem antiquorum esse rentur) sitam, (10) *Smolenskum* nomine, jam dudum spes regis illius animô versabat. Hinc, invitô Sarmatâ, Moscis aliquamdiu regnatam, eam ad vetera Poloniæ jura possessionémque reducere constituit. Et quoniam hæc, non armîs modò virísque contra vim exteram munitissima, sed ipso quoque flumine, vallô, mœnibus, arcísq; situ, speciem præ se ferebat *inexpugnabilis* loci: fortissimâ Sigismundus eam obsidione cœpit hoc anno premere; sed in alterum demum annum votô potiturus. quo tempore, *Smolenskum*, à Polonis, & ipso rege, semper præsente rebus, occupatum; ducentorum facilè millium è Moscis, & multorum ex obsidentibus, interitu, victori cessit. Inter hæc autem, & alia Polonorum multitudo, diversîs alibi, patentibúsque campîs, nacta Moscum, & aggressa prœliô; strenuè felicitérque rem gessit: præter memorabilem editam hostium cædem, insuper & *Svvipskiô*, (11) qui nuper illi præcipitato *Demetrio* DUX Magnus fuerat suffectus, unà cum fratribus ejus duobus, captô; rigidéq; principiò, nec tamen pari rigore diu, custoditô. (12) XIV.

Septennium II. Annus 1610.

XIV. Sed hæc, ab *Imperii* quidem terris ſicuti remotiora, ſic pariter ignotiora; non tamen, penitùs prætериri, conveniebat. In *Germaniæ* verò viſceribus, & ſubjectis *Aquilæ* regionibus, quas belli faces Prócerùm factio, ſuperiore cumprimis annô, ſuſcitare cœperat; eaſdem & hôc propagare magnîs incrementîs pergebat. Miſtus inter ſe conſiliis perplexîs, & arma cudentibus, òmnis propemodùm Imperii *Septentrio*, nunc vel maximè fervebat: cùm, ecce, *Friderici* IV. *Palatini* mors, mediis arcanorùm meditamentis interveniens, *filii*, ſibi cognominis, (13) tutelam *Bipontino Duci*; conſiliorùm verò reliquias, & præſegmina, *Chriſtiano* translegavit, *Anhaltino* Principi. Qui poſterior, in ſuam, patroníque, factionem, omnes paſſim, religioni ſuæ concolóres, ſollicitabat; in eo potiſſimùm *tablino*, quod ab eo poſtea nomen invénit. In id ſenaculum, alius ſuper alium, certatim nomina dederunt, *Proteſtantium* (quos ſe vocabant) *reliquorum*, præter eos, quos ſuperior annus recenſuit, numerus ingens. Inter quos nominari, non indecorum ſibi ducebant; Onoldſpacenſis Marchio, Joachimus Erneſtus; Mauritius, Comes Naſſovius, cum Batavis ſuis;

Quindecim civitates, *Imperialium* titulô, quàm *Imperatoris* obſequiô, præſigniores; gentes ad Albim; Haſsi; Sénones Aquilonaris Germaniæ. (14) quibus omnibus, & pluribus aliis, animos addere ferebantur (ſi rumores, atque res, ſemper congruerent) auxilia Britannica miſsa: gentis autem alterius vicinæ, non impromptiùs promiſsa.

XV. Quidquid id molitionum fuerit: *Hala* certè *Suevica*, (quaſi Vulcaniæ cujuſdam Líparæ) vigebat etiamnum, & in conatu pergebat, anni ſuperioris inflata follibus, curarum & armorum officina: per cauſsam maximè *controverſiæ Cliviensis*: Mauritiô cum Batavis, inter hæc, *Juliácum* (quod anno ſuperiore dicere cœperamus) ſibi ſubigente. (15)

Sed inter iſta, non deſtituêre Cæſaris ac religionis avitæ partes; Leopoldus Archidux; Germania Pontificia; ſuppetiæ militares Italorum; & ex Hiſpaniis auxiliorum conſiliíque fulcra. denique, quidquid ferè prócerum imperialium *Catholicô* tunc nomine cenſebatur. Horum plerique, quod annô jam præteritô (ſicut in loco diximus) *Herbipoli* meditari cœperant, curas ſuas cogitationéſque conjungere tantò ſtudioſiùs urgebant; quantò magìs acce-

Digitized by Google

accelerari belli-mala foris intúsque videbantur. Nec fregit consultationum constantiam, injectus sub idem ipsum tempus, ex *vano* quidem ille, sed tamen sonori clangoris, armorum Galaticorum, (tanquam Germaniis imminentium,) terror. Longè minùs verò metuebantur, Sigismundus *Bathor*, & Waywodæ quondam *VVallachi* superstes *filius*; rebus Transsylvanicis inhiantes. Neuter, inquam, metuum istorum consulta Principum aut dissipavit, aut abrupit: quippe, formidinum caussîs interea vanescentibus. *Bathor* enim, ac *VVallachus*, in ordinem jam antehac redacti; nunc, Cæsare mandante, catenîs onerati, Pragam abducuntur: ubi quàm arctissimè, nullâq; tunc recuperandæ libertatis spe, custodiebantur. (16) Interim, Galliarum rex, Henricus IV. pridie Maji mensis Iduum, anni *lætissimò*, regnorum verò suorum *mœstissimô*, tempore perimitur; *Francisci Ravajllaci* furiosô cultro. Cujus occisi regis *cruore*, tota *rheda* basilica; *Fletu* verò funeris, universa *Gallia*, natavit. (17)

Anni Acta.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Appamianus, in Annum 1610. num.* 9.
(*) *Paginâ 445. Editionis Amsterodamensis Blaeuvvanæ, in 16.*

Quid non cessantes *custodis* in arbore fructus?
Custodis, persona 2. numeri singularis quartæ conjugationis verborum. ἵνα τί φυλάττεις; ἢ τί τηρεῖς καρπούς; *Carmen, & spurcitiæ plenum, & petulantiæ, contra legem Juliam, de Adulter.*

Eodem carmine, pag. 446. – dolorem
Depellunt; demtísque *solers* clementia sulcis. *pro*, demptísque solers. *Cùm Virgilii contrà sit* – pecudum custodia *solers:* & omnes præterea Classici, vocis hujus *Solers, primam producant.*

Pag. 456. post principium.
Si *peris*, ecce perit tecum tua Gallia, saltem. –
Audis, sentis, nescis, peris. nónne, ceu Quartæ conjugationis Secundæ Singulares, omnes ex æquo longam habent ultimam?

Pag. 461. Tuúsque cedet Gallico *Chiron* Herculi. *Senarius est Jambo-tragicus.* Chiron *autem, utpote Græcis ac Romanis per* ω, *seu* O ma-

Digitized by Google

O magnum, *scribi solitum*, *syllabam secundam non producit*, *ut Alitophilus iste*; *sed longissimam necessariò habet*. χείρων, ωνος. *Hoc est ergò* χειρώνιον ἕλκος, Vulnus Chironium, *id est*, *Sana poësi* immedicabile.

Pag. 497. Hi tibi sint fluctus, multâ pro *Ligeris* undâ.

Quis, *ante hunc*, *poëta* Ligeris *fluminis syllabam primam extendit?*

Pag. 474. Quòd ruit è prima *Cœlorum* Acignius arce. *& idem alibi*, In *cœlis*, & in terris. *Quænam pura Latinitas* Cœlo *numerum* pluralem *indulsit?*

Alia plura transeo: *Duo*, *triáve*, *nequeo*. *quorum unum effutiit homo*, *totius & Græciæ rudis*, *& Parnassi*.

Pag. 448.

Sustine. quódque petet, facilis concede precanti. *Mone*, *doce*, *habe*, *jube*, *place*, *cæteraq*; *Imperativi personæ singulares secundæ*, *Conjugationis Secundæ*, *præter Cave*, *& vide valéq*; *in Compositione*, *Videsis*, *Valedicis*, *ultimâ in omni Helicone producunt*. *sic*, sustine.

Alterum pag. 457. *ad princip*.

Ille erit, ille tuæ *Salus*, & tutela, senectæ.

O hominem, *in* Salutis *nominativo*, *syllabâ poste-*

H 3

Anni Acta.

nece Henrici *IV. in hunc annum, num. 3. cujus verba sunt ista quoque* – Cum copiosissimi sanguinis effusione, voce & vitâ illico amissâ (*putà, post ictum cultri alterum*). *post ictum enim primum, exclamâsse fertur ab* Hartvvico *Perefixe, Parte 3. vitæ* Henr. *pag.* 638. Sum vulneratus! *post secundam autem plagam*, gemitu *non nisi* unicô *suspirans, interisse. Accidit autem ea cædes* 14. *Maji, circa 4. vespertinam: & quidem annô (quem probè recordamur,* 1610. *ut & ex eodem* Hartvvico *deducitur pag.* 626. *ad med. adjunctâ ei & paginâ* 636. *versu* 10. *ante fin. Non igitur annô M. DC. IX. quod, Teutonicis tamen numerorum notis illi fatali anno appositis,* (1609) *sub ipsum ejus finem, affirmat M. VVilhelmus Stratemannus, Osnabruga-VVestphalus. Qui interim,* Se falsum *in hoc non advertens, ejusdem illius paginæ (quæ* 1106. *est) duobus postremis versibus*, Falsò Jesuitam Becanum provocare ad Debelium, *pronuntiat: alieni nempe oculi* festucam *comminiscens; oculi verò domestici* trabem *non videns*.

M E-

METRUM.

Qui rerum color Oceano est, quem nubifer Atlas
Immensâ aërii despicit arce jugi,
Turbationq; stupens, indignatisq; profundum,
Limite, quas ab se nominat, arcet aquas;
Castigátque fremens maris omnem ad Maura ruinam
Littora, & infidâ mista elementa fide;
Cùm, post exiguum concessum Hyperionis (1) usum,
Omne cavâ cœlum nubila nocte trahit:
Cùm Notus in Boream, Zephyri bacchantur in Austros;
Cùm fluit undâ æther; cum natat igne salum;
Naufragiis cùm instrata vagis Nereia regna,
Vela, rates, mortes, & chaos omne, vehunt;
Funera cùm vivis miscentur, & infima summis;
Cùm clavus simul, ac dextra magistra, fluunt.
HAUD aliam mundi faciem circumspicit Annus,
Torva decussatâ quem trabe forma notat.
Insubricum Superis dum adscribit Roma galerum (2)
Purpureô stellam suscitat igne novam.
At polus inferior, Divûmq; ignarus Olympi,
Immiti invidiâ sidera vera gravat;
Densa per æstivos dum spargit fulmina Cauros (3);
Dum tremula assiduâ grandine tecta crepant.
Disjecta hinc trifidis turrita cacumina flammis,
Et nivis adstrictæ marmore terra latens.
Nec freta, quàm terras, respexit amantior æther;
Tuscô, inquam, & Lybicô littore septa, freta.
Turcarum infelix variâ piratica clade,
Pavit inhumanâ squammea bruta dape; (4)

H 5 Mar-

Anni Acta.

non erubescens, quàm non veritus; ut vulgò, *semel afflictis omnia sunt infida refugia*, fortunæ potiùs culpâ, quàm meritorum, inclementer excipitur: cum ducibus aliis, arcuum Turcicorum nervô strangulatus. Inter Basſas porrò, seu Purpuratos Achmeticos, & *Scribanius fuit*, (ut eum Appamianus appellat) Alépi prætor: & Gamblátus, eidem auctori Gambolátus dictus, ac Syriæ Damascénæ gubernacula tenens. quem nonnulli tamen (8) ab Alepiensi satrapâ non discriminant: *Scribanii* mentione prorsus dissimulatâ.

XII. Cæterùm, adversùs Achméten *Scribanius*, antehac (seu, quisquis *Alepiensis* ille prætor extitit) arma seditionémque moverat. Præliô verò postea contusus, ab Achmetæis; & post fugam, partium suarum opibus destitui cœptus: Achmétis denique gratiæ, fide promissorum, adversùs *Persam* militandi, datâ receptáque, supplex adrepserat. Nunc autem, promissa repræsentaturus, cùm & adversùs *Schach-abam* malè pugnâsset, ac denuò, sicut antehac, terga vertisset: ad Achmétem indidē insidiosis retractus blanditiis, capite fugaces pedes, cum Gamboláto, luit. Verùm, quod remedium fore motuum, plexis seditionum vete-

Digitized by Google

veterum ductoribus, & castigatîs victoriarum interceptoribus, visum fuerat; id novam ad inquietudinem valuit. Exasperatîs namque, per omnem passim *Minorem Asiam*, (9) & in tot purpuratorum necis ultionem ardescentibus, factiosorum animis armîsque; bellatum multis in locis ac regnis est, immani plurimorum Turcarum cæde: quæ, ne Tartaricîs quidem tunc Chami-magni (cæteroquin Achmeti jure stipendiorum obnoxii) subsidiîs adjunctîs, sisti, sicut aliîs antehac bellorum tempestatibus, potuit. Nam, sub idem ipsum tempus, & in Scythia Tartarica turbatum haud parùm erat: cùm, è vivis raptô Chamô, frater ejus, filio Chami relictus tutor, principatum, pupillo servandum, pedetentim in sua jura per injuriam traheret. Qua re, nepotis, ac clientium, ei studentium, in se concitatîs armîs; experiri prœlii fortunam coactus est. Sed, quadraginta millium utrimque militum occidione, victor nepos, patruum profligat: & rerum is denique, qui *debebat*, potitur; qui *volebat*, extorris, alienis in terris contabescit.

XIII. Cæterùm, eâ tunc Scytharum inter sese contentione securior, *Poloniæ* rex, *Sigismundus*; in Lituaniam arma convertit. Ejus namq;

namq; tetrarchiæ principem ac firmissimam urbem, ad ingentem fluvium (quem multi Borysthenem antiquorum esse rentur) sitam, (10) *Smolenskum* nomine, jam dudum spes regis illius animô versabat. Hinc, invitô Sarmatâ, Moscis aliquamdiu regnatam, eam ad vetera Poloniæ jura possessionémque reducere constituit. Et quoniam hæc, non armîs modò virísque contra vim exteram munitissima, sed ipso quoque flumine, vallô, mœnibus, arcísq; situ, speciem præ se ferebat *inexpugnabilis* loci: fortissimâ Sigismundus eam obsidione cœpit hoc anno premere; sed in alterum demum annum votô potiturus. quo tempore, *Smolenskum*, à Polonis, & ipso rege, semper præsente rebus, occupatum; ducentorum facilè millium è Moscis, & multorum ex obsidentibus, interitu, victori cessit. Inter hæc autem, & alia Polonorum multitudo, diversîs alibi, patentibúsque campîs, nacta Moscum, & aggressa prœliô; strenuè felicitérque rem gessit: præter memorabilem editam hostium cædem, insuper & *Svvifkiô*, (11) qui nuper illi præcipitato *Demetrio* DUX Magnus fuerat suffectus, unà cum fratribus ejus duobus, captô; rigidéq; principiò, nec tamen pari rigore diu, custoditô. (12) XIV.

XIV. Sed hæc, ab *Imperii* quidem terris ſicuti remotiora, ſic pariter ignotiora; non tamen, penitùs præteriri, conveniebat. In *Germaniæ* verò viſceribus, & ſubjectis *Aquilæ* regionibus, quas belli faces Prócerum factio, ſuperiore cumprimis annô, ſuſcitare cœperat; eaſdem & hôc propagare magnîs incrementîs pergebat. Miſtus inter ſe conſiliîs perplexîs, & arma cudentibus, omnis propemodum Imperii *Septentrio*, nunc vel maximè fervebat: cùm, ecce, *Friderici* IV. *Palatini* mors, mediis arcanorum meditamentis interveniens, *filii*, ſibi cognominis, (13) tutelam *Bipontino Duci*; conſiliorum verò reliquias, & præſegmina, *Christiano* translegavit, *Anhaltino* Principi. Qui poſterior, in ſuam, patroníque, factionem, omnes paſſim, religioni ſuæ concolóres, ſollicitabat; in eo potiſſimùm *tablino*, quod ab eo poſtea nomen invénit. In id ſenaculum, alius ſuper alium, certatim nomina dederunt, *Proteſtantium* (quos ſe vocabant) *reliquorum*, præter eos, quos ſuperior annus recenſuit, numerus ingens. Inter quos nominari, non indecorum ſibi ducebant; Onoldspacenſis Marchio, Joachimus Erneſtus; Mauritius, Comes Naſſovius, cum Batavis ſuis;

Quindecim civitates, *Imperialium* titulô, quàm *Imperatoris* obſequiô, præſigniores; gentes ad Albim; Haſsi; Sénones Aquilonaris Germaniæ. (14) quibus omnibus, & pluribus aliis, animos addere ferebantur (ſi rumores, atque res, ſemper congruerent) auxilia Britannica miſsa: gentis autem alterius vicinæ, non impromptiùs promiſsa.

XV. Quidquid id molitionum fuerit: *Hala* certè *Suevica*, (quaſi Vulcaniæ cujuſdam Líparæ) vigebat etiamnum, & in conatu pergebat, anni ſuperioris inflata follibus, curarum & armorum officina: per cauſsam maximè *controverſiæ Cliviensis*: Mauritiô cum Batavis, inter hæc, *Juliácum* (quod anno ſuperiore dicere cœperamus) ſibi ſubigente. (15)

Sed inter iſta, non deſtituêre Cæſaris ac religionis avitæ partes; Leopoldus Archidux; Germania Pontificia; ſuppetiæ militares Italorum; & ex Hiſpaniis auxiliorum conſiliíque fulcra. denique, quidquid ferè prócerum imperialium *Catholicô* tunc nomine cenſebatur. Horum plerique, quod annô jam præteritô (ſicut in loco diximus) *Herbipoli* meditari cœperant, curas ſuas cogitationéſque conjungere tantò ſtudioſiùs urgebant; quantò magìs acce-

Digitized by Google

accelerari belli-mala foris intúsque videbantur. Nec fregit consultationum constantiam, injectus sub idem ipsum tempus, ex *vano* quidem ille, sed tamen sonori clangoris, armorum Galaticorum, (tanquam Germaniis imminentium,) terror. Longè minùs verò metuebantur, Sigismundus *Bathor*, & Waywodæ quondam *VVallachi* superstes *filius*; rebus Transsylvanicis inhiantes. Neuter, inquam, metuum istorum consulta Principum aut dissipavit, aut abrupit: quippe, formidinum caussis interea vanescentibus. *Bathor* enim, ac *VVallachus*, in ordinem jam antehac redacti; nunc, Cæsare mandante, catenis onerati, Pragam abducuntur: ubi quàm arctissimè, nullâq; tunc recuperandæ libertatis spe, custodiebantur. (16) Interim, Galliarum rex, Henricus IV. pridie Maji mensis Iduum, anni *lætissimô*, regnorum verò suorum *mæstissimô*, tempore perimitur; *Francisci Ravajllaci* furiosô cultro. Cujus occisi regis *cruore*, tota *rheda* basilica; *Fletu* verò funeris, universa *Gallia*, natavit. (17)

Anni Acta.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Appamianus, in Annum 1610. num. 9.*
(*) *Paginâ 445. Editionis Amsterodamensis Blaeuvvana, in 16.*

Quid non cessantes *custodis* in arbore fructus? Custodis, *persona 2. numeri singularis quarta conjugationis verborum.* ἵνα τί φυλάττεις; ἢ τί τηρεῖς καρπούς; *Carmen, & spurcitia plenum, & petulantia, contra legem Juliam, de Adulter.*

Eodem carmine, pag. 446. – dolorem Depellunt; demtísque *solers* clementia sulcis. *pro*, demptísque solers. *Cùm Virgilii contrà sit* – pecudum custodia *solers:* & omnes præterea Classici, vocis hujus *Solers, primam producant.*

Pag. 456. post principium.

Si *peris*, ecce perit tecum tua Gallia, saltem. –

Audis, sentis, nescis, peris. nónne, ceu Quartæ conjugationis Secundæ Singulares, omnes ex æquo longam habent ultimam?

Pag. 461. Tuúsque cedet Gallico *Chiron* Herculi. *Senarius est Jambo-tragicus.* Chiron *autem, utpote Gracus ac Romanis per ω, seu* O ma-

Digitized by Google

O magnum, *scribi solitum*, *syllabam secundam non producit*, *ut Alitophilus iste*; *sed longissimam necessariò habet*. χείρων, ωνος. *Hoc est ergò* χειρώνιον ἕλκος, Vulnus Chironium, *id est*, *Sanæ poësi* immedicabile.

Pag. 497. Hi tibi sint fluctus, multâ pro *Ligeris* undâ.

Quis, *ante hunc*, *poëta* Ligeris *fluminis syllabam primam extendit?*

Pag. 474. Quòd ruit è prima *Cælorum* Acignius arce. *& idem alibi*, In *cœlis*, & in terris. *Quanam pura Latinitas* Cœlo *numerum* pluralem *indulsit?*

Alia plura transeo: Duo, *triáve*, *nequeo*. *quorum unum effutiit homo*, *totius & Græciæ rudis*, *& Parnassi*.

Pag. 448.

Sustine. quódque petet, facilis concede precanti. *Mone*, *doce*, *habe*, *jube*, *place*, *cæteraq́*, *Imperativi personæ singulares secundæ*, *Conjugationis Secundæ*, *præter Cave*, *& vide valéq́*, *in Compositione*, *Videsis*, *Valedicis*, *ultimā in omni Helicone producunt*. *sic*, sustine.

Alterum pag. 457. *ad princip.*

Ille erit, ille tuæ *Salus*, & tutela, senectæ.

O hominem, *in* Salutis *nominativo*, *syllabâ poste-*

H 3

Anni Acta.

posteriore productissimâ, pædótribâ productoréque *Orbiliô dignissimum!*

Quid autem, si demum à Ligeri, fluviô Galliæ, & ab Aurea Salute, veniamus etiam ad auriferum salutarémq; Lydiæ fluvium, Pactolum? Venîmus.

Pag. 448. suprà quoque protractâ.

Quà largus diti restagnat *Páctolus* undâ.

Græcis Πακτωλός, *sicut Ætólus, Mausólus.*

Videlicet, Alitophilum hunc, è Veronensis Poëtæ verbis,

Dum conatur iners, Pimplæum scandere montem;

Musæ furcillis præcipitem ejiciunt:

In exilium, & Insulam omnis imperitiæ! Et hic tamen Barclajanis *se scriptis adglutinabat? limax mucosus, rupi magneticæ.*

(⁂) Dentem, pro dente: *&c. Levitici cap. 24. v. 20. &c. Historiam verò refert R. P. Daniel Bártoli, Vitæ S. Ignatii lib. 5. n. 2.*

(2) *Continuator Sleid. lib. 16.* (3) *Appamianus in Auctario: & Cluver:* (4) *Sic eum Appamianus nominat. alii,* Schequum. (5) *Quidam* Alarachiam *pronuntiant. Jodoc: Hondius, in tabula regni Fessæ,* La Rache *maritimam, infra Arzilam constituit; sub ostio fluminis,* Lecuz *dicti.*

(6) *Epi-*

Digitized by Google

(6) *Epitomês an: 1610.* (7) *Franc. Sacchinus Parte 4. hist. Societ. lib. 6. à num. 179.* (8) *in quibus Cluverus anno 1610.* §. Inquietissimæ. (9) *Hæc est enim, quam auctores appellant* Natoliam, *tanquam* ἀνατολίαν (*orientalem*) *comparatione Thracês, & Græciæ. Vide Continuator: libro 16. pag. 401.* (10) *Abrahamum vide Sauræum, in urbib. V.* Smolenskum. (11) *Sic eum Appamianus, & Cluverus, nominant; Sauræus,* Suscium: *alii, totâ semitâ diversius,* Cniácum, *&* Vaschavium: *quidam &*, Basilium Joannidem Cinscium, *appellant.* (12) *Haud adeò brevem, aut laxam, fuisse Svviskii captivitatem, ac certè saltem à suis absentiam, (de quo tamen & sequens aliquid memorabit annus); ex eo quoque liquere potest: quòd postea Moscis, legitimô carentibus capite, nemo ad annum usque 1615. imperârit: quoad eis praeesse Ducis Magni titulô juréque,* Michaël Fedrovvizius *cœpit.* Sauræus, *in Smolensko.* (13) Friderici V. *Continuator, paginâ 426.* (14) *Qui hodie Brandeburgici.* (15) *Continuator, librô 16. pag. 411. Vide & Dionys. Petavium Soc. JESU, in Rationario temporum, Parte 1. lib. 9. c. 14.* (16) *Continuator, lib. 16. pag. 382.* (17) *P. Petavium vide, Rationarii parte 1. lib. 9. cap. 13. Appamianum autem, de*

Digitized by Google

nece Henrici *IV. in hunc annum, num. 3. cujus verba sunt ista quoque* – Cum copiosissimi sanguinis effusione, voce & vitâ illico amissâ (*putà, post ictum cultri alterum*). *post ictum enim primum, exclamâsse fertur ab* Hartvvico *Perefixe, Parte 3. vitæ* Henr. *pag.* 638. Sum vulneratus! *post secundam autem plagam*, gemitu *non nisi* unicô *suspirans, interisse. Accidit autem ea cædes* 14. *Maji, circa 4. vespertinam: & quidem annô (quem probè recordamur*, 1610. *ut & ex eodem* Hartvvico *deducitur pag.* 626. *ad med. adjunctâ ei & paginâ* 636. *versu* 10. *ante fin. Non igitur annô M. DC. IX. quod, Teutonicis tamen numerorum notis illi fatali anno appositis*, (1609) *sub ipsum ejus finem, affirmat M. VVilhelmus Stratemannus, Osnabruga-VVestphalus. Qui interim*, Se falsum *in hoc non advertens, ejusdem illius paginæ (quæ* 1106. *est) duobus postremis versibus*, Falsò Jesuitam Becanum provocare ad Debelium, *pronuntiat: alieni nempe oculi* festucam *comminiscens; oculi verò domestici* trabem *non videns*.

M E-

METRUM.

Qui rerum color Oceano est, quem nubifer Atlas
Immensâ aërii despicit arce jugi,
Turbatumq; stupens, indignatúsq;, profundum,
Limite, quas ab se nominat, arcet aquas;
Castigátque fremens maris omnem ad Maura ruinam
Littora, & infidâ mista elementa fide;
Cùm, post exiguum concessum Hyperionis (1) *usum,*
Omne cavâ cœlum nubila nocte trahit:
Cùm Notus in Boream, Zephyri bacchantur in Austros;
Cùm fluit undâ æther; cum natat igne salum;
Naufragiis cùm instrata vagis Nerëia regna,
Vela, rates, mortes, & chaos omne, vehunt;
Funera cùm vivis miscentur, & infima summis;
Cùm clavus simul, ac dextra magistra, fluunt.
HAUD aliam mundi faciem circumspicit Annus,
Torva decussatâ quem trabe forma notat.
Insubricum Superis dum adscribit Roma galerum (2)
Purpureô stellam suscitat igne novam.
At polus inferior, Divûmq; ignarus Olympi,
Immiti invidiâ sidera vera gravat;
Densa per æstivos dum spargit fulmina Cauros (3);
Dum tremula assiduâ grandine tecta crepant.
Disjecta hinc trifidis turrita cacumina flammis,
Et nivis adstrictæ marmore terra latens.
Nec freta, quàm terras, respexit amantior æther;
Tuscô, inquam, & Lybicô littore septa, freta.
Turcarum infelix variâ piratica clade,
Pavit inhumanâ squammea bruta dape; (4)

H 5 Mar-

Marmaridûmque (5) *frequens, per nautica bella, latronum,*
Rubra dedit passim littora Maura cruor.
Hostica Fessæos agitat discordia reges:
Æmula Sidanes suscitat arma Xequo:
Sidanémque Xequus, caussâ, quàm robore, major,
Fœderis Hesperii (6) *pellere tentat ope.*
Pignus amicitiæ, mercésque, Larachia facta est,
Maurica littoreis arx operosa jugis,
Extera sed fidos Lybie quos sentit Iberos,
Hos Hispana gravi Maurica fraude quatit.
Gentis enim infidæ, sparsæ per regna Philippi,
Relliquiæ, ad Bætin barbara castra cient.
Nec, Turcas excisse, sat est. In Regis Iberi,
Anglica solicitant Celticaq; *arma, caput.*
Ergò, parùm fuerat, stirpem decimâsse nocentem:
Tota erat ad pénitas sylva abolenda fibras.
Damnata exiliis, novies centena per omnes
Millia Maurorum sparsa vagantur aquas.
Pars fatô, pars rapta fretô, gladiìsque, faméque;
Diversa, at meritis funera digna, ferunt.
PERSICUS, *hæc inter,* Schachabas, *aliena mirari*
Auxilia intutum Martis in arte ratus;
Non exspectatis Europæ regibus, atque
Frigore, Memnoniô castra calore movet:
Myriadásq; trahens ter-quinas gentis Eoæ,
Turcica Susæis jugera vastat equis:
Trajectôque Tigri, campos Babylonis avitæ,
Et belli pretium, & lata theatra, facit:
Rubráque cœruleis immittens agmina vittis,
Thracica falcatô colla furore metit.

Bis-vi-

Bis-vicena, duo straverunt prœlia, pubis
Millia Bosphoriæ (7): *Persáque victor ovat.*
Luna aversa fugit: victô pede, triste Nasuffus
Vertit Bassa solum; nec via certa fugæ est.
Heu, malè Threjicii victis patet aula tyranni!
NON, nisi laurigeris Cynthia (8) *gaudet equis:*
NEC bene supplicibus teritur Byzantia *plantis*
Porta. *pusillum horrent aurea tecta caput.*
Insultant fractis Circensia Turcica rhedis;
Indecoréisque arcet barbara pompa rotas.
SEMPER felici gravis est frons nubila fronti;
Fortunámque humilem despicit altus apex.
Quantò erit in stratam Solymannica nausea sortem
Torvior; ac nullo flexilis ore furor?
Testis, inhumani est fastûs, laniena, tot arcûs
Nervô elisorum, post mala bella, ducum:
Testis, Alepææ satrapes Scribanius oræ;
Gamblatúsque, Syræ purpura prima plagæ:
Quos, sua difflictis tractos in retia verbis,
Achmetis sævô perculit harpa dolô.
Indè, novis Oriens, omnisque Natolia, bellis
Turbida, vindicibus surgit in arma minis:
Achmetisque ardent sceleratum exscindere regnum.
Innumerâ constant funera bina nece.
Nec potìs hic, tantâ populorum, in bella ruentûm,
Mole actus, sisti Marte cliente, furor:
Nec potè Tartaricis, (ut quondam), emptísque, retundi
Chami opibus. Chamum merserat atra dies.
Tutorem patruum, successurumque nepotem,
Ambitio (aularum pestis) *in arma rapit.*
Dena quater, Scythicis hinc, atque hinc, millia campis
Strata, jacent: patruum cogit in arcta nepos.

Tandem

Anni Acta.

Tandem ergò ætati senior dat terga minori:
Utrimque, & caussâ *vincit*, & ense, *puer*.
Finitimi tantò securior hostis, & *arcûs*,
Arva terit rapidis Mosca Polonus *equis*,
Densa Smolenskæas *pulsat balearica turres*;
Et (majus fulmen) REX *movet ipse manum.*
Nec satis est, pressisse urbem: Dux Swiskius, *hujus*
Qui Priamus Trojæ est, & *tuba, vinclâ subit.*
Sunt procul hæc. propiora sequi, quid, Apolline longô,
Attinet, in triviis quæ vaga fama canit?
Quæ mala nunc Teuto *sentit, quæ vulnera pacis*
Austrius; *hæc jam omnes edidicêre tubæ.*
Hæc inamœna ululant, tot *jam clamosa per* annos,
Tympana: principium turbinis, iste *dedit.*
Nunc freta, nunc verè fervent Borealia. nunc stant
Nauplia navifragis saxa dolosa Pharis.
Nunc Rhenus vada, nunc Albis, nunc Mátrona, tollunt
Fatorum furvis turbida vorticibus.
Mars, omnes circumvolitans terrásque, lacúsque,
In Latialem Aquilam classica vendit, emit.
Pro patruele capit Leopoldus Cæsare ferrum:
Et mitram galeâ mutat, & *ense pedum.*
Par Augustæi reverentia culminis armat,
Quoscunque Imperii tangit avitus honor.
Tota suis excita ruit Germania *regnis*
Sanctior. *Hujc Italum robur, Ibérque, favent.*
Conveniunt Romana ducum prætoria. Tantis
Curia *consiliis* Herbipolæa *patet.*
At parte ex alia (nec enim, nova sensa secutis,
Deesse potest numerus) *classica* plura *fremunt.*
Protestantûm *ingens (tituli quæ hac fronte triumphat)*
Vis, sociæ jungit conscia pacta manus.

Turba-

Turbatis deerant rebus duo flabra; redacti
Jam pridem in vulgus, Wallachus, atque Bathor.
Cauta sed amborum prævortunt vincula technas;
Vincula, Cæsareis indita vindiciis. (9)
Ille alter, bifido se spargit limite Rheni,
Turbo: nec ira viris immeditata placet.
Fœderis armicrepi delubrum, & præcoqua diri
Fabrica concilii, Suevica sudat Hala.
Omnibus hinc latè tempestas ferrea campis,
Hinc Cyclopæi fulminis ira, fluit.
Caussa ingens, neque tota tamen, neque maxima, motæ
Sede suâ Pacis, Clivia, rixa Ducum.
Juliacas caperet quamvis Aurangius arces;
Non tamen hinc querulæ conticuêre tubæ.
O, pelagus bellorum ingens, exspésque sereni!
O, sinè littoreo, naufrage Teuto, *sinu!*
Quem neque Sacra *juvat tandem* anchora *jacta, nec ipsa*
Celtica Borbonii sollicitata (10) *fides.*
Namque latrocinio perit hic: plagæq; cruentæ
Regia purpureô gurgite rheda natat.
Hinc Regnum omne undat lacrymis; Decimúsque *fit* Annus
Fluctus Sequanicis, heu! decumanus, aquis.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) ***Solis, ac luminis diurni.*** (2) ***Mediolanensem Archiepiscopum***, S. Carolum Borromæum; ***Eccl. Rom.*** Cardinalem. (3) ***Caurus enim ventus***

Digitized by Google

ventus, æstivis maximè mensibus, ut grandinator, ità fulminum quoque genitor est. (4) *Ità pisces marinos devoraturos esse Licam naufragum, ominatur Eucolpius Arbitri.* Ubi nunc est, inquam, iracundia tua? nempe piscibus, belluísque, expositus es. (5) *Marmaridæ, populi Herodoto, incolæ regionis Marmaricæ, Nilo propinquæ: habentísque ab Occasu contiguam sibi Cyrénen Africanam.* (6) *Hispanici. nam Hispania crebriùs* Hesperia *dicitur, quàm Italia.* (7) *Constantinopoli educta: quæ sita est, ad Bosphorum Thracium.* (8) *Luna, Turcarum insigne.* (9) *Sententiâ, & decretô; non secundùm* libertatem *latô; sed secundùm* servitutem *datô.* (10) *Henricum IV. Galliæ regem, Borboniâ stirpe genitum, temporibus illis procellosis* Protestantes, *legationem obeunte Principe Anhaltino, adierunt; rogantes, ut caussam suam, in controversia maximè* Clivensi, *etiam armatus susciperet. Sed irritô conatu. primùm quidem: quia, priusquam in effectum possent vota prorumpere, rex Christianissimus interiit. deinde, quoniam is Anhaltino (sibi, sinè dubio, nescio quas spes, opprimendi eradicandíque è Germaniis* papatûs *fingenti), Hartvvicô Perefixio teste, parte 3. vitæ regis Henrici, respondit, ad finem anni 1609.* Er bette ihn (Anhalti-

(Anhaltinum), den mitverbundnen Fürsten (Churpfaltz/vnd Wirtenberg/*pag. 625. & 626.*) zu verstehen geben; wie sie ihm vnrecht thun wurden/ wann sie dächten/ daß sein Beystand der Catholischen Religion etwas zu Nachtheil/ in disen Jülchischen Landen/ thun solte. Dann sein endlicher Wille wär / daß die Religions-Ubung vor allen Dingen / in dem Stand verbleiben solte / wies zur Zeit deß Absterbens dises letzten Hertzogs gewesen. Dieselbe nun war Catholisch. *Hæc Hartvvicus.*

APOCOMMA I.

Henrici IV. Galliarum Regis, luctuosa mors.

I. HENRICUS, inter nominis hujus Galliæ reges *Quartus*, Borboniæ stirpis, sæculi superioris anno quinquagesimo tertiô natus est, idibus Decembris. Parentes habuit, Antonium Borbonium, & Joannam Albretanam, Navarræi regis filiam; ac regni, post decessum patris, hæredem cum marito factam. Educatus Henricus, à Calvini sectatrice matre, Calvinianos inter errores; eosdem, eâ posthæc extin-

extinctâ, Caroli noni, Gallorum regis, adactus hortamentîs, ejuravit; junior adhuc, & *Bartholomæanæ* noctis illius famosissimæ furiîs salubrirer exsternatus. Post aliquantum autem temporis, ad *bene* desertas opiniones-de Fide *malas*, armorum civilium æstu revolutus; denique tamen, per ipsásmet victorias suas, multas, & insignes, compressâ bellorum tempestate; nemine cogente, sese retulit in Ecclesiæ veteranæ portum, ac sinum; anni millesimi quingentesimi nonagesimi tertii Juliô mense religionem orthodoxam, & in ea perseverantiam, publicè professus, ac pollicitus. Nec aliter postea fecit, ac tunc spoponderat: multa præclara, pietati *Catholicæ* promovendæ, passim operatus: longè verò præstantiora mente destinans efficiunda; si vitam prorogari, magnis cogitationibus æqualem, ei contigisset.

II. Sed tanti Regis acta, pacis ac belli, complexi narratione complures ante me sunt; luculentîs librorum, Gallicanæ præsertim linguæ, monimentîs diserti. Me, *mortis* ejus ad expositionem, Annorum *Sæculi*, quo vitam traho, series deducit. quæ mors, æræ nostræ pariter decennium primum, & regis illius vivendi

Digitized by Google

vendi spatia, conclusit: eô, quem nunc exsequor, casu rerum, & ordine; sinè fuco, veritati superinductô.

Festinabat Henricus rex, hujus, quem prosequimur, anni mediô *vere*, grandem, in exteras, nescio quásnam terras, expeditionem, ipse per se præsens semper in agmine futurus, ingredi: diuturnôque novem propemodum annorum (1) apparatu cusam militiam, suspenso denique rerum exspectatione mundo repræsentare. Jam ad Campaniæ Gallicanæ fines primos regiæ legiones præcesserant; in planitiem, exercitui lustrando designatam: Gallorúmque nobilissimus quisq;, certatim affluente multitudine, bello longinquo necessaria præmiserat. Dux quoq; Rohanæus, (2) Helvetiis, in Gallia tunc stipendia facientibus, præfectus, eorum sex millia contrahebat; eodem mox, ad nutum & latera Regis, abitura. Quin & iisdem diebus, ex armamentario quoque Lutetiano tormenta bellica majora quinquaginta producta; præfectos fabrûm, & avectura se jumenta, præstolabantur. Albertus insuper Archidux, & Isabella conjux, Belgium tunc regentes, per internuntium regium expeditionis imminentis commonefacti;

Henricus IV. Galliarum Rex.

simùl interrogabantur, *Ecquid se*, ditiones eorum, indeclinabilis viæ necessitate, transcursurum, *amicum forent*, *an* (quod nollet) *hostem*, *æstimaturi?*

III. Quòd autem armorum & absentiæ suæ tempus rex animô præcepisset, haud multò brevius *quadriennî* futurum; nequid interea Regni proprii tranquillitas, dum alienis consultum iret, detrimenti caperet: summæ rerum Gallicarum *Mariam Medicæam*, conjugem suam, ad usque reditum suúm, imposuit: iis tamen septam conditionum quasi cancellìs; ut, quò minor instabilitati sexûs peccandi locus, aut errandi facultas, relinqueretur; sinè *Quindecimviris*, auctoritate regiâ delectîs, eorúmque sententiis *numerô* potioribus, nihil ipsa pro tribunali decerneret: nec eidem ipsi, nisi vocis *unius*, ac simplicis, in curia jus esset.

IV. Cùm autem hæc talis, tam religiosè circumcisa, dignitas, Reginæ, Conchinóque (qui *dux* postmodum *Ancræus* dictus ac factus est) arcanorum illius arbitro, non nimis placeret: tanquam brevior interdum corporum & crurum mensura celsioribus cothurnis, aut plebeja facies indumentorum illustriore cultu,

cultu, juvantur, & corriguntur; ità *fœminæ*, Galliarum tantisper *capitis* futuræ, supra nudum ferè nomen, majestas videbatur aliquantò conspectior circumponi debere: si nondum, ut experienti rerum moderatrici, certè tamen, ut sex jam regales ex Henrico partus expertæ. Flagitat igitur hæc, unà cum inauguratione, *corona* quoque *regia* publicam, in æde divi Dionysii suburbanâ peragendam, impositionem: & ab rege, plusquam unam ob caussam perinvitô, denique tamen extorquet. Sollemnitati sumptuosæ dies dicitur, impenditúrque, tertius iduum Maji; qui, fastis Gregorianis ejus mensis decimus tertius, (3) in diem Jovis inciderat ante septimanam, *Rogationum* Ecclesiasticarum ritibus assignatam. Tertius autem, post diem illum dies, (qui *Dominicus*, & Maji decimus sextus,) Reginam, coronatô capite fulsuram, currúque triumphali revehendam, populo nobilitatíque Parisiorum ostensurus erat. Apparabantur interim eô, quod interjectum erat, triduô, magnîs ac multis impendiis, multa magnáque; pompam illam exornatura; cùm præsertim Rex ipse, novîs conspicuam auctoritatis insignibus, uxorem, priusquam in expeditionem

Henricus IV. Galliarum Rex.

iret, excepturum se, demonstraret. Is, eâ gratiâ, nequid pégmatum operúmque cæterorum nitori deesset, singula quæque potiora præsens inspecturus; simùl autem, eádem operâ, Maximilianum quoque Bethunæum, *Sullii Ducem* à se creatum, & tunc incommodiùs valentem, visurus: postridie statim inaugurationis Reginæ, post meridiem, sed vesperascente sensim tempore, sese publico commisit; rhedâ, quâ vehebatur, armamentarium versùs agitari jussâ.

V. Dies erat Maji *decimus quartus*, Gregorianîs in fastis, quartus Julianîs; *Divo Bonifacio* sacer, illi, qui nefariam cum Agläe matronâ consuetudinem, morte postea, dirissimísque pro Christi gloria toleratîs tormentîs, expiavit. In currûs porrò postíca, nempéque commodiore, parte *Rex* sedebat; ac lævam illius assidens, Joannes Ludovicus Nogarétus, dux *Espernonius*. Et, quia rhedæ capacitas id facilè tolerabat, in anteriore parte, lateribúsque currûs, ad projecturas, non *Mombasonius* tantùm dux, & *Lavardinus* (quod nonnemo tradit) sed & *Roquelauræus*, *La-forcius*; *Mirabellus*, & *Liancurtius*, Marchiones: omnes numerô, si regem accenseamus, *octo*. Cæterùm

rùm Rex ipſe, quamvis tot inter amicitiæ fideíque ſpectatæ comites, ac ſalutis cuſtodes, haud perinde tamen pro re præſenti lætus; *cogitabundo* ſimilior, quàm *alacri*, ſedere videbatur: non tam diei religione (qui *feria ſexta*, memoriâq; Chriſti morientis abſtruſior, erat) quàm, partim altâ quadam, nec tamen ſatìs diſſimulatâ, mentis impatientiâ; quòd, ut *unius mulieris* deſiderio pompæque gratificaretur, ſibi ſaltem quatridui mora, quò minùs in hoſtem moveret, interjiceretur: partim autem (& aliquantò magìs), quòd ab aliquo jam, nec exiguo tempore, tacitus formidaret; Ne bellicis ſuis conſiliis, quibus *pacificus Salomon* olim caruit, *Sathan* aliquis infeſtus, aut *occurſus malus*, (4) interſiliret. Et habebat *Henricus* ſanè, talia formidandi, nequaquam hauſtas ex vano cauſsas. Harum unam ego, ceu potiorem, & quæ cæteris auctoritatem adderet, produco.

VI. Sub ſignis rex propediem *habiturus* erat, & verò, (ſi verbis *Hartvvici*, *Rhuteni præſulis*, (5) inhæreamus), jam tum, cùm fierent ea, quæ diximus, *habebat*, lectiſſimorum militum *quadraginta millia*: cujus numeri, ſola nobilitas Gallicana (6) *quatuor millium* ſum-

mam explebat. Ille verò, copiam exercitûs, *septuplô* facilè *majorem*, progreſsu temporis & expeditionis ſuperacceſsuram, animo deſtinâ-rat (7): ſi conſilia ſua, fœderísq; participum promiſsa, provenisſent. Fuerunt igitur & tunc complures, & hodie quoque non deſunt; qui mentem Regis, in apparatu tanti militis, attingere conjecturîs, ac perrumpere, tentarent: ejúsque molitionis cauſsas, præter *Cliviensis* controverſiæ dirimendæ prætextum, in alia præterea, tum varia, tum interdum abſona, pectoris arcana diſcerperent. Certi verò quidpiam, & affirmati, pronuntiare ſuper his, vix quisquam eſt auſus: ne Gabriel quidem Bartholomæus Gramondus. qui, Curiæ Toloſanæ præſes, noſtrâ memoriâ Ludovici decimi-tertii Gallorum regis res geſtas librîs octodecim exſecutus; dum eorum librorum primô, quaſi per ſuſpiciones alienas, inquirit in terrorem finitimorum Galliis principum, *è formidabili*, (ſicut ipſe loquitur) *triplicíq; Gallorum exercitu*, conceptum: *unius* belli motum, in *plures* ſcindit opiniones; in nullam interim earum ipſe juratum aſsertorem judicémve ſemet intrudens. At, nequaquam paris hæſitationis, noviſſimus *Henricianæ vitæ* con-

conscriptor, *Rhutenus*, paullò superiùs nominatus, *episcopus* est. qui, parte voluminis sui tertiâ, *Sullianis* è scriniis arcana regia publicans, interim falsas nonnullorum, super expeditione regis conceptas, conjecturas exsibilat; potiore verò, prolixóque paginarum aliquot impendiô, disertè lucidéque, *quidnam armis iis quæsiturus Henricus fuerit*, explanat. Res autem omnis in eam denique summam convolvitur: *UT, inter Principes Christiani nominis universos stabili compactâ firmatâque pace, post hac, uno cunctorum impetu, sensu, viribus, adversùs tyrannidem iretur Otomannidarum.* (8)

VII. Hoc *Henrici* regis, non excelsum minùs, quàm profundè fixum, consilium, si vel malevoli quidam, vel rerum imperitiores, aut *assequi* penetraréve potuissent; aut, cum Hartwico Sulliôque, *credere*: multis utique pravissimîs regiæ voluntatis interpretamentîs (9) supersedissent. Mihi quidem certum ac decretum est; in omnibus omnium, dummodo non manifestissimè sceleratîs, negotiis, in meliorem potiùs, quàm odiosam partem, trahere latentes caussas. quantò justiùs igitur, hoc tanti Regis institutum, armorúmque consilium? eôque nomine, crediderim; eum non

Henricus IV. Galliarum Rex.

postremô tantùm regnorum suorum octenniô, quo tam ingentes res ac spes agitare cœpit, (10) sed ab anno jam eô, quo postremum Hugonoticis opinionibus nuntium remisit, quíque sæculi superioris nonagesimus tertius fuit, *inferis potestatibus* magnorum in Religione moliminum suspectum esse, formidabilémque, cœpisse. propptereáq; *Sathanam* ei, non unum sæpe simplicémque *malorum occursum*, sed multiplices è Gehenna *furias*, (11) Eumenidásque, suscitâsse; quæ, tam per se, quàm pedibus manibúsque *rabidorum* hominum, interitum illius *venarentur*: &, ea propter, alium ex alio pavorem ei crearent. Idipsum autem apertè denique profiteri voluisse visus est ille, nescio quis, subterraneus *Actæon*; è Tartari regno, Gallorum in regnum emissus, seu turbandum, seu territandum, sub hominis, *venaticô* cultu dissicti, simulacrô: tali, quem dicam, modô.

VIII. Sub sæculi superioris postremum tempus, circáque verni jejunii ferè finem, magnâ prócerum manu stipatus, Rex Henricus ferîs agitandis occupabatur; in nemore, quod recessui regum notissimo, *Fontisbellaquai*, vicinum est. cùm ecce! clamor repentè peregri-

grinus insonat, quasi multorum simùl canum, cornuum, venatorum; primò quidem, velut remotîs è sylvæ cónfragis: repentè verò (quò manifestiùs, id *Orcinum* esse negotium, agnosceres) proximè Regem. Circumlatîs porrò, qui viginti circiter passibus eum antecesserant, oculîs, comites; inter rubeta fruticésque stantem proceritatis, ac nigredinis exoticæ, virum conspicantur: simúlque, terrorem inter metúmque, plusquam panicum, audiunt inclamantem voce rabiosâ perplexâque; de qua dubitares, utrum hortaretur, *Ut exspectarent & attenderent se*, qui venabantur? an, *ut mores demum emendarent?* (12) Hæc boans ille, qualis apparuit, talis & evanuit; repentinus videlicet, & incompertîs, unde venerat, latebrîs resorptus: cæterùm, inter pavorem, & admirationem, etiam *Rege* tunc relictô; cujus animi fluctus, à sequente paullò pòst Paschæ pervigilio, magìs intumuerunt: ereptô tunc ei fatîs, quod ad illud usque tempus habuerat in vita charissimum. (13) Recruduit autem, sub idem utique tempus, ejus in animo, recordatio prægressorum vitæ discriminum, haud paucorum, & atrocium: lancinabátque malorum plurium (nisi tutela cœlestis

Henricus IV. Galliarum Rex.

aversura foret) secuturorum suspicax exspectatio. Neque mirum. Si namque, quod res est, confitendum sit: Omnis ejus, & antecedens ab annis *septem*, & postmodum subsecuta per annos *decem*, vita, post illius scilicet alterum ad *Ecclesiam* regressum; *assidua* ferè fuit salutis ipsius, tanquam vestigiis inhærens, *insectatio* (14): donec in plagas ea demum, & venabulum, more diu canes eludentis monocerótis, incideret. *Magnis* enim heroibus ferè, *nec parvi, nec rari, casus insidiantur.*

IX. Jam tum etenim, ex quo, Galliæ rex inauguratus, *Ecclesiæ* sese restituit; *Petrus* quidam, cognomento *Barrierius*, miles, annorum homo viginti septem, in ipso, librati jam in regem ictûs, ac cædis, conatu, cum cultro districto, Meldúni deprehensus est: (15) anno Christiano millesimo quingentesimo nonagesimô tertiô. Rege verò tunc intactô; sicarius, agitatîs in diversa quatuor-equîs, ultimas pœnas laceratione dedit.

Secutus hunc, ut scelere, sic & suppliciô, proximo statim annô, *Joannes Castellus*; annos natus duodeviginti: non minùs ipse cum cultro, regis in corpus intentatô; nec tamen, nisi dentis unius everberati dispendiô perniciosus; ob

ob eam, quam *Septennii* superioris *Actis* inserui, caussam, Numinísque providentiam.

Sub exitum deinde primi triennii Sæculi nostratis (16), quinquaginta jam annos natum regem, & tunc è *venatu* fortè redeuntem Parisios, per *novum*, quem vocabant, *pontem*; sicut is, nihil talium tunc, in magno suorum comitatu, suspicans, equô palàm vehebatur: decimô nono Decembris die, *Joannes* quidam & *alius*, cognomentô vulgò dictus *Islaus*, pugionem nudum in eum vibrans, aggredi cœpit. Cædémque patravisset; nisi, sub idem temporis punctum, intercursantes satellites, & invasorem à corpore regis, & regem ab articulo supremæ necessitatis, abstraxissent. Is homo teter, clementiâ regis, non, (uti satellites voluissent), in conatu statim facinoris oppressus, sed in custodiam abreptus; sperabatur, nescio quæ, vel quorum consilia, subornationésve, retecturus. Post multam autem exercitam quæstionem, patuit; *Islaum*, à *furiis* potiùs, quàm ullîs *rationibus*, instigatum, tantæ dementiæ negotium suscepisse: quippe, qui, læsæ mentis vitiô, *per omnia fatuus*, ac totius orbis sibi *monarcha* visus, in *Henricum Borbonium* animadvertere destinâsset; quòd is, à cæte-

cæterorum corpore regnorum suorum, sibi Gallias avulsisset. Et hanc amentiam, ille non priùs, quàm vitam, deposuit: in vinculis paullò pòst, citrà vim aliam, fatis ejus illatam, extinctus. (17)

Duriùs autem (ut fas erat) animadversum fuerat, ante paucos antehac annos, in *Gallicam* mulierem: quæ non modò deliberatô, sed & famosissimô præterea professóq; scelere, *Comiti Suessionensi*, (fortè tunc improbare, nescio quid, in Rege, sibi viso) venenum in ejus exitium adpromiserat. à Comite verò proditam ac delatam Regicidii *voluntatem*, tanquam *rem effectam*, luit: *supplicióq;*, quàm notitiâ sui nominis, *illustrior*, viva *flammis* arsit. (18)

X. Ex his igitur tot, aliisq; compluribus, insidiarum, quantumvis eousque siccis, incursibus, non potuit adeò latére Regem, inferarum adversùm se *Dirarum* conjuratio: quò minùs in mentem ei frequentissimè veniret illud Senecæum è Publio Syro: *Quem sæpè prætereat casus, hunc ab eo denique comprehendi.*

Neque deerant, quæ futurorum sollicitudinem incenderent, & gravis aliquando superventuri mali, metum, tam sparsa per vulgus, quàm mentem intus pulsantia, præsagia: quòq; pro-

propiùs instante punctô cladis, eò vocaliora vaticinia. Scriptîs, prælô quoque vulgatîs, quaquaversum per Insubres, & Hispaniam universam, fama necis ejus volitabat; antequam necaretur. *Galliam* ipsam rumor, annô, quo postea cecidit, passim occupabat: eodem ipso regem, (& tristi funere), casurum; priusquam caderet. Et alicubi, meritoriô verédô mediam urbem perequitans, ignotus cursor; octavô priùs, quàm occumberet Henricus, die, rogantibus, *Quónam adeò festinaret?* in Germaniam, respondit: ut illius Principibus Gallici regis cædem nuntiaret. *Montargis* quoq;, super aram erat inventa, latentis auctoris epistola; mortis, regi jamjam ex ictu *conducti-mucronis* apparatæ, prænuntia. (19)

Rex ipse præterea, prædictum sibi testabatur; Eô, quem omnium primum magnificentiâ publicâ transigendum diem *adornaturus* esset, (& *adornabat* sanè tunc perendini pompam) eodem, inquam, die se periturum: & hoc, *in rheda*. Quocirca, quoties ex eo tempore *rheda* sese committeret; vaticinii recordatione frequenter *animô* tremefactus, *corpore* quoq; toto cohorrescebat. Et, cùm jam sessum sese recepisset; altùm sæpe, vel invitus, exclamans:

Henricus IV. Galliarum Rex.

mans: suos in curru consessores exterrebat. *Sullio* quoq; *Duci*, paucîs, ante supremum, diebus contestabatur; *Reginæ sollemnitatem illam, ac ferias, sibi ferales fore. Nam iis se citra dubitationem occubiturum. Parisiis se vivum nunquam in posterum exiturum esse. Morte suâ, nec aliâ viâ, se suorum hostium votis satisfacturum. Id in fatis; id in animi sui sensu, fixum esse, foréque: donec rebus expleretur.* (20)

XI. Veridicus suî vates fuit: & in percussorem tandem íncidit, haud aberraturum. Erat eâ tempestate Gallus homo, *Franciscus Ravajllácus*; quem *Engolismensem* complures, vel à diuturniore saltem urbis illius inhabitatione, vel à patrio solo, non ità multùm Engolismæ finibus distante, (21) nominaverunt: obscurîs, (ut Hartwicus affirmat), natalibus. *Crine ruber*, sed *atra bilis* humore differtus, ut Gramondus asserit. tristis, ut plurimùm; &, qui væsanus potiùs, emotæq; mentis, vulgò visus sit, quàm ductu rationis agi solitus: utì, præter Hartwicum, Spondanus quoque judicavit. (22) Jam tum igitur in eo *Furiæ*, tanquam appositissimò sibi diversoriò, fixisse sedem videri poterant, ad destinata perpetranda:

da: præjudiciô nempe futurorum conatuum, ex ejus inclinatione naturæ, deductô. Talis hic licèt esset; *religionem* tamen aliquando tutiorem ad æterna bona viam, quàm *mundi* libertatem, judicare visus; cucullum induerat. Sed eô postea, priùs, quàm tirocinium finiret, sibi detractô; quod reliquerat, profanæ vitæ genus resumpsit. ac primò (quod ait Hartwicus) litterarium pueris ludum aperuit. Subinde verò, forensibus etiam libellis expediendis, calamum locavit; ut *Curia* testatur Lutetiana: quæ *Formularium* eum vocat *Engolismensis fori.* (23) Bienniô tandem antè, quàm rex Henricus è vivis raperetur, *Ravajllácus* hic Engolismâ Parisios, (incertum, quônam impulsore,) se conferens; *procuratorem* agere civilium disceptationum cœpit: paullatim autem, simùl intentum in occasiones interficiendi regis animum, ac ferrum, acuere. Donec is denique funestus diei *Bonifaciani*, de quo superiùs narrare cœpimus, vesper ingruit; ad *malè* regi *faciendum*.

XII. Fortè sic læva sors tulerat: ut currum regium, jussu regis, ageret rhedarius per platéam illam, quæ, ponè templum *Innocentianum* peranguſtô patens procursu, non modò

dò sepulcretum habebat, adnexum *ædi*, quam dixi, sed mercatorias insuper *ferri* tabernas plurimas; ipsi cœmeterio forinsecus consertas, (24) & transeuntibus impendentes. Illas porrò per angustias, quas *symplegadas* quis *terreas* haud injuriâ nominâsset, pergenti Regi, ne *Sathan* (ut suprà dixi), vel *occursus malus*, deesset: in loco, *trium* simùl quadrigarum ægerrimè capaci, *duo* se plaustra grandia sic exadversùm objecerant, & eousque provecta jam erant; ut neque regio currui (qui tertius supervenerat,) pariter concedere progressum possent: nec ipsa, si vel maximè vellent aurigæ, reverti; quò transitum laxarent. Horum autem sarracórum id, quod à dextra regi, propiúsque templum, occurrerat, *vini* doliîs erat onustum: quod verò lævam ad partem, *fœnô*. Grande per incommodum implicitîs jam propemodum, & tricantibus inter sese, non curribus modò, sed & equîs; auriga regius sistere suos cogitur, donec extricarentur, & progressus aperiretur. Satellites interea regii, patefaciendæ tantò magìs viæ plaustrorum, à rhedæ lateribus utrinque se vix evolventes; in cœmeterii semitam abscesserant: per ejus exitum ad regem reverti properantes. Jámque

que ſe *vini* vector expedierat, liberiorem regi, minúsque compreſsam, viæ dextram partem, ac ſpatium, relinquens; dum interim tamen *fœni* vector etiamnum cum progreſsu luctaretur. Hæc omnia (malùm!) præſens tunc, ſeu conſultò, ſeu casù, conſiderans *Ravajllácus*; occaſionémq; feriendi quàm aptiſſimam præſpeculatus: ſimulac *vini* plauſtrum evolvit ſe, ſinè morâ, cunctis inobſervatus, inter ferrarias tabernas, & currum regium, irrumpit, latente cum cultro. Nactus verò dextrum regis latus, (nam accuratè priùs, ubi ſederet is, obſervârat,) ac dextro quidem pede prominentem è viæ margine *lapidem*, lævô verò, *rotæ* ligneum radium, inſiſtens; impetu rabiosô cultrum in pectus regis ſiniſtrum, inter ſecundam tertiámque thoracis coſtam, paullò ſupra cor, defigit, altâ plagâ.

Protinus autem exclamante rege, *Vulnus accepi!* reductô ferrô, ſicarius, inter ipſas voces, ictum repetens, *cor medium* transverberat: &, ſinè voce jam, nec pluſquam ſemel, ingemiſcentem regem, extinguit. Neque tamen cœptô deſiſtens latro, ſed, quaſi vitæ ſupereſsent (quæ nuſquam erant) reliquiæ; priuſquam, in tumultu conſternationéque tam im-

Henricus IV. Galliarum Rex.

improvisâ, succurrere confessores possent: celerrimè *tertiò* quoque ferire tentat. quæ plaga tamen, (in regis exanimis fortasse collum, & caput, jam morte proclinatum, incasura,) *Mombasonii Ducis*, in látere rhedæ dextram *regiam* adsidentis, non nisi manicam brachii trajecit.

Percussor, post hæc, cruoris ingenti copiâ totum jam currum opplente, *regicidiúmq;* manifestè detegente; non Ducum territus præsentiâ; non satellitum revertentium accursum; non apparitorum armatam ferociam; non ipsius denique facinoris magnitudinem, reputans & expavescens: cum cultro detestabili, quem nec abjicere laborabat, nec abscondere, recentis cædis stillas retinebat: palámque, nullâ profugii curâ, nullâ patratæ necis dissimulatione, suppliciíve formidine, pallidus, ad rhedam restitabat: ostentans ultrò sese; tantúmque non, ipsâ stationis confidentiâ, ceu præclaræ gestæ rei, signiferum, & auctorem, se professus. Quam eandem frontis firmitatem, postea quoque, dirissimis licèt tormentìs per singulos artus excarnificatus, quadrijugîsque divulsus equîs, præ se tulit; doloris verò, pavorísque, *signum* planè nul-

nullum; quia, nec *ſenſum*. Diceres, ad ſummam! *Ravajllacum* hunc, à *Furiis* (quas ſæpe nominavi) non oriundum modò, ſed & animatum; Spiritibus illis truculentis manum commodâſſe.

XIII. Cæterùm, *regis* exanime corpus ab Eſpernonio Duce mox in Regiam eſt reve-ctum; & à medicis chirurgiſque *viginti ſex* inſpectum. Periit autem hôc, quem exſequimur, annô: diei, (quod ſuprà monui) Veneris, horâ circiter quartâ veſpertinâ; quartâ decimâ menſis Maji die: cùm *annos* egiſset, in minore potentia *Navarraâ, duodetriginta*: *Galliarum* in imperio, *viginti* propemodum, & *unum*: in vita, quinque menſibus ſuperadditîs, *quinquagintaſeptem*: in vitæ functionibus, magnîs curîs periculiſque vacantem annum, *nullum*. (25)

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Hartvvicus, vita Henrici parte 3. pag. 617.* (2) *Sic Henricum, Ducem de Rohan, Calvinianum, Gramondus in Ludovico 13. nominat; Helvetiorum in Gallia præfectum: quem* colonellum *nominant. lib. 1. editionis Amſtelo-*

Henricus IV. Galliarum Rex.

dam: pag. 32. (3) *Hartvvicus Pere-fixe, in translatione Teutonica, Lipsiæ impressâ, an. 1669. pag. 632. ponit 3. Maji. quod intelligendum tamen, de fastis Julianis, non Gregorianis. aut à typothetis ante ternionem, numeri monas est omissa; quò minùs fieret 13. Ipse certè Hartvvicus pag. 636. circa med. ait,* Den Tag nach der Crönung (war der 14. *Maji &c.*) *quo nempe die cades regis contigit. Præcedens ergò dies, erat 13. Maji Gregorianus.* (4) *3. Regum, cap. 5. v. 4.* (5) *Pere-fixe, pag. 609. editionis Lipsiensis.* (6) *Idem, pag. 619.* (7) *Deducitur è verbis pag. 607. ejusd. Scriptoris.* (8) *Pere-fixe, pag. 597. usque ad pag. 609.* (9) *Quale apud Gramondum, librô 1.* quæsitos vanos tunc amores, & principis fœminæ raptum. *Item,* eradicationem Papatûs, *(nugæ!)* ex omni Germania; *apud Pere-fixe, pag. 639. & adhuc expressiùs apud eundem superiùs, pag. 635. ante fin.* (01) *Hartvvicus parte 3. pag. 617.* (11) *Quod & Pere-fixe agnoscit pag. 635.* (12) *Idem: qui sub dubio affert Gallicas has* Venatoris Longi *prosphonéses, pag. 372.* M' attendez vous. *&,* m' entendez vous. *vel deniq;,* amendez vous. *quorum postremum eum clamâsse, probabilissimum est.* (13) *Id exprimit Appamianus, in annum*

annum 1599. & Perefixe, pag. 373. & 378. (14) *Idem Peref. pag. 531. & superiùs, pag. 394. ad med.* (15) *Hîc impudentissimô (sicut passim & alibi solet) mendaciô Jo. Cluverius, narrationi adglutinat;* Monachos aliquot, intérq; eos, Jesuitas, subornâsse Regi percussorem Barrerium. *Ad marginem praeterea, falsò ponit annum 1594. quem distinctè Hartvvicus signat,* nonagesimum tertium. (16) *Colligitur ex Hartvvici pag. 514. princip: annum eum fuisse 1603.* (17) *Perefixe pag. 538. & 539.* (18) *Idem, pag. 394. & 395.* (19) *Debemus hæc, eô ipso ferè, quo narrata sunt, ordine, Hartvvico, Rhuteno episcopo, in Germanicum idioma translato, pag. 634.* (20) *Etiam hoc ex Hartvvico, Germanicè versô, transsumpsimus, pag. 630. & 631.* (21) Angoumois *ab Hartvvico dicitur, pag. 635. & locus hic ab Jodoco quoque Hondio signatur, trans Charentem fluvium, meridiem versùs, infra Engolismam, in tabula Comitatûs Pictaviensis.* (22) *In annum 1610. num. 5.* (23) *Apud Gramond: in Ludovico 13. lib. 1.* (24) Die Ferronerey genannt / *ait Continuator Slejd. in hunc annum.* (25) *Hæc hucusq;, non ab Hartvvicô tantùm, sed à plerisque aliis, consensu magnô traduntur.*

Digitized by Google

METRUM.

SÆva Ravajllacio cùm primùm tela furori,
Ac mentem infandæ cædis, & ausa, daret;
Dicitur, his lentum verbis animâsse ministrum
Tisiphone, à Regis sæpe repressa nece;
Vade, age! sed, quod ages, duce me, memor esto, peritis
Præstruere insidiis. Immeditata, nocent:
Prætentata, valent. *Nec sufficit, apta patrandis*
Tempora pervigili disposuisse dolô:
Rerum etiam dispectu opus est, trutinâque morarum.
Totum sæpe levis subruit error opus.
Rex est: flagitium est operosum, regia cædes:
Vallantur densis sceptra satellitiis.
MENS regni est, oculúsque: Oculum, qui intentior
Argô est,
Vix ipsi promptum est fallere Mercurio.
Adde, quòd est MILES, quem nec Mars ipse lacessat:
Quòd tot castra trahat, quæ neque Pella (1) *fuget:*
Quòdque sagax; magnôque tegens se Cura profundô,
Vix penetranda ullo corda dolone gerat.
Denique, Borbonium *nôsti, undique & undique* Magnum (2):
In Magnis, punctum tangere, difficile est.
Ergò (quod olim ajunt) cædis compendia quærens,
E pugilis, Jugulum, *si sapis, arte* pete.
Suaserat. Ille, capax monitorum, & atrocis Enyûs,
Tempus, & *aptum omni dispicit urbe* locum.
Ad Tempus, *Zephyræa placet, Majanáque Flora;*
Reginæque recens plexa Corona comæ.
Gallica, sideribus longè nitidissima vernis
Lilia, decerpi non nisi vere, juvat.

At

At Locus, *ac tragici lacrymabilis area ferri,*
Lecta est, ferri atrâ sordida merce via.
Vesper erat: primos inter procedit Achatas,
Bistoniis vectus Rex animosus equis.
Arduus è patulo spectat dum singula curru,
Explicat & stantes vix mora lenta rotas:
Ecce, agili superinsultans latro esseda saltu,
Ancipitique atrox ferrô, inopinus adest.
Regi instat: summúmque petens, mediúmque, macharâ
Pectus, in articulo vocem, animámque, rapit.
Ille tamen, certæ dubius (puto) cædis, & optans,
Ictum etiam collo figere, fertur eò.
Exclamavit; Ohe! fatis eft! *dea, funeris auctor:*
Ne dubita, tactum est, quidquid ad ima potest.
Vox, oculique, jacent; riget os; & vita recessit:
Jam voti impleta est amphora summa mei.
Cúmque LOCUS, Tempúsque *neci, cúmque omnia, constent;*
In CORDIS tamen est vulnere, palma tua.
In Corde hoc latuit, Magnô *res nomine* major:
Hic Rex; hic Regni mens, oculúsque, fuit:
Hic grande Arcanum regnorum (3); *hic* Curia mundi,
Panthejónque hominum, conciliúmque deûm.
Hic castra, hic acies, hic dux, & miles, & arma:
Hic verè, hic, toto pondere, Magni *aderant.*
In summa! (ne fortè parùm videâre fuisse
Dexter, &, ad punctum doctus in arte, latro;)
Hæc toto pars sola fuit de Rege petenda.
In Corde (4) *Henrici, cladis erat* Jugulum. (5)

K 4 TESTI-

Henricus IV. Galliarum Rex.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Alexandri Magni patria, Macedoniæ urbs regia. Unde Satyrici illud,* Unus Pellæo juveni non sufficit orbis. *Ex ea, subsidia militum crebra regi Alexandro submittebantur, ab Antipatro, & Olympiade; ad debellandos exteros.* (2) *Hæc per prolepsin rhetoricam dicuntur, &, quasi à præsaga-futuri, Tisiphonâ: cùm revera* Magni *cognomentum Henrico IV. à funere primùm, (etsi statim,) delatum fuerit,* Henri le grand. *teste Gabr. Gramondô lib. 1. de vita Ludov. 13.* (3) *Hartvvicum lege, Parte 3. vitæ Henr. pag. 597. & deinceps, usque ad pag. 622.* (4) Philosophorum *opinio fuit;* Cogitationes *mentis, &* Consilia, *sedem habere* in capite, *ac cerebro:* Affectuum *verò*, in corde. *pro quibus stant loca S. Scripturæ passim; ut, Lucæ 24.* Quid cogitationes ascendunt in Corda vestra? *Matth. 9.* Quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Psalmo 93.* Meditatus sum nocte, cum corde meo. *&c. Quod alicubi observavit etiam doctissimus Alardus Gazæus, ordinis S. Benedicti; in Collationes Cassianeas. quarum prima, & septima, multa sunt, in* Cogitationibus *discutiendis humanæ mentis. Vide Commentarium*

Gazæi,

Gazæ, *in Cassiani Collat. 7. cap. 10. præsertim* §. Hoc namque. *ex Didymo*, *de Spiritu Sancto.* (5) *Vide*, *huic dicto meo*, *licèt multò ante vicennium jam* Oeniponti *scripto*, *prorsus consonum id*, *quod postea*, *proximè superioribus annis*, *in Gallia Hartvvicius quoque sensit*, *Vita Henrici 4. parte 3. pag. 643. v. 7. 8. & 9.*

APOCOMMA II.

Henrici Magni maximus exercitus, *inhibitus.*

I. GRamondi, *præsidis* (ut alio loco dixi) *curiæ* Tolosatis, in primo gestorum Ludovici decimi tertii libro, verba sunt, in Henrici IV. commendationem; *Otiô regiam ac regnum eum impléſse : non antè calamitate publicâ miserum*, *quàm*, *postquam instruxerat acies* ✶ ✶.

Acies autem illæ futuræ multiplices erant. *Primò* quidem, ex eo *triplici*, quem supra diximus, formidabilem principibus Galliæ vicinis, & collectum jam fuisse, Gallorum, & sociorum, mercedéque militantium, *exercitu*. quorum *primum* (ne recedam à Gramondi

Henricus IV. Galliarum Rex.

Digitized by Google

verbis) *Mareſchallus Eſdiguerius*, *ad Delphinates* ; *alterum*, *Nivernus Dux*, *ad Campaniam* ; *tertium*, *Rex ipſe*, *ſolô*, *Lutetiæ circumjectô*, *regebat* : *altô*, (quod ſolerter addit) in expeditionem, *ſecretô*.

Quæ quidem Gramondi verba, ſuperiùs allatis ex Hartwico, non repugnant ; ſed ea *Ducibus* tantùm magìs *diſtincta* reddunt.

II. *Deinde*, ſi (velut ibidem ſubindicavi) prima Regis, ac fœdere junctorum, conſilia provenisſent ; *rex* idem, in *quadriennium* deinceps, quo ſe res animô conceptas emoliturum opere confidebat, copias, primîs illis *incredibiliter ampliores*, mente deſtinârat ; exactéque ſuos in ordines, & belli ſubſidia, deſcripſerat. Singillatim, *peditatûs*, è Gallia ſociîsque populis, ducenta ſexaginta militum millia ; præter lixas & calones, oppidò multos. *equitum* millia quinquaginta : tormentorum, & balliſtarum currilium grandiorum, ducentas, ſeptendecim. grandiorum prætereà navium, ac triremium, centum, itidémque ſeptendecim ; præter onerariarum, incendiariarum, & mediæ magnitudinis actuariarum, multitudinem ingentem.

Quem univerſum, tam *formidabilem*, apparatum

paratum, posteaquam Christianorum terras Europæas omnes in *Quindecim*, æqualiter utcunque dimensos, Principatus, ac jurisdictiones (1), dispertîsset, quà voluntate singularum, quà bellô coactarum, (2) nationum; tum demum, auctoritate regis Henrici Borbonii, divisâ *tres* in partes universâ, quam antè paullò descripsimus, expeditione: decretum erat; ut geminæ partes *continenti*, tertia *mari*, Turciam simul ac semel obruerent: ad domûs *Otomannicæ* plenissimam exstirpationem. (3)

Consilia fuerunt *Humana*; fortasséque bona. sed Domini, *bella*. (4) Moles armorum ista, tam ingens, & sonora; tempestatis instar, Thracibus imminebat. sed, *obnuntiante* malô fatô, majus in *tonitru*, quàm in *fulmen*, erupit.

TESTIMONIA.

(1) *Pere-fixe, pag. 601. fin. ubi vocibus utitur Germanicis istis.* Fünffzehen Herrschafften/ oder Staade/ von gleicher Macht/ vnd Gewalt / sovil / als möglich sey / einzutheilen. *pag. 602.* (2) *Idem, paginâ 621. & alibi suprà.* (3) *Idem, pag. 607. ad med.* (4) *Lib. 1. reg. capite 17. v. 47.*

METRUM.

Henricus IV. Galliarum Rex.

METRUM.

SExaginta (1), *uno galeata, revisâque, campô,*
Stant, ad Borbonias millia *prompta tubas.*
Regna tremunt : quæritque orbis , Quorsum arma coruscent
Celtica ? *& hunc Xerxen Attica multa pavet.*
Ecqua Navarræis *se opponant classica signis?*
Quæ tantas acies vis fuget, arma doment?
Proh, fallax spes, atque metus ! *Dum cuncta timentur,*
Nec nihil ambitur ; vertit utrumque dies.
Rex cadit : arma labant : famæque errore tremendas,
Tot gladiorum acies, *unica* sica *hebetat.*

NOTA.

(1) *Hunc numerum alii ponunt : & non tantùm 40000. Vide etiam Appamianum, de eo, in Campania lustratô, mense Aprili.*
Item, Continuat: & Merc: Gallobelg:

APO-

APOCOMMA III.

Antistita Trebnizensis, fœdifraga.

I. PRovinciæ *Silesiæ*, sub *Elsensi* principatu, non obscurum oppidulum est, TREBNIZIUM; Trachenbergio vicinum; Poloniam versùs, & ad Septentriones, situm. Ejus, haud admodum vetusti, primam creditur originem, & extructionis exemplum, præbuisse celeberrimus ille Dei famularum parthenon: cujus, sub hoc ipso *Trebnizii* vocabulo, primus conditor *Henricus* fuit, Silesiæ Dux Lignizensis, cognomento *Barbatus*; sanctissimæ mulieris, itémque Ducis, *Hedwigæ* maritus. Sedecim annos ejus sacræ gynæceticidæ ædificatio tenuit; non è *Sanguinibus*, (ut divinæ nonnunquam litteræ loquuntur.) nec è lucris tributisq; *cruentâ* subjectorum oppressione *corrasis*, (qualia Ludovico cuidam regi, Divus Franciscus Paulanus monstravit, & intendit;) sed justis è reditibus suis; & universorum, è tota Silesia, capitis damnatorum assiduis laboribus, novissimò supplicio permutatis. Quod accidit, circa restitutæ nobis

Antistita Trebnizensis.

nobis salutis annum, millesimum ducentesimum decimum octavum. (1)

II. In eo porrò, quem memoravi, *Virginum* conventu nobilî, sub sæculi superioris exitum, nuncupatîs Deo palàm votîs, omni Religiosarum familiæ sollemnibus; *Maria* quædam, cognomentô, stirpéque, *Lukia*, sacramentum dixit: quam dein', gradatim, annîs aliquot elapsîs, virtutum suarum, sive meritô, sive simulatione, tirocinium, ætásque, quantumvis tenerior, ad veteranarum quoque maturitatem, & officia, protrusit. Ità, tametsi *sectariô* nata patre, (cujus generis hominibus, inprimísq; sexui mobiliori, plerumque spatium, ad rectum animi statum firmandum, *prorogari* potiùs, quàm *contrahi*, fas esset); priùs tamen, quàm oportuisset, in locum evecta summum est: omnésque, *præterquam seipsam*, regere cœpit. Posteaquam enim hæc, omnî domesticô jam exsoluta magisteriô, liberiùs vivendi nacta potestatem erat; exitus deinde propalavit, Quid ei *caro sanguísque*; quid, *illecebrarum lena*, *fœminea procacitas*, dictare cœperint.

III. Erat ex eo numero prurientium adhuc *mundi-scabie*, reliquiísque, *Lukia*; de qui-

quibus ad Timotheum Paulus disserit, dum perierit, de perversis vae doctoribus quibus-
..., (quales hic, ut in medio nationis tunc ...ereticæ, non ambigimus, intervenisse) *pene-
...antibus domos*, etiam sacras; *& captivas du-
...entibus mulierculas, oneratas peccatis; quæ du-
...cuntur variis desideriis*: (2) *cumque luxuriatæ
...erint in Christo*; redditibus Ecclesiæ, patri-
...oniôq; supremi pastoris, saginatæ; tum de-
...um *nubere volunt*; *matresfamilias fieri*; *fi-*
..., ac filias, *procreare*: *fidem* utique *primam*,
...celesti sponso datam, *irritam facientes*. (3)

IV. Luka, non exspectatô, dum sibi ...hristus, ceu dirimendi connubii, *repudium ...aceret*; prævenit eum: &, impatientiâ calo... æstibus, priusquam ætas & forma deflo... ...ferent, claves ei remisit; alias sibi post... ...e, & alterius juris, appensura. Convasatis ...ere, haud dubiè, clanculum è spoliis mona... ...erii, quæ profanam in posterum mensam, ac ...telliam, utibedeêmq; mundam, instruerent, ...ravit monacham: *auspiciis* sacrum pedum, ... capitis velum, abjecit; propalam, *Virgini ..., nuptiasque, lege natura, quærere*, professa, ...er dubitavit (ut est impudentia *sceleratarum* ...alierum incredibilis) in conspectum prodire

Suspe-

Antistita Trebnizensis.

Silesiæ-statuum, in curia comitiísque *Vratislaviensibus* collectorum; suíque cum Christo divortii caussam illis approbare conari: verbis primùm, impietate plenîs; mox & verbosiore scriptô, quod etiamnum annalium heterodoxorum monimenta (4), tanquam *Sibyllæ folium*, ostentant. Spirare sentires impudens ós ejus, & exhalare, seu genitoris acatholici spiritum, & alliata præcordia; seu recentioris cujuspiam rabulæ, blasphemum, hypocrisíque mistum, ructum. Qualia sunt (pauca, pro multis,) *Honorem se parentibus debuisse, quartô Decalogi præcepto subactam. Honorari verò decentiùs eos, quàm imitatione vitæ, non posse; vitæ præsertim, purô, priscôque Dei VERBO, nec in idololatriam evagante, nixæ: cujusmodi vitam pater quondam suus & duxerit, & obierit; Melanchthonianæ doctrinæ sectator. Illius igitur & se pressuram esse vestigia; ne, sub vitæ finem, filia degener & inobsequens inveniatur. Mandatô divinô conjugium indici: sterilique virgini, clarô præconiô,* Matrem filiorum lætantem *in Psalmis anteferri. Cur jugô monasticô nobiles premi juvenculas; & labore famularum, heriles filias? quibus leges, & traditiones hominum, imponere super humeros*, ad id non natos; *esse verecun-*

recundiæ debeat, non honori. Cantillare præterea, diurnis, ac nocturnis, horarum intervallis, per nares potiùs, quàm ex imo ductas corde, Latiales (quas non intelligas) DEI laudes; quid à næniis anicularum, ad cunabula gannientium, differre? Sanè supellectilem operum exteriorum universam, & ciborum delectûs, & abstinentiæ, jejunii, molestiarum corporis, arcanarum suîmet accusationum, & è pane vinóque sacrificiorum: eas, inutiles esse, supervacuásque, cærimonias; ubi planissimum sit ad cœlum iter, SOLA FIDES: *dicente Christo (ringeretur licèt, ac rumperetur,* Antichristus) *Qui crediderit, & ablutus baptismô fuerit, Salvum futurum. Eccuj proinde sibi bono fore, postquam* JUSTA VIVAT EX FIDE (5): *monasticis insuper, vel ipsam gravari legibus; vel se gravare suas? quorum ut neutrum posthac necesse sit;* ABBATISSÆ *se, non modò nomen, solô quoque vocis sonô propudiosum; sed & magnificentiam,* PUTIDAMq; (6) POMPAM, *(quod faustum felixq; fuat!) exuisse: perpetuóq; deinceps exutam velle.* Sic dixit Lukia; sic scripsit: ac nuptum abivit.

V. Nimirum id habent arrogantiæ-ridiculæ, resilientes è septis cœnobiticis, quæ

Antistita Trebnizensis.

cum *clavo* regiminis, *clavem* quoque *scientiæ* se possedisse somniant, mulierculæ: multùm ut è Scriptis divinis, vernaculâ linguâ vulgatîs, ac lectitatîs, nec tamen sanè perceptîs, garrire gestiant, & disputare; coram *viris* quoque. sicut hæc *Ex-antistes*, nec tamen sinè suî similium antè se vestigiis exemplôque, fecit. Quarum antesignanam facilè quis dixerit *Alemannicam* illam, Lutheri temporibus, *Argulam* (7), domô, ni fallor, *Stauffiorum* ortam; & subinde caussis iisdem stimulísque, quibus *Lukia* furiabatur, *develatam*. Ea (pròh facinus!) haud contenta, sui doctoris è scriptis, & Scripturæ tralationibus, plebem publicè, super altissimis *Fidei* disceptationibus, erudire: librô præterea deliriorum suorum evulgatô, doctissimam Universitatis *Ingolstadianæ* Theologiam, & imò reliquum *Athenéon* illud omne, præpositîs fronti-libri quasi pugnæ classicîs, ad altercationem amœbæam (8) provocavit.

Magnificè (sicut omnia), quódq; vulgò dicimus, *Ad Hominem*, Universitas hujc Argulæ respondit: quando *colum*, *pensum*, *fusos*, ei mittendo, *silere*, *sedere*, *nere* quasillariam, jusserunt.

TESTI-

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Abrahamus Sanræus, in Urbibus V.* Trebnitz. (2) *2. ad Timoth. cap. 3. v. 6.* (3) *2. ad Timoth. cap. 5. v. 11. & 12.* (4) *Continuator Slejd. in annum 1610.* (5) *S. Paul. ad Rom. cap. 1. v. 17. Ad Galat. 3. v. 11. Ad Hebr. 10. v. 38. Hæc autem eadem prorsus loca Scripturæ afferunt, tomo 6. operum Lutheri, Ratione statim I. deserti à se monasterii Frejbergensis, Ursula, Ducissa Mœnsterbergensis; & Dorothea Thanbergin, ac Margareta Volemaria, die 28. Aprilis, anni 1528.* (6) *Propositionem, apostasiæq; suæ æquissimas (ut putabat) causas, à Lukia Statibus Silesiis Breslaviæ allatas, fusè Continuator Slejdani lib. 16. producit. quarum in fine demum in hæc verborum sputa desertrix erumpit.* Also hab ich/ im Namen der H. Dreyfaltigkeit GOttes/ die stinckende Ehr vnd Herrlichkeit der Aeptissin abgelöst. *&c.* (7) *Eam, ut reor, illam ipsam Florim. Remond. de ortu hæres. l. 7. c. 7. num. 5. nominat* Ursulam; *fortasse binominem.* (8) *Thesium assertionúmve; & Responsionum ad eas, alternatim.*

Antistita Trebnizensis.

METRUM.

VIrgineis præpôsita choris, thalamísque, tuendis,
Ac peplô insignis principe, Flaminica,
Innuptas tandem vittas, apicatáque Magnæ,
(Sed sterilis,) Matris, *nomina ferre, negat.*
Ne sit, (ut Ordo jubet), præcinctis Luccia *lumbis,*
Discinctâ mutat pallia sacra togâ:
Islebidósque exempla Boræ (1) *tedásque secuta,*
Partheniis præfert arcibus arva Cypri.
Nec, Christi suave *esse* jugum (2), *sinè Compare, credit;*
Et sola hujc pariens, *est Veneranda*, parens.
Ne non esse tamen Reverenda *per omnia* Mater
Jura, videretur, dedecorisque fugax;
Sternaces phaleris petulans equa palliat armos,
Et succussores calceat arte pedes.
Perfidiam pietate tegit; PATER *(inquit) idipsum*
Pressit iter. patriam nata tenebo viam.
Insuper & tituli scelus hoc horrore colorat;
Turpe sacris scapulis est Dominantis *onus:*
Turpe, sub imperio ingenuas spirare puellas;
Turpius, Imperium siqua puella gerat.
Psallere, fasce Operum sua terga gravare, fateri
Crimina, thuricremis Missificare (3) *focis,*
Barbaries (ait) est: Abbatissare, *mephitis;*
Fœtida *vox, sexûs hermaphrodita mei.*
Abbatem *si namque* Patrem *Syra gens vocat; ecquò*
Abbatissa *queam munus obire* patris?
Pròh, Superi! quantum sapere est, in simplice pallâ?
Doctè hæc! Sed tandem hic, Luccia, pone modum.

Dic

Dic lixis, dic ista coquis. mihi vendere fumos,
Et dare verba, grave est. Dicta resume tua.
Fœtida *si visa est Abbatissare*, mephitis;
Si Patris, *ob solam hanc, ad sacra, nata redis:*
Quòd sic patrissas (4); *quòd nympha virosa* (5), *procàxque,*
Matrissas (6); *quid te hic credis olere* capræ?

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Catharina Bora; è monacha, prophetæ Islebigenæ sectatricis, usque ad contubernium synthalamicum.* (2) *Matth.11. v.30.* (3) *Frequens ista vocis barbaries est, in ludibrium incruenti Catholicorum Sacrificii, blasphemo apostata, historiæ Scoticæ scriptori. quem, in hoc, secuti sunt omnes* Missæ-hostes. (4) *Patrem imitaris, (Terentii est, in Adelphis. Actu 4. sc. 3. ad med.) confessionis Augustanæ amplexu.* (5) *Viri appetens, ἀνδρομανής. quas fœminas Petronius vocat* Secutulejas. (6) *Matrem imitaris; catulire & ipsa gestiens, & concipere.* Onomatopœja.



L 3 ANNUS
Antistitæ Trebnizensis.

ANNUS M.DC.XI.

ANNI M. DC. XI.

Gestorum

SYNOPSIS.

I. MEmorandarum rerum, &, (si paucas aliquot excipias), celebriorum procellarum, parcior Annus hic, narrationis plurimum insumpturus esset, in Lusitanorum adversùs Batavos maritimo concursu; Christiani II. Saxonis Electoris, decessu; Joannísque Georgii, fratris ejus, successione; turbîs Aquisgranensium, à Senatu suo dissidentium; Wallachiâ, Waywodæ Rádulis fortitudine recuperatâ; Gabriele Báthore, denuò Daciam turbante; Brunswicensibus, proscriptione Cæsareâ coërcitîs; Juvaviensis metropolîtæ, propter Bavaricas impendentes ipsi vires, fugâ, vinculísque. Quibus omnibus, aliísque talibus, sinè necessitate longioris in exponendo moræ, *transcursus* festinus sufficit. In *Metro* verò, planè silentium; ne lectorem, in uno

uno frequenter & eodem argumento, bis torqueamus: quippe, *liberâ* primùm illum, eâq; prolixâ; deinde mox & *vinctâ*, nec multò breviore, percursione rerum saturando. Quod in superioribus plerisq; si rerum occurrentium copia, cum venia, fecit; in annis certè sterilioribus, non parî cum indulgentiâ, præstiterit egestas. Sed nos ad *Acta* veniamus anni; *memoriâ*, quàm *numerô*, digniora.

II. Per mensem Februarium, *Passavicus*, (quem ab *Episcopo* sic, ejus ductore, vulgò nominabant) *exercitus*, ab Juliáco rebus infectîs, amissîsque, nuper reversus; cùm turbidis animîs, sub auspiciis Cæsareis se stipendia *fecisse* magìs, quàm *accepisse*, quæstorum iniquitate, quereretur: in Bohemiam (cujus regiam urbem, sedémque, Rudolphus imperator, etiam tum, incolebat) iter flectens; *Pragam* ipsam, ut ad solutionem compelleret Cæsarem, aggreditur. Irruptione verò, non improvisâ minùs, quàm truculentâ, *Minorem*, quam vocant, *Pragam* occupantes; stipendium ipsi sibi conficiunt, urbis violentâ direptione. Visa res opportuna civitatis incolis, præsertim *Hussitis*, ac cæteris, prava sectantibus; per causam coërcendi tumultûs, arma vicissim

corripere : nec in *militem* magìs , fortunarum suarum direptorem , quàm in *orthodoxorum* domos, (etiam sacras,) templa , cœnobia, quódque caput erat immanitatis , etiam in *capita*, debacchari. Quàm dirè verò *Seditionis* isti, (si Superis placet,) *sedatores*, etiam in *astrictæ Religionis* cultores tunc sævierint; meminimus nos, & horruimus, etiam è tabellis, & in æs incisîs *iconibus* : quæ sub id tempus oppidatim ostiatímque circumferebantur; positîs in conspectu sicariîs, incendiariîs , jugulantibus, ac præcipitantibus : cùm ascetarum alii, per fenestras editiorum conclavium, alii per valvas tectorum & turrium, alii per declivia summorum culminum, aut de pinnarum , quas manu corripuerant , marginibus, detrusi, detracti, propulsi dejectíque, per aërem volitarent ; &, in capita proturbati, crudeliter eliderentur. Porrò, totum eorum, qui necabantur, crimen erat, *religio Catholica*; bellô tunc Juliacensi quoque , *contra Sectarios fœderatos*, in tutelam recepta. cujus invidiâ proinde conflagrabant *Pragæ* quoque, tantô locorum à spatio, viri boni, qui nunquam *arma*, sed semper *saccum* ac *mánticam*, gestârant. (1)

III. Evo-

III. Evocatus autem, inter hæc, velut in remedium malorum, à prócerum quibusdam, rex Pannoniæ, *Matthias Austriacus*; quanquam facta reddere nequiret infecta, tamen, in præmium quodammodo pacatioris rerum statûs, à Pragensibus *Rex* adoptatur *Bohemiæ*: vivente tum etiamnum *Rudolpho* fratre, regni possessore. mox & Majô mense, sic Ordinibus regni volentibus, coronatus, inauguratur. (2) Nuptias verò, cum *Anna*, stirpis Austriacæ virgine Tyrolensi, meditanti sub idem tempus Matthiæ; *Vienna* theatrorum comicorum, arcuúmque triumphalium, apparatu præsultabat. cuj lætitiæ, partium adversarum scriptores, vel addebant, vel affingebant, (nullô reipsa dedecore,) vestium vexillorúmque per omnes civium tribus, cultum novum; vini nuptialis urnarum quinque millia; boves opímos, mille sexcentos: coquos denique trecentos, *Hilariis* illis præparatos. (3) Sed, quid criminis habere poterat; In publica lætitiâ, *regalî* victu vitam prorogare?

IV. Septentrionis inter Reges, *Danum* ac *Suecum*, temporis haud exigui dissidium, hôc tandem annô mutuas in clades graviùs ex-

exarsit. Caussa discordiæ potissima, *Danicæ* naves, Hellespontô Cimbrorum frequenter Borussiam, insulâmq; Rigam, petentes; à *Suecis* verò cursu prohibitæ, detentæq;, nec redditæ. Lápponés item, maritima Nortwegiæ colentes, ab exactoribus tributorum Gothicis afflicti. Regni Nortwegici, contra morem tunc, (ut ajebant,) & jura majorum, à Sueco rege *titulus* usurpari cœptus; & Nicolaus denique Wahlius, fecialis, unà cum æneatore geminô missus Hafniâ Stocholmium, ad bellum Suecis indicendum; quasi per contemptum denuntiationis armorum, alto silentiô retentus.

Hîs irritatus rex Daniæ, Christianus IV. ad Calmariam, Australis Gothiæ permunitum oppidum, arcem, ac portum, postridie Calendarum Maji movet. urbem ipsam multorum dierum operosô Marte capit, ad exitum mensis. arcem cùm tunc capere nequiret, in oculis suis asylum esse pati cogitur eorum; qui, gladium ut effugerent, eò se receperant. Nam oppidanorum, quidquid repertum erat, armatum & inerme, ferrô deletum est; ne *fœminis* quidem (quibus tamen, cum impuberibus, parci rex jusserat) cladem effugientibus: quòd hæ militaris *iræ* flammam, (*semper in vi-*

in victoria temperari difficillimam) insuper & lapidatione de tectis, irritâssent.

V. Invicem igitur *Calmariæ Manes* solaturus, rex Sueciæ, *Carolus*; paullò pòst, dolosô strategemate potitus *Christianopoli* Cimbrorum, cædibus exhaurit urbem; incolísque vacuam, flammîs absumit. Calmariam, extrusis Danîs, recipit; sed possessione fugitivâ. Statim enim, animîs ex hac geminâ clade jacturâque flagrantioribus, Dani, Gothorum incurrunt classem; captámque diripiunt. Tum ad *Calmariam* amissam reversi; non eam modò recipiunt, sed &, quam nunquam ceperant, *arcem* in potestatem redigunt: Christiano Sommiô, qui pro Suecis eam tenuerat, tradente, cum centum & octo tormentis æneis; ipsóque denique Calmariensi portu, sex navibus armatîs instructô; necnon omnî pugnæ navalis ac terrestris apparatu. Currentem verò fortunæ Gothicæ, semel inclinatæ, ventum improsperum, eodem tempore secutum est Goldburgum; & Oelandia, Bornholmiáque, non aspernandæ Baltici maris insulæ, Danis adjunctæ: spectantibus hæc omnia cominus eminúsve tunc Gothîs; & nec Sommio suppetiarum spem, ad arcis Calmariensis reten-

Anni Actæ.

tentionem, ostendentibus: nec aperti Martis copiam Cimbro facientibus; victoriæ diffidentiâ. Quam desperationis segnitiem paullò pòst auxerat, sub Augustum pæne vergentem, à *Carolo* rege denuò tentata, sed iterum læva, certaminis fortuna: sic, ut illius tunc regni sors profligata planè videretur; cùm tamen, *orthodoxorum* nemine se partibus immiscente, *Protestantes* soli cum *Protestantibus* belligerarent. (4)

VI. *Carolus* igitur, novissimi maximè prœlii funesto successu, tantùm non actus in rabiem; &, veluti regiæ dignitatis oblivione, parùm memor, *adhuc multos superesse Suecos*, qui pro rege *Sueciæ* sua possent, ac vellent, objicere corpora: *privati* more, vir virum legens, iracundè scriptîs missîsque litterîs, ad *certamen* denique *singulare* Daniæ regem provocavit. Eam *Rex Danus* provocationem, (si Cluverum audiamus, Danicum etiam ipsum scriptorem,) *salsè* videlicet *elusit*. si verò regis stylum inspiciamus; cum *sale*, multum habente *bilis*, & aloës. *Suecus* quidem certè digerere *rhabarbarum* illius epistolæ Cimbricæ (cujus, ut & Suecicæ, nos exemplum in *Notis* symbolicum afferemus) adeò non valuit;

luit; ut, *ad morbum articularem*, senectutem, curásque bellicas, *convitiorum* etiam accedente sensu, *mœroréque*, decesserit, Novembrî mense. (5) Cuj suffectus in regno *Gustavus Adolphus* filius, octodecennis; vota, *Sigismundo Polono* studentium, elusit: Gothorum verò suorum, implevit.

VII. At interim *Sigismundo* dispendium hoc, interceptæ paternæ successionis, emendavit, in alia terrarum plagâ, sua virtus, atque felicitas. Hic enim demum annus, *Smolenskum* ei, (de quo munitissimo Moscoviæ Russiæque propugnaculô superiùs diximus,) post biennem, & acerrimam, oppugnationem Juliô mense subjecit: ad expugnantium invictam manum (6) accedente tandem, (ut quidam memorant,) etiam *inedia* minace *vi*; *deditionum eloquente Suadâ*. Cùm autem inter hæc Rex, & Moscos à Borysthenis ripis ità validè rejecisset; ut eorum, ad *Smolenskum* solum, & intrà vallum ejus, *ducenta* (quod alibi quoque dixi) *millia* variæ clades absumerent: & is idem, è castellis, omnî circumquaque Russiâ per id tempus occupatîs, præsidia dejiceret, hostilémque militem ad paucitatem redigeret; *decem millium* deni-que

que subsidiô, cujus pléraque vis equestris erat, pridem in interiora Moscovię præmissum exercitum firmans, & augens; quotidie formidabiliorem se Scythis illis efficiebat. Ipse, regni sui pacificìs etiam à curis aliquousq; domum revocatus; ad indicta jam antè Prócerum ac nobilitatis Comitia *Varsaviam* contendit: eámque, Reginâ conjuge filióque Uladislao, comitatus, septem millibus Hejduccorum, aliâque regii corporis armatâ custodiâ, stipantibus, intravit; ab omnibus ubique, variâ lætitiæ publicæ significatione, bellicísque tormentîs asonantibus, exceptus.

In iis porrò, quæ dixi, regni *comitiis*, non victoriæ tantùm Ruthenicæ, sed clementiæ quoque novæ, majestati mixtæ, fructum *Sigismundus*, applausúmque, mirificum accepit; occasione, quam expono.

VIII. Meminimus, anni proximè præcedentis gestis Polonicis quasi *coronarium* accessisse, *Smiskii*, magni-*Moscorum-Ducis*, cum *duobus* ejus *fratribus*, in acie captivitatem, & custodiam; eis circumpositam. Ii nunc ergò, dum, in Prócerum regníque maximo consessu, curulî sublimis sellâ *Rex* spectandum se dat; ante pedes ejus, inermes qui-

ad pag. 175.
REX POLONIÆ
SIGISMUNDUS III.
Ætate Viridiore



quidem, ſed ſorte magìs, quàm habitu ſqualoréque, vinctorum, ſtatuuntur. Ac *Suiſkius* quidem, ceu *Magnus*, ut dixi, Moſcoviæ *Dux*, & Ruſsorum *imperator*, inferiore pariter ſuperioréque tunicâ velatus, aurô ſolidô contextîs, ſpectabatur. Non diſparis telæ veſtis interior *fratrum*; inferioris tantummodo pretii ſummum amictum, ac diſcolórem, præferebat: in *majore* quidem fratre, ſapphírini prorſus, adeóque cœrulei, ſplendoris; in *minore* verô, pomum aureum imitantis. Hôc, quem dixi, cultu corporum adſtantibus captivîs, orationem ingreſsus magnificam, ac veram, Polonicæ militiæ ſupremus in Moſcovia ductor, *Schelkezkyus*; ut oſtenderet, ſe, neque dum hos caperet, tenuem eſse prædam ſectatum, neque, dum eos Regi victori ſiſteret, vile munus afferre; Baſilii Joánnidæ, Cniacórum, Vaſchaviorum, Suiſkiíque totam ſtirpem illuſtriſſimam, & inclyta belli facinora, memorare cœpit. Ibi tum, ſermone mediô, recordantibus priſtinam fortunam, & clara geſta, quantámque ſubitò nuper in calamitatem ſummô de culmine decidiſsent, ſubortæ fratribus Magni-Ducis lacrymæ; guttatim inundare pectora, veſtésque; ſimùl au-

tem,

Anni Acta.

tem, mollire spectantium quoque mentes, oculósque, nec immeritò, cœperunt. *Omnis enim humana calamitas miseranda cùm sit; claris tamen in fastigiis*, (præsertim innoxiis,) *præcipuè flexanimis est*. At non animi tam infracti *Dux* ipse; si quando *Magnus*, tunc verè fratribus, ac seipso, *Major*, immotô stare situ, constante vultu, siccis oculis; in tanta suæ sortis indignitate, nihil indignum se gerere, nihil fari: *mallétq., fleri se, quàm flere.*

IX. Perculit mitissimum *Sigismundi* regis pectus, hinc *fratrum* Ducis lucidus per genas ploratus; indè *Dux* ipse, tantus modò monarcha: nec tamen ingenitæ magnitudinis, etiam in ipsa depressione majestatis, immemor. Simùl autem subibat animum, *Casuum humanorum, omnibus impendens, vicissitudo.*

Quòd ergò *maximè regium* fore videbat, *Afflictos post ruinam erigere*; clementer affatus illos, *Bonum jussit animum habere. Quidquid, pro præsenti rerum conditione, gratiæ, quidquid ab ullo victore sperare benevolentiæ possent; id à se, fide regum, exspectarent.*

In hæc verba Regis, genibus advoluti Mosci tres supplices: uno simùl ore, simùl animorum corporúmque gestu, quod offerebatur,

batur, idem ipsi quoque rogabant; *gratiam* & orantes, & exhibitam agnoscentes. Ubi, nemini facile fuit, supprimere misericordes lacrymas, ad hoc, ità *fracta* Moscoviæ, statímque sic *erecta* refectæque, spectaculum: cùm præsertim viderent, *Magnum Czarem* (7), quem non imperii curæ, non exercitûs sui jactura, non ipsæ postea captivitatis ærumnæ, non in oculis Comitiorum-hostilium standi necessitas, veterísque fortunæ memoria, curvâssent; pronum accidisse genibus clementis, non tam *Victoris*, ac *domini*, quàm benigni *patris*: &, ad summam! quam *quercum*, nullis antehac ventorum incursibus adversa flexissent, eam tunc, uno *Favonii* regalis afflatu blandô stratam, procubuisse. (8)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Hujus Pragensium seditiosorum*, in res personásque sacras, diræ crudelitatis, *meminit etiam Appamianus, in hunc annum, num. 1.* (2) *Idem, ibidem.* (3) *Slejdanus Redivivus Germanicus, in folio Francofurti editus, anno 1618. pag. 1214. princip.* (4) *De his hucusque tradunt Slejd. redivivus, lib. 16. pag. 1212. Cluverus,*

verus, in Epitoma, an. 1611. Appamianus in eund. annum, num. 4. & Abrahamus Sawrius, verbô Calmar. (5) *Appamianus, in annum 1611. num. 4. Cluverus, in eund. annum. Epistolam porrò Cimbrorum regis, ad Regem Gothorum datam, hujc, languore morbi cladibúsque bellicîs jam antè multùm afflicto, ad dolores, (animi præsertim,) augendos conferre plurimùm potuisse; monstrari posset ex utriusque* Litterarum, *superstitibus etiamnum, exemplaribus apud Slejd. Continuatorem, paginis 1212. & 1213. Sed quoniam his ipsis simillima sunt amœbææ illæ Du-cum* Leandri *&* Cleandri *epistolæ, quæ repe-riuntur apud auctorem, adhuc* ἀνέκδοτον, A-delphidis *(id est, scripti allegorici, de rebus, & bellis, Germanicorum in Imperio motuum, sub velis nominum ænigmaticîs): eas ego epistolas, latinè redditas, in medium profero. Sunt autem istæ.*

Leandri, ducis Alanorum, ad Cleandrum Calanorum ducem, epistola.

L*Eander*, cœli benignitate, Protarchus, ordine successionis nominum un-de-decimus,

mus, Alanorum, Thogórum, Anemórum, Natagundorum, Recallorum, Papalórum, Arcto-papalórum, Jacanorum, ac Stereorum in Vilonibus, supremus sceptrúchus: Arguo te, Cleandrum, Calanorum in Chersoneso Proarctica, Ducem quartum; neque boni viri, neque Ducis religiosi, partibus esse functum: quando, nec ullo mortalium cogente, nec ullâ caussâ legitimâ te trahente, placida pacis pacta, fœdúsque, inter illustria Vesciæ, Nadiæ, & Arctódiæ sceptra, in oppido Nitteſtæ, quadragesimô abhinc annô, ictum dissipâsti: magnámque armatorum multitudinem, adversùs munitissimam regionum nostrarum arcem, *Malácriam*, eduxisti. Quo loco, primùm quidem urbem, munitioni illi circumjectam, superatîs mœnibus, occupâsti. post hæc autem, & urbis ejus arcem ipsam, *proditione* tibi traditam, sicut & Elæochóram, & Molhobrógam, tuæ possessionis, nullo juris titulô, fecisti. qua tuorum armorum violentiâ, belli tam cruenti catarrhactas aperuisti; quantæ, nisi longô pòst tempore, cædiúmque latè diffusô diluviô, non claudentur. Confidimus tamen, Jovem, Jehovámve, ter maximum, potentiâ æquè, ac justitiâ, providentiâque, præ-

M 2 pollen-

Anni Acta.

pollentem, tam deliberatæ tuæ erga nos audaciæ pœnas & supplicia capturum. Ad nos autem quod attinet: tametsi aptissima quæque, nostrûmque utriusque Religioni convenientissima, pacis reconciliandæ consilia proposuerimus (quæ tu tamen, Cleander, nunquam non respuisti) nequid nihilosecius, ne nunc quidem, intentatum relinquamus; agè sanè, postremum hoc, & ab acerba necessitate expressum, mali remedium apprehendamus. Ac, quoniam nobis de tuâmet in castris præsentia satìs constat; ut hinc quidem, multitudinum utrimque cædibus parcatur; illinc autem, veteris nostræ bellicæ fortitudinis gloria nullâ suî parte obsolescat: i, Cleander, rape gladium & arma; priscorúmque Græciæ heroum (Hectoris & Achillis, Paridis ac Menelai,) secutus exempla celebria, mecum duellô, si quid audes, apertô congredere campô, locô planitiéque purâ: geminô comitatus, è nobilitate Calanorum tuorum, equite subsidiariô; certaminíque singulari, sinè dolo malo ullo, inequitans. Sic in nos tendenti, vicissim & nos occurremus, geminô itidem, de nostris Alanis, equite nobilì stipati. De cætero, simplicî nos, ac solitô

litô tecti amictu; panopliâ nullâ, nullâ capitis galeâ cassidéve, nullâ pectoris loricâ, thoracéve ferreô aliô, ac ne quidem colóbio pellis impenetrabilioris ullius obmuniti: solum dextrâ *ferrum hypozonium* gerentes, concurremus. Erit itaque tuarum quoque partium; utì sit incessus ornatúsque, nostro simillimus: occursus in duellum, ac descensus in pugnam, idem. Esto, sicuti *Leandri*, sic & *Cleandri*, comitatus auxiliaris instructus armîs. Equitent, utì nos, sic & utrique illi: per totum armati corpus utrique; sic tamen, ut nostrorum alter geminîs munitus sclopîs sit, minoribus, glande fartîs; & ferrô subalárî succinctus: alter autem, catapultâ, sclopôque simplice, nec non ense pariter ad latus pendente, obarmatus. Tales prorsus, incedunto tui quoque stipatores duo. Nos interim te, si pacta refugias, numerô nec Ducis ingenui, nec militis cordati, ducemus. Quocirca, quid acturus sis, decerne. Nobis, duelli manet immota mens.

Cleandri, Calanorum Ducis, ad Leandrum, Ducem Alanorum, responsoria.

CLeander, favore Numinis, Nadiæ & Arctódiæ Protarchus, nominum serie quartus: narro tibi Leandro, Alanorum Duci nono; tuas, levitate & immodestiâ rancidas, litteras manu tubicinis nobis fuisse traditas. Iis nos quidem, talî præsertim stylo ductîs, adversùm nos te supersessurum esse, meritò sperarâmus. Sed, ut videmus, & manu tangimus; etiam exactô jam æstuoso Sirii-astri decursu, rabidæ tamen *Caniculæ* sidus in cerebro tuo, plus-nimiô regnat etiamnum, ac te pariter, virésque suas, exercet. Quocirca nos quoque, desperatîs cæteris sanandi tuî remediîs, nullâ tui culminis reverentiâ, prisci memores adagii, sylvestris ad exemplar *Echûs*, verbis tuis verba nostra, criminantíque tibi criminationes nostras, reponere decrevimus. id, quod impræsentiarum præstamus.

Dum itaque negas, nos boni viri, Ducísque pii, partibus esse functos, in Nitteftini fœderis pactîs evertendîs: ipse tu viri veriloqui

loqui partes & officium transsilis, ut Calumniator, ac boni nominis alieni contaminator: cujus est, quoties vires eum, & arma deficiunt, à convitiis præsidium sibi tutelámque poscere.

Quòd arguis, nullâ caussâ nos tractos compulsósve, bellum finibus tuis intulisse: scire debes, Ad arma nos, & controversias has Martiales, non nisi supremô necessitatis articulô cogente, protrusos esse. Id, quod omnî naturæ, gentium, ac legum jure, nos confidimus, novissimo quondam Orbis tribunali, terrâ cœlôque testibus, approbaturos. ubi te quoque, Leander, inexorabilis urnæ lex sistet; dicturum caussam, tam de tantâ sanguinis, à nobis necessariò fusi, eluvione, quàm de aliis tyrannidis tuæ sævîs, in amicos tuósmet, egenósque clientes, hac tempestate districtîs facinoribus, & exemplîs.

Quòd porrò scribis, primùm nos Malacriam urbem occupâsse; post hæc autem, & quidem *proditionis* viâ, Malacriensem arcem, nec non Elæochóram & Molhobrógum, cepisse: ea pariter & ipsa sunt à veritate procùl omnia remotissima. Quæ namque loca juris ac possessionis nostræ fecimus, ac nominatim,

Anni Acta.

natim, quam nobis objicis, Malacriam: ea forti validáque manu, ſicuti poliorcétas generoſos, & aperti Martis bellatores, decet, fecimus. Cujus facti ſucceſsûsq; noſtri, quoties animum tuum recordatio ſubit; haberes, Leander, quod in ruborem te daret, & pudore ſuffunderet: quippe, qui munitionem illam, alioqui tibi retentu perfacilem, nec præſidiô ſufficientî, nec annonâ, ceterîsque obſidioni tolerandæ neceſſariîs, nec tempeſtivis denique ſuppetiîs, inſtruxeris; non denique caveris, (cùm præſens tamen, ac proximus ipſe tunc ageres,) ne ceſſanti dormientíque *tibi*, ante nares oculósque tuos, arx illa à nobis eriperetur: *Tibi*, inquam; qui militiæ te, ſiquis alius, ſcientem, & callidum, induſtriúmq;, oſtentare vulgò ſoles, & geſtis.

Ad *monomachiam*, quam offers, & ad quam nos provocas, quod ſpectat; ea nobis admodum ſanè ridicula videtur, & abſurda, invitatio: has præſertim ob rationes. primò, quia compertum habemus, Te paullatim, (& hoc ipſo quidem tempore) ſatis à DEO percuſsum, requirere præterea noſtros, in alterno conflictu, ictus non debere: ſed calefactæ potiùs fornaculæ cuſtodem aſſidére, fugâ frigoris;

goris ; per autumnum ſenſim ſævire , tuîs in terris, exorſi. Deinde, quoniam & optandus potiùs, & verô-ſenſu præſtabilior omnî concertatore tibi, Galenus eſset aliquis , aut Hippocrates: qui caput tibi cerebrúmque reſtitueret in integrum. Non erubeſcis, delire ſenecio ; iis, quibus in nos uſus es, dicteriîs ac poſtulatîs inceſsere liberum quodvis, & in dignitate collocatum, caput ? quem tu convitiandi maledicendíq; modum, à quibúſnam mortalibus aliis, haurire potuiſti ; quàm à rixoſis aniculis, ac ſcortis? quorum hæc talia ſunt æterna bella, mutuò jurgari.

Quare , pone ſanè tuum iſtum agendi ſcribendíque modum. Adhuc multæ reſtant aliæ , quas tibi tempus & ratio , Deo dante dictantéque, monſtrabunt, compoſitionis inter nos viæ. Iîs utinam, ſicut indigebis, ſic & utaris!

De cætero, monitum te volumus ; utì memineris, & fecialem noſtrum, & tubicines geminos, remittère : quos, adversùs omne caſtrorum & belli inſtitutum , in hunc uſque diem detines. unde tuam agendi ſinceritatem, & candorem, ſcilicet, in aperto ponis. Eos ſi remiſeris ; ages nempe, quod debes. Sin

attinere pergas, aut in ullo lædere: nôris, nec Nadiæ te, nec Arctódiæ sceptra, talì compendiô lucrifacturum. Tu tuarum, & conscientiæ tuæ, rerum satage: si malo cautum velis.

Sunt hæ Leandri Cleandríque *Ducum, quas auctor* Adelphidis *posuit, epistolæ alternæ: in sermone quidem* Latino, *in quem traducta sunt, inciviles; in* Teutonico *verò, non paullò quandoque horridiores. Ei per pleraque omnia cognatæ fuerunt, Regum duorum, de quibus egimus, Aquilonarium inter se litteraria, super* Calmaria, *velitationes. Interim, nequis ferociam fuisse,* Apócrisin *saltem, dubitare posset; post illam talem, à Cleandro scriptam missámq;, epistolam, sanè non* salsè *(ut Cluverus prædicat)* eludentem, *sed scopticè exaratam; constat, obiisse Leandrum illum allegoricum: non modò ex* arthritide, cladiúmque impatientiâ, *sicut de Carolo Appamianus numerô 4. loquitur; sed etiam* mœrore, *quod Cluverus ait: & eatenus, rectè. Mordent enim* scommata, *(seu verbis intorta, seu stylô,) sæpe mortiferè; & usque adeò, ut, ex inclementer aculeatéque sibi dictis scriptísq;, quosdam &* privatæ fortis *viros, quin & reli-*

& religiosos, incurrisse mortem, compertum habeamus; nullâ usquam aliâ ægritudinis à medicis repertâ causâ: quosdam autem eam ultrò quoque sumpsisse, sicut Lycamben, ab Archilocho depexum, & ab aliis alios. Quantô tenerioris igitur, in hoc, sensûs esse, censendi Reges sunt; qui, præsertim motuum animi ferociorum, frænô carent? quod in Achábo satis liquet, ad Nabothi Jezraëlitæ liberius responsum propemodum ad mortem usque ægrotante: In Antiocho Epiphane, ad allatas sibi in Persidem displicentes epistolas, in mœstitiam immedicabilem, paulloque pòst lethalem, illapsô. quibus pleniùs firmandis, exempla Magnatum recentiora quoque non deessent: nisi, pupillas oculorum tangere, parceremus. (6) Quam agnoscit Continuator, scribens librô 16. pag. 1212. Der König in Polen hat entzwischen * Smolensko mit stürmender Hand eingenommen &c. (7) Sic Moscovitæ Magnum Ducem suum appellant: ut Czàr sit, quasi Cæsar: quemadmodum & Septenniô I. dixi, in Demetrio Mosco. an: 1606. & alibi. (8) Ac Poloni quidem, postquam Varsaviam eos advexerunt, & Rex gratiæ suæ fidem eis fecit; benignè habitos captivos hos, post aliquantum denique temporis in Moscoviam remissê-

misêre, libertati restitutos: pacti tamen, ut Polono Regi Moscoviam conciliarent, & , quoad possent, adjungerent. Sed ea Regni Polonici consilia, Moscorum Prócerum obstinatione, (versâ præsertim non multò pòst totâ belli aleâ, Smolenskôque *rursus amissô,) evanuêre: Michaëlás Fedrovvizius, ut alibi dixi, dicámque, Svviskio subrogatus est. Plura Cluv. & Slejd. Continuator, in ann. 1612. & 1613. libr. 18.*

METRUM.

Hactenus inflatis Annalia classica buccis,
Ac justâ cecinit pæne Camœna tubâ.
Clamabas quoties, bene-longo carmine lassus,
Lector; Ohe! soleis pone, poëta, modum!
Non has spondebant Titulorum segmina pelles:
Nempe Suô major calceus iste pede est.
Odêre immodicos compendia Delphica passus:
Nec tractu Aonides, sed brevitate, placent.
Jurè hæc, lector, ais: cujus servire palato,
Id demum ingenium est carminis, atque sapor.
Ergò, vagum posthac arctemus, Musa, laborem:
Qui legitur, non qui scribitur, is Liber est.
Annorum interea quòd prima loquacior æquô
Visa tibi Decas est, vix mea noxa fuit.
Invitum traxêre Erato, Clióque, per omnes
Pæne plagas, vatem dixero, an historicum?
Traxit & ipsa seges tot rerum, ac pondera. Cuncta
Tangenti, longam quis vetet esse manum?

Sed

Sed nunc, quando secus mens fert, & macrius arvum est;
Parca, juvet, summâ carpere falce sata.
Curta Catonino distringi carmina censu,
Et populi mos, & tempus, & aura, volunt.
Illa priora, amplis Fidei, Janique, Chronique
Scripserimus templis: scribimus ista foro.
ANNORUM ergò rotæ UNDECIMÆ pacatior ortus,
Visus erat Jani claudere velle fores.
Sed cautæ malefida seræ custodia, longam
Cardinis immoti non sinit esse moram.
Carceris impatiens, portis Bellona refractis,
In Leopoldini militis arma redit.
Invitô hic ductore fremens, stipendia (1) *poscit:*
Hujc castra, & spolium, fit Praga *capta* Minor.
Sed, vim vi reprimens, pejore furore furentem
Corrigit ardorem, Seditiosa manus.
Hæc super, accitus, densis Rex Ungarus armis,
Seram penè licèt, post mala, portet opem;
Grande tamen fert lucrum operæ (cedente Rodulphô)
Matthias, *sceptrum, terra Bohema, tuum.*
Quam capiti dedit Austriaco frons verna (2) *Coronam,*
Decussit Gothicis primula bruma (3) *comis.*
Nam Cimbri pariter Martis, tremulôque solutus
Articulorum æstu, Carolus, *orbe migrat.*
Gustavus *patrium* juvenis *diadema capessit,*
Sed jam tum majus progenitore caput.
Sarmaticâ interea Scythicum virtute Smolenscum,
Cornua post Phœbês bis duodena, ruit.
Millia Moscorum centena-bis, una voravit
Urbs: & adhuc timuit, tam saturata, *famem?* (4)

TESTI-

Anni Acta.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Indomito nec dira ferens ſtipendia tauro. *De Theſeo, & Ariadnâ, Catullus, in nuptiis Pelei. &c. Sulpitius Lupercus Servaſtus, primam vocis hujus corripit,* Ut poſt juriſonæ famoſa ſtipendia linguæ. (2) *Menſe namque Majo coronatum Matthiam à Bohemis, tradit Appamianus.* (3) *Novembrî, menſe jam hiemante, Succia rex obiit.* (4) *Qua denique deditionem ſuaſit: & extorſit.*

APOCOMMA.

Regulus Gallicus.

I. QUantò breviores ævi, tantò lætæ ſpei pleniores, *Chriſtianorum* ferè filii decedunt. Oſtendam id vel in uno, *Chriſtianiſſimi.*

Suſceperat *Henricus Quartus*, Galliæ Navarræque rex, è Maria Medicæa, Franciſci, Magni Ducis Hetruſcorum, & Auſtriacæ Joannæ, filiâ, liberos *ſex*; ad æquilibrem (ut ità dicam) utriuſque ſexûs numerum. Ac *mares* quidem; *Ludovicum*, qui poſtea regnavit,

vit, natum annô sæculi noſtratis primô. *Ducem Aurelianenſem*, anonymum ; ortum anno ſæculi ſeptimô. Mox, annô pòſt, *Joannem Baptiſtam Gaſtónem* ; Ducem primò Carnotenſium & Andenſium (1) : tandem etiam Aurelianenſem, fratre jam vitâ functo. *Filias* autem, ex eádem Medicæa, ſuſtulit, *Eliſabetam*, annô poſt Ludovicum natum proximô ; Philippo Quarto poſtmodum, Hiſpaniarum regi, collocatam. *Chriſtinam* (2) dein, anno ſextò : quam, annô poſtea noſtri ſæculi decimo nonô, Victor Amadæus duxit, Pedemontii tunc Princeps, & Dux poſthæc Allobrogum. *Henriettam* demum *Mariam*, annô, patris necem præcedente ; Divæ Catharinæ Martyri virginíque dicatâ luce : *Carolo* poſtea *primo*, Magnæ Britanniæ regi, (Cromuelis victimæ) Sæculi præſentis annô viceſimo quintô, *ſedecennem nuptam* : nunc autem pluſquam *vicennem* (3) jam *viduam* ; & in filii Caroli Secundi regno, decollato viro ſuperſtitem.

II. Quis porrò *Sex* iſtorum, quos adnumeravi, regis Henrici filiorum filiarúmque, non ingentibus jactatus in vita caſibus, ærumnîſque, vel certè curîs ; aliquantò plus de

Regulus Gallicus.

de *lacrimarum* amarâ *valle*, quàm de regni *dulcedine*, gustavit? Ludovici Gastonísq; res adversas, Gramondus satìs depingit. Henriettæ calamitates, in theatro Witthalensi, sanguine maritali scriptæ sunt. Elisabetæ, Christinæq;, *domesticis* fortassis (*quæ, magnis etiam conjugiis, deesse non solent*) à *molestiis*, arcaniùs in cordibus earum fuerint exaratæ. Felicissimus itaque, qui, minimô sub corpusculô, minimis pressus incommodîs, & in maximis animulæ suæ natans deliciis, inter filios locô secundô genitus, *quadrimus* statim, hoc est, annô mox post cæsum patrem, obiit; Sæculi videlicet hujus undecimô: mense, quo *Carolus*, Sueciæ supremus rector. sed, quantò beatiore *regulus* iste, quàm *Rex* ille, fatô? *Puer* enim hic erat (ut Spondanus inquit) *indolis* admodum *eximia*, *semper in cœlum oculos elevans: circumstantes ad ejusdem contemplationem invitans; & felices, quotquot illic agerent*, proclamans.

III. Cæterùm, quotcunque super eo gestorum compositores videre mihi contigit; ii regium hunc puerum *Aurelianensem* tantummodo *Ducem*, citra *nomen* ullum aliud *proprium* præmissum, appellant. cujus rei *caus-*

sam

sum Hartwicus quidem, Rhutenus præsul, in vita regis, patris ejus, adstruere conatur: mihi tamen plusquam Sphingicîs ænigmatibus intricatam; ut in Notis exsequor. (4)

Equidem rear, consiliô factum esse Numinis; ut parvuli Ducis hujus, in hoc Sæculo temporéque, terras lateret vocabulum; cujus *Nomen* æterna jam olim destinatio Cœli tabulariis inscripsisset. Quid indigebat, prodi mortuîs litteris, proferríque labiis moriturîs; quem Deus servabat *in Libro Vitæ?*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Carnotensem Ducem *nominat Joannes de Laet, in familia Henrici IV. ut & simul Comitem Blæsensem.* Andensium verò (*Anjou*) Ducem, *Pere-fixe, 3. parte Vitæ Henr. IV. pag. 645.* (2) *Pere-fixe, loc. cit. Joan. verò de Laet,* Christianam; *verône, an vitiô librarii?* (3) *Scribimus enim ista nos annô 1671. cùm Carolus I. Londini à factiosis interfectus fuerit anno 1649. initiô ferè anni.* (4) *Verba Hartvvici sunt pag. 644. ad fin.* Der Andere (Sohn *Henrici IV.*) ward gebohrn im Jahr 1607. den 26. *April.* Er hatte den Titul/ als

Regulus Gallicus.

Hertzog von Orleans / aber noch keinen Namen/ weil er die Tauffe nit erlebte. *Sed quónam pactô consistunt hæc cum iis, quæ asserunt, Joan. de Laet, in Rep. Gallicana, dum de familia regis Henr. IV. agit? ubi & ait*; Ducem *hunc* Aurelianensem natum anno 1607. & denatum anno 1611. *item, Henr. Spondanus, qui numerô 5. in hunc annum, Novembrî eum obiisse, refert*, quadrimum? *Ecquid, sinè sacro baptismo, filius tam piâ matre natus, quatuor solidos annos, & ampliùs, vixit; immò & vitâ cessit: ut nec in agone sacrum lavacrum acciperet (quod, Hartvvicum fateri, necessum est) & cum eo nomen? Quomodo proinde, publicô bonorum omnium sensu, hinc abiit, regni cœlestis indubitatus futurus hæres; quod* regnum, nisi renatus ex aqua, & Spiritu sancto, videre nemo potest? *Joan. 3. v. 3. & v. 5.*

METRUM.

HENRICI *soboles MAGNI, puer, altera Gallis*
Spes solii, à sceptro, rex Lodovice, tuô;
Corporis exuvias, ac tanti stemmatis ostrum,
Vix primâ exactâ ponit Olympiade.
Quid fletis, Medicæa parens, Aurelia nutrix?
Quod vos interitum *creditis,* imperium *est.*

Cerni-

Cernitis, ut fixô pernóxque & perdius astra
Vultu obeat, digitô monstret, & ore sonet?
Felicésque vocet, non hos, quorum irrigat arva
Sequana, sed superi nectaris Eridanus?
Illic, & puero cœli Via Lactea *ridet;*
Ac memorem, regum Gallica fata movent.
Illic alba *videt per Olympi,* lilia, *campos,*
Quæ multô hic (1) *patrum tincta cruore* rubent.

NOTA.

(1) *Parisiis enim occisi Gallicarum reges,* Henricus II. *in equestri ludicro, à Comite Montgomerio;* Henricus *III. secundi filius, à Jacobita;* Henricus *demum IV.* Borboniæ *quidem ipse stirpis, sed* Valesiæ (*cujus fuerant Henrici duo priores*) *annexus, à Ravajllâco.*

Regulus Gallicus.

ANNUS M.DC.XII.

ANNI M. DC. XII.
Gestorum
SYNOPSIS.

I. SUperiora tempora *Gabrielis* meminêre *Báthoris*; qui, majorum suorum religione juxtà virtutéque proculcatâ, sectæ se Calvini, Turcicæq; tutelæ, totum emancipârat: illorum vicissim armis, & operâ, Transsylvaniæ fiduciariam tyrannidem adeptus; & Achmeti stipendiarius cliens effectus. Is, hôc tempore, cùm ab *Ungaris* urgeri se graviter sentiret, adversùs eos auxilia rogatum, Constantinopolim ablegavit hominem, rerum agendarum inprimis peritum & industrium, ac sibi (velut opinabatur) in paucis fidum; *Andream*, cognomentô *Gjezyum*. Cæterùm, *ut perfidiam* (quod plerumque fit) *perfidia multaret*, & *Cres Creti pœnas daret*; Gjezyus Bathorem, quem de nota meliore commendandum susceperat, apud Achmetem, insignî prævari-

varicatione, tot verè falséque congestis criminibus decoloravit; ut illius animum ab eo penitùs abalienârit.

Cùm autem hîs artibus è contrario Gjezyus (quod unicè quæsierat) in Achmetis intimam illapsus gratiam, omnem ei fidem, obsequium, ac stipendia, juratus addiceret; & urbes præterea; *Varadinum*, *Lippam*, ac *Genéam*, pignora proditionis, traditurum se præsidiis Turcicis, pacisceretur; ope summâ contendit, uti sibi, Bathore *statim* exauctoratô, Transsylvaniæ Principatus, jure, quo Bathori priùs, permitteretur. Annuit postulatis Achmetes; & Dacorum *exarchatu* Gjezyum auctoravit. homo verò nefarius sacramentum ei dixit: ac, pro *legato*, qualis discesserat, *Princeps* est reversus in Daciam, qualis non discesserat; *Principem* statim & orsurus, si per *Báthorem* illico licuisset. Nam hic cœptis ejus moram interjecit; armatum, aliquantisper armîs repellens. Indè tamen, deintegro plurimùm, & in Transsylvanis turbatum, & in Pannoniis est. Audacior enim indè, flaccescentis in Báthore paullatim auctoritatis contemptu, factus antiquus seditionum motor in Pannonibus, *Andreas* quidam *alius*, cognomentô *Nagius*, postquam

Anni Acta.

thiæ denique (quem hic annus *Cæsarem* accepit) clementiæ tutelæque postliminiò se substernere. (1)

III. Sub idem porrò tempus, non minor, quàm *Transsylvanorum*, mobilitas animorum, in *Moscis* est reperta. Qui, cùm, metu majore, reverentiâque victoriarum, quàm amore benevolentiâve, post Suiskium ac Smolenskum amissum, *Uladislaum*, Sigismundi Poloniæ regis filium, *Magnum Ducem* suum esse jussuri, crederentur; & id ipsi, facturos se, non ostendissent modò, sed & promisissent (2): ad reflantem postmodum secundiorem sensim auram successuum, mutatâ voluntate, *Gustavum*, Seciæ Principem, móxque Regem, acciverant. Quem tamen nec ipsum habuêre *Ducatûs Magni* possessorem; quippe, *Fedrovvizium* denique Michaelem (ut & alio locô præmonuimus) sortiti. Regios verò Poloniæ legatos Sigismundi verbis secum super hac inconstantia mentium expostulantes, nec audire quidem pacatè dignati sunt: sed, barbaris ìs insuper minis ultrò, quasi tempestas quædam, attonantes eos, *ilicet ejicere sese curiâ simul, ac Moscoviâ jussêre; si salvis, & non membratim concisis, corporibus redire suas in terras optarent.*

Qui-

Quibus auditîs, Poloni plurimùm externati; priusquam fulmen novissimum experirentur, Poloniam suam antiquam repetere, quàm novos alibi quærere Principatus, maluerunt. Id autem, ex ipsa rerum necessitudine decerptum, celeris è Moscovia reditûs consilium; ipse quoque, non multò pòst, eorum tergis ac vestigiis hærens, deterior subsecutus Polonici Martis exitus, à *prudentia* laudavit; quando, recuperatâ, quam amiserant, urbe Moscuâ, Russi Moscíque Polonorum etiam exercitum, nuper ubique jam manu superiorem, ingenti prælio fuderunt; &, fame pæne confectum, in Sarmatiam suam rejecerunt. (3)

IV. Dum autem hæc in Dacia, Russia, Poloniâq;, geruntur: Byzantinus interea Tyrannus, *Moldaviam*, regionibus Wallachiæ Bessarabiæque per obliquum interpositam, & in Euxini Ponti littus occiduum vergentem, terram, ministeriô Bassæ *Mechmétis*, invadit; ac, præsidiis firmatam, cum Cæsariani juris detrimento, (4) suam facit. Quæ tamen ipsa belligerandi, (tametsi violenta, Mahometicísq; legibus respondens) ratio, tam inhumana Sathanicáq; nondum erat; ac, sub idem ipsum tempus, duorum aliorum, ejusdem legis, in Africa, tyrannorum.

Anni Aetat.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Indomito nec dira ferens stipendia tauro. *De Theseo, & Ariadnâ, Catullus, in nuptiis Pelei. &c. Sulpitius Lupercus Servastus, primam vocis hujus corripit*, Ut post jurisonæ famosa stipendia linguæ. (2) *Mense namque Majo coronatum Matthiam à Bohemis, tradit Appamianus.* (3) *Novembrî, mense jam hiemante, Sueciæ rex obiit.* (4) *Quæ denique deditionem suasit: & extorsit.*

APOCOMMA.

Regulus Gallicus.

I. QUantò breviores ævi, tantò lætæ spei pleniores, *Christianorum* ferè filii decedunt. Ostendam id vel in uno, *Christianissimi.*

Susceperat *Henricus Quartus*, Galliæ Navarræque rex, è Maria Medicæa, Francisci, Magni Ducis Hetruscorum, & Austriacæ Joannæ, filiâ, liberos *sex*; ad æquilibrem (ut ità dicam) utriusque sexûs numerum. Ac *mares* quidem; *Ludovicum*, qui postea regnavit,

vit, natum annô ſæculi noſtratis primô. *Ducem Aurelianenſem*, anonymum; ortum anno ſæculi ſeptimô. Mox, annô pòſt, *Joannem Baptiſtam Gaſtónem*; Ducem primò Carnotenſium & Andenſium (1): tandem etiam Aurelianenſem, fratre jam vitâ functo. *Filias* autem, ex eádem Medicæa, ſuſtulit, *Eliſabetam*, annô poſt Ludovicum natum proximô; Philippo Quarto poſtmodum, Hiſpaniarum regi, collocatam. *Chriſtinam* (2) dein, anno ſextô: quam, annô poſtea noſtri ſæculi decimo nonô, Victor Amadæus duxit, Pedemontii tunc Princeps, & Dux poſthæc Allobrogum. *Henriettam* demum *Mariam*, annô, patris necem præcedente; Divæ Catharinæ Martyri virginíque dicatâ luce: *Carolo* poſtea *primo*, Magnæ Britanniæ regi, (Cromuelis victimæ) Sæculi præſentis annô viceſimo quintô, *ſedecennem nuptam*: nunc autem pluſquam *vicennem* (3) jam *viduam*; & in filii Caroli Secundi regno, decollato viro ſuperſtitem.

II. Quis porrò *Sex* iſtorum, quos adnumeravi, regis Henrici filiorum filiarúmque, non ingentibus jactatus in vita caſibus, ærumnîsque, vel certè curîs; aliquantò plus de

Regulus Gallicus.

de *lacrimarum* amarâ *valle*, quàm de regni *dulcedine*, gustavit? Ludovici Gastonísq; res adversas, Gramondus satìs depingit. Henriettæ calamitates, in theatro Witthalensi, sanguine maritalî scriptæ sunt. Elisabetæ, Christinæq;, *domesticis* fortassis (*quæ, magnis etiam conjugiis, deesse non solent*) à *molestiis*, arcaniùs in cordibus earum fuerint exaratæ. Felicissimus itaque, qui, minimô sub corpusculô, minimis pressus incommodîs, & in maximis animulæ suæ natans deliciis, inter filios locô secundô genitus, *quadrimus* statim, hoc est, annô mox post cæsum patrem, obiit; Sæculi videlicet hujus undecimô; mense, quo *Carolus*, Sueciæ supremus rector. sed, quantò beatiore *regulus* iste, quàm *Rex* ille, fatô? *Puer* enim hic erat (ut Spondanus inquit) *indolis* admodum *eximiæ*, *semper in cœlum oculos elevans: circumstantes ad ejusdem contemplationem invitans; & felices, quotquot illic agerent*, proclamans.

III. Cæterùm, quotcunque super eo gestorum compositores videre mihi contigit; ii regium hunc puerum *Aurelianensem* tantummodo *Ducem*, citra *nomen* ullum aliud *proprium* præmissum, appellant. cujus rei *caus-*

sam

sum Hartwicus quidem, Rhutenus præsul, in vita regis, patris ejus, adstruere conatur: mihi tamen plusquam Sphingicîs ænigmatibus intricatam; ut in Notis exsequor. (4)

Equidem rear, consiliô factum esse Numinis; ut parvuli Ducis hujus, in hoc Sæculo temporéque, terras lateret vocabulum; cujus *Nomen* æterna jam olim destinatio Cœli tabulariis inscripsisset. Quid indigebat, prodi mortuîs litteris, proferríque labiis moriturîs; quem Deus servabat *in Libro Vitæ?*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Carnotensem Ducem *nominat Joannes de Lat, in familia Henrici IV. ut & simul Comitem Blæsensem.* Andensium *verò (Anjou)* Ducem, *Pere-fixe, 3. parte Vitæ Henr. IV. pag. 645.* (2) *Pere-fixe, loc. cit. Joan. verò de Lat,* Christianam; *verône, an vitiô librarii?* (3) *Scribimus enim ista nos annô 1671. cùm Carolus I. Londini à factiosis interfectus fuerit anno 1649. initiô ferè anni.* (4) *Verba Hartvvici sunt pag. 644. ad fin.* Der Andere (Sohn *Henrici IV.*) ward gebohrn im Jahr 1607. den 26. *April.* Er hatte den Tittel/ als

Hertzog von Orleans / aber noch keinen Namen / weil er die Tauffe nit erlebte. *Sed quónam pactô consistunt hæc cum iis, quæ asserunt, Joan. de Laet, in Rep. Gallicana, dum de familia regis Henr. IV. agit? ubi & ait;* Ducem *hunc* Aurelianensem natum anno 1607. & denatum anno 1611. *item, Henr. Spondanus, qui numerô 5. in hunc annum, Novembrî eum obiisse, refert,* quadrimum? *Ecquid, sinè sacro baptismo, filius tam piâ matre natus, quatuor solidos annos, & ampliùs, vixit; immò & vitâ cessit: ut nec in agone sacrum lavacrum acciperet (quod, Hartvvicum fateri, necessum est) & cum eo nomen? Quomodo proinde, publicô bonorum omnium sensu, hinc abiit, regni cœlestis indubitatus futurus hæres; quod* regnum, nisi renatus ex aqua, & Spiritu sancto, videre nemo potest? *Joan. 3. v.3. & v.5.*

METRUM.

HENRICI *soboles MAGNI, puer, altera Gallis*
Spes solii, à sceptro, rex Lodovice, tuô;
Corporis exuvias, ac tanti stemmatis ostrum,
Vix primâ exactâ ponit Olympiade.
Quid fletis, Medicæa parens, Aurelia nutrix?
Quod vos interitum *creditis,* imperium *est.*

Cerni-

Cernitis, ut fixô pernóxque & perdius astra
Vultu obeat, digitô monstret, & ore sonet?
Felicésque vocet, non hos, quorum irrigat arva
Sequana, sed superi nectaris Eridanus?
Illic, & puero cœli Via Lactea *ridet;*
Ac memorem, regum Gallica fata movent.
Illic alba *videt per Olympi*, lilia, *campos,*
Quæ multô hic (1) *patrum tincta cruore* rubent.

NOTA.

(1) *Parisiis enim occisi Galliarum reges*, Henricus II. *in equestri ludicro, à Comite Montgomerio;* Henricus *III. secundi filius, à Jacobita;* Henricus *demum IV.* Borboniæ *quidem ipse stirpis, sed* Valesiæ (*cujus fuerant Henrici duo priores*) *annexus, à Ravaillaco.*

N 2 ANNUS

Regulus Gallicus.

ANNUS M.DC.XII.

Anni M. DC. XII. Gestorum SYNOPSIS.

I. SUperiora tempora *Gabrielis* meminêre *Báthoris*; qui, majorum suorum religione juxtà virtutéque proculcatâ, sectæ se Calvini, Turcicæq; tutelæ, totum emancipârat; illorum vicissim armis, & operâ, Transsylvaniæ fiduciariam tyrannidem adeptus; & Achmeti stipendiarius cliens effectus. Is, hôc tempore, cùm ab *Ungaris* urgeri se graviter sentiret, adversùs eos auxilia rogatum, Constantinopolim ablegavit hominem, rerum agendarum inprimis peritum & industrium, ac sibi (velut opinabatur) in paucis fidum; *Andream*, cognomentô *Gjezyum*. Cæterùm, *ut perfidiam* (quod plerumque fit) *perfidia multaret*, & *Cres Creti pœnas daret*; Gjezyus Bathorem, quem de nota meliore commendandum susceperat, apud Achmetem, insignî prævari-

varicatione, tot verè falséque congestis criminibus decoloravit; ut illius animum ab eo penitùs abalienârit.

Cùm autem hîs artibus è contrario Gjezyus (quod unicè quæsierat) in Achmetis intimam illapsus gratiam, omnem ei fidem, obsequium, ac stipendia, juratus addiceret; & urbes præterea, *Varadinum*, *Lippam*, ac *Genéam*, pignora proditionis, traditurum se præsidiis Turcicis, pacisceretur: ope summâ contendit, uti sibi, Bathore *statim* exauctoratô, Transsylvaniæ Principatus, jure, quo Bathori priùs, permitteretur. Annuit postulatis Achmetes; & Dacorum *exarchatu* Gjezyum auctoravit. homo verò nefarius sacramentum ei dixit: ac, pro *legato*, qualis discesserat, *Princeps* est reversus in Daciam, qualis non discesserat; *Principem* statim & orsurus, si per *Báthorem* illico licuisset. Nam hic cœptis ejus moram interjecit; armatum, aliquantisper armîs repellens. Indè tamen, deintegro plurimùm, & in Transsylvanis turbatum, & in Pannoniis est. Audacior enim indè, flaccescentis in Báthore paullatim auctoritatis contemptu, factus antiquus seditionum motor in Pannonibus, *Andreas* quidam *alius*, cognomentô *Nagius*; post-

quam magnam multo tempore deprædationibus incendiîsque vastitatem in Ungaria superiore fecit: novissimîs istis rerum motibus, in Transsylvaniam irrepserat; eâdem illa, quæ peregrè patrârat, etiam in Daciis tentans: &, haud dubiè, perfecturus. Sed eum Bathor ad se dolô pellectum, per immanitatem interemit; occasione modôque, quem seorsum inferiùs exponam.

Non eodem verò successu votorum, ei contigit adversùs *Gjezyum* uti. quem ipse quidem, Turcicîs instructum ab Achmete copiîs, nocte quadam, Cronstadium inter ac Fedwárum, nactus, & inopinantem acerrimô conflictu, magnâ partis utriusque clade contundens; ad extremum, refugere Cronstadium coëgit, ægerrimè neci subductum: ipse tamen, & tunc suorum plurimîs, & antehac irruptione Gjezyanorum in castra sesquimille virîs amissîs, adversantem sibi *fortunam* expertus. Et, quid dico, *fortunam?* Deum potiùs, & suorum fidem infestam: *illum*, quòd ab ejus sano cultu transfugerit ad corruptum; *istam* autem, quòd ipse jam olim & Cæsarem perfidiâ circumvenisset. Ergò circumscriptus ipse quoque per vices à suis est: præter Nagium, & Gje-

& Gjezyum, ei recentiorem alium, è Machiavelli Genevatéq; ſcholâ, deceptorem hæreſî ſubornante.

II. Sub idem enim tempus, quo, Byzantiô reverſus Gjezyus, ſubſeſſorem ſe Dacici Principatûs gerebat, *Bethlenum Gaborem* (illud mutabilitatis damnoſæ monſtrum), è Proceribus ſatrapiæ ſuæ delectum, ad Prætorem Turcarum Temeſwarienſem Bathor, cum ampliſſimis donis expedivit; mente, ſtudiôque, ſuas ad partes Baſſam illum, ad pellendum Gjezyum, attrahendi. Bethlenius autem, acceptîs à Gabore mandatîs nequiter eluſîs; muneribus abuſus, & *oratorem* in *proditorem* vertens, cum Temeſwarienſi, tanquam ipſomet præſente Sultano, multîs & verbis egit, & promiſſis ac pactîs: ut, ejectîs tandem aliquando, non Gjezyo ſolùm, ſed & ipſo quoque Bathore (quippe, Cæſarem magìs, quàm Achmetem, reſpiciente,) ſolus ipſe rebus Tranſſylvanicis imponeretur. Hôc enim, nec aliô fidiore, ſtipendiariô, res Dacicas Otomannidis conſtabilitum iri. Perſuaſit demum; &, quod voluit, à *Porta* Bethlenius extorſit. Cæterùm, his circumretitus inſidiîs, bellis, transfugiîs, Bathor; coactus eſt, *Mat-*

thiæ denique (quem hic annus *Cæsarem* accepit) clementiæ tutelæque postliminiò se substernere. (1)

III. Sub idem porrò tempus, non minor, quàm *Transsylvanorum*, mobilitas animorum, in *Moscis* est reperta. Qui, cùm, metu majore, reverentiâque victoriarum, quàm amore benevolentiâve, post Suiskium ac Smolenskum amissum, *Uladislaum*, Sigismundi Poloniæ regis filium, *Magnum Ducem* suum esse jussuri, crederentur; & id ipsi, facturos se, non ostendissent modò, sed & promisissent (2): ad reflantem postmodum secundiorem sensim auram successuum, mutatâ voluntate, *Gustavum*, Sueciæ Principem, móxque Regem, acciverant. Quem tamen nec ipsum habuêre *Ducatûs Magni* possessorem; quippe, *Fedrovvizium* denique Michaelem (ut & alio locô præmonuimus) sortiti. Regios verò Poloniæ legatos Sigismundi verbis secum super hac inconstantia mentium expostulantes, nec audire quidem pacatè dignati sunt: sed, barbaris is insuper minis ultrò, quasi tempestas quædam, attonantes eos, *ilicet ejicere sese curiâ simul, ac Moscoviâ jussêre; si salvis, & non membratim concisis, corporibus redire suas in terras optarent.*

Qui-

Quibus auditis, Poloni plurimùm externati; priusquam fulmen novissimum experirentur, Poloniam suam antiquam repetere, quàm novos alibi quærere Principatus, maluerunt. Id autem, ex ipsa rerum necessitudine decerptum, celeris è Moscovia reditûs consilium; ipse quoque, non multò pòst, eorum tergis ac vestigiis hærens, deterior subsecutus Polonici Martis exitus, à *prudentia* laudavit; quando, recuperatâ, quam amiserant, urbe Moscuâ, Russi Moscíque Polonorum etiam exercitum, nuper ubique jam manu superiorem, ingenti prælio fuderunt; &, fame pæne confectum, in Sarmatiam suam rejecerunt. (3)

IV. Dum autem hæc in Dacia, Russia, Poloniâq;, geruntur: Byzantinus interea Tyrannus, *Moldaviam*, regionibus Wallachiæ Bessarabiæque per obliquum interpositam, & in Euxini Ponti littus occiduum vergentem, terram, ministeriô Bassæ *Mechmétis*, invadit; ac, præsidiis firmatam, cum Cæsariani juris detrimento, (4) suam facit. Quæ tamen ipsa belligerandi, (tametsi violenta, Mahometicísq; legibus respondens) ratio, tam inhumana Sathanicáq; nondum erat; ac, sub idem ipsum tempus, duorum aliorum, ejusdem legis, in Africa, tyrannorum.

Anni Æ&æ;

Abdalas, & *Sidánes* erant, Marocchiani reges: ille *jure*, quod hæreditas ei, paterníque fastigii successio, dederant; iste nullô, nisi, quod in armis erat. *Sidánes*, jam ante biennium memoratus nobis, post Fessæos domitos corrivales, Marocchiano quoque regno sese demum intruserat: & hucusque regnabat, titulô moréque, quo *tyranni* solent. Is eò *Xequum*, patruum suum, Marocchii priùs, è jure firmiore, possessorem redegerat: ut, *Laráchiæ* (quemadmodum in loco retuli) traditione, Philippi III. regis Hispaniarum comparare sibi gratiam, & auxilia, compelleretur. Hujc non multò pòst, fatô factâ commutatione rerum, succedens filius Abdalas, despectîs, quas ultra mare pater quæsierat, *humanîs* suppetiîs, ac ne *cœlestibus* quidem interpellatîs opibus; ad *inferos* ante tempus se contulit: ac, magi cujusdam famosi scelestîs incantationibus séque copiásque suas præmuniens, adversùs *Sidánis* ingentem exercitum in aciem processit. Ibi milite, longè, tam viribus, quàm legionibus, inferiore, multitudinem tamen hostilem concîdit; Sidánem profligavit; Marocchii regnum occupavit. (5) Eô casu *Sidanes*, abjectior quidem, nihilô tamen melior, effe-

effectus; ad eas, à quibus *prostratus* fuerat, artes, & ipse confúgit: ut *erigeretur*. Magum alicunde sibi comparavit alium; famosô famosiorem, & nequam illô nequiorem: cujus carminibus, Tartareîsque devotionibus, incantatum exercitum suum, recèns collectum auctúmque, duxit in hostem. Vicit, fudit, fugavit; omnéque, quod ab *Abdala* priùs illatum incurrerat, malum ei refudit. Ità, *Sathanam Sathanas* ejiciens; quasi *clavus clavum* elidens, de Mahometanorum alternîs ludificationibus, triumphum mutuum egérunt; à Christianis explosum.

V. Hæc interim Regum exterorum, etsi remotissimorum, ac paris cum Turca superstitionis, dissidia, regnorum inexplebilem *Achmetis* aviditatem incendere cœperunt: ut is & ad Mauritaniam pedetentim animum adjiceret. (6) Cujus compendii studiô, nullam sibi, nec *Arctonautarum* quidem, amicitiam ac societatem statuebat aspernandam: dummodo per eam opes quoque viresq; suas maritimas, in alienis expugnandis ditionibus, confirmaret. Quo proinde nomine, *Batavos* etiam, hôc annô *Turcicum fœdus*, ac liberam utrimque commerciorum terrâ marîque copiam, publi-

publicè petentes, statim & cupidè, non solùm fœderatis adscripsit; sed & oratorem illorum, (cum donis præsertim, rari pretii, Byzantium advectum) curatissimè recepit. Is *Cornelius* erat *Hagius*; quem, legatione suâ *Latinè* fungentem, præsens, ac libenter, *Sultanus* audivit: &, interpretis operâ satis intellectum, ad suos, etiam à facundia laudatum, remisit. (7)

VI. Idem ipse verò, non eádem comitate *fecialem* tractaverat *Persicum*, à rege suo Constantinopolim missum. quam rem, altiùs aliquantò repeti, non erit extra limites narrationum annalium. Summa gestorum hæc est.

In pace, Persas inter, ac Turcas, componendâ, multum, ab anno jam præterito, posuerat operæ, militiæ Turcicæ supremus per Asiam ductor, *Amuráthes* Prætor. Eô connitente, *Schach-abas*, ille sæpe jam memoratus mihi, sæpiúsque deinceps etiam memorandus, Persiæ Parthiæque rex, legârat hôc annô Byzantium, oratorem suum; cuj, quásnam in conditiones, legésque pacis, sese, nec ultrà, demitteret, accuratè mandârat, ac præfinierat. Præmissum porrò jam, fœderis hunc interpretem, aliquantò pôst subsequi jussos, rex idem expedierat, cum singulis mulio-

mulionibus, camelos centum; fericis omnes veftimentis ac pannis onuftos, *Achmetiq;* gratum munus apportaturos. Ea dum negotia curantur, mortem interim *Amurathes* oppetit, pacificator ille, quem dixi, *Baſſa*. Nuntiatur collegæ mors, in vicinia tunc agenti, *Naſuffo* Bafsæ. qui, nihil cunctatus, in relictos ab Amurathe thefauros impetum facit: fupellectilem, & impedimenta, diripit. quod equitatûs, & legionum, in ftativis ac præfidiis invenit, id Achmetis Amurathæq; facramentô folutum, in fuam adigit fidem. blanditiis, ac promifsis ingentibus, fe Byzantium revocanti, tyranno, *medium digitum* oftendit: apertè rebellat: *Schach-aba regi* concordiam Turcicam noxiam fore, firmiffimis argumentis demonftrat; & verò, perfuadet. Ipfe, fpe conjunctionis armorum Perfis oftensâ, retentîsque fecum *viginti quinque* ferè *millibus* exercitatiffimorum militum, montem quendam occupat. Eum, fitu naturâque cumprimis firmum, opere, munitionibus, & arce, firmiorem reddit; ac, contra vim Achmetis omnem, infidet, inexpugnabili rebellionis obftinatione. Quæ dum geruntur, *Schach-abas* interea, tantâ, tot rerum, tam exi-

Anni Acta.

exiguo tempore, factâ commutatione, consilii sui pristini, de reconciliatione cum Otomannidis instituendâ, pœnitens; retractare propositum cœpit, ac fœderum mentionem omnem exsecrari: missîsque continuò, qui per dispositos equos jumenta, sericum portantia, revocarent, hôc quasi voluntatis suæ pignore, pacis omne desiderium extinguere; legésque societatis pangendæ rescindere.

Legati solius, à *Portis* Otomannicis, & fera fuit, & cruenta, revocatio: nec sinè tyrannicæ sævitiæ simulacrô. Cùm enim is, magnîs itineribus Constantinopolim celeriter appulsus, & eorum, quæ tunc in Asia gerebantur, ignarus; Pacis negotio conficiendo, nullâ dilatione, curam omnem impénderet: Turcarum Imperatoris, tum immodicô fastu, tum in pactis ineundis intractabilî duritie, miser ac trepidans *orator* eò redactus est; ut, ad Achmetis pléraque, non vota magìs, ac postulata, quàm imperia, descendens, conditiones pacis ferret, ac reciperet, flagitii plenas, &, (ut tunc res erant Persarum,) erubescendas. Reversum ergò *Schach-abas*, nullîs receptîs admissorum purgationibus, è vestigio decollat. Ipse, deintegro resumptîs armis, quid-

quidquid Asiaticarum terrarum ab Oriente Thraciam Byzantiúmque versùs, ad duodecim itinera dierum, habitabatur, ferrô, *flammâ*, direptionibus, in solitudinem redigit: (8) fœderis, quod legatus cum Achmete pepigerat, rescissi testimonium, plusquam *luculentum*.

VII. Cæterùm, hanc Sultani Turcici, cum Persa, seu belli gerendi, (nam adversùs hunc, & Nasuffum defectorem, Turca denuò *ducentorum millium* se copiîs succingebat,) seu componendæ pacis, infelicitatem, suis paullatim, nec leviter, displicere cœpisse; satìs esse potuit argumento: quòd *Achmeten*, hoc ipso tempore suburbanum quoddam fanum visentem, è tholo, saxô grandi dejectô, conatus est è medio tollere *Dervisiorum* nonnemo.

Sunt *Dervisii*, *Musulmanorum* flamines religiosiores; cujusmodi ferè nobis *ascéta*, votîs adstricti, sanctimoniámq; professi. Cùm autem, destinatum capiti conterendo pondus, non cerebro Sultani, sed humero duntaxat, nec toti, sed extremum tantùm rasurâ leni stringens, incidisset: imperator quidem, hactenus animâ retentâ, terroréque comite, recessit; *Dervisius* autem, scelesti conatûs pœnas, abscisso capite, nec atrociores, dedit. (9)

VIII.

Anni Acta.

VIII. Mitiore fato, nec tamen suis indefletô, vitam alibi clauserunt; Venetiis, *Leonardus Donati*, serenissimæ reipublicæ Dux, sub æstivis caloribus (uti sæpe, cœlô marîque vapidè succensîs, usu venit) inopinè meatu spiritûs interclusô. Cuj subrogatus, ampliùs septuaginta natus annos, *Antonius Memmius*. Anni verò tempore, nihil minùs quàm æstuosô, Mantuæ, *Franciscus Gonzaga*, Dux, à quinque, non ampliùs, dierum ardente febri, solstitiô brumali; postridiéque mox, & filia, contrà, quàm metuebatur, extinguuntur: hæc nuptiarum, ille masculæ prolis, exsors; nec tamen & successionis. Hanc enim adiit germanus Francisci, *Ferdinandus*: qui, *Cardinalitiô* pro galero, legitimè sepositô, galeâ paullò pòst munire caput adigitur; bellis inter eum, & Carolum Emmanuelem, Allobrogum Ducem, coortîs: & aliquamdiu magnâ contentione gestîs. (10) Veneti verò, Mantuaníque, Ducum funera, Cambrobritannorum Principis, *Henrici Stuarti*, prope Novembris initium, mors interpolârat; sponsalium, ac nuptiarum, sororis ejus Elisabetæ, cum Friderico V. Comite Palatino Rheni, præsultrix. Illos autem omnes, supremîs suis ante-



Ad pag. 205.
RUDOLPHUS.II
Imperator.

antecesserant, Coloniensis Archiepiscopus, Imperii Romani Septemvir, *Ernestus*, Februariô; successorem nactus, fratre Gulielmô natum, *Ferdinandum*, Bavariæ Ducem: &, ante Coloniensem, vicesimô Januarii, *Rudolphus*, alter nominis istius Romanorum Imperator.

IX. Decesserat Rudolphus in regia Pragensi: cùm annos egisset *vitæ*, semestri minus, *sexaginta*; regiminis verò supremi, prope *triginta quinque* (11): relictô post se, qui, Junii tertiô decimo die Francofurti lectus, vigesimô quartô coronatus ibidem est, successore, *Matthiâ* fratre. Ne tamen non & hæredem illum opum suarum, cúmque censu spectabili dirarum, relinqueret: & eorum ipsum bonorum, quæ regiâ *sibi* gazophylaciô servabantur, dominum possessorémque constituit; & aliorum, qui tectiùs latuerant, thesaurorum.

Et in *arcis* quidem, magis prostantibus, repertæ sunt, præter abacorum auream argentámque supellectilem maximam, & instructissimam; præter gemmarum item, unionum, cimeliorum, ingeniisque rarioris arte-factorum operum, ingentem copiam, (in quibus erat & *Horologium* textricum agitabilis, seu *mensa* pretio-

O sæ,

ſæ, machina ; muſicis cantilenis lepidè ſonora mobilitas,) inventæ ſunt, inquam, præter illa, quæ diximus, *auri* probatiſſimi, ſignati, librarum centuriæ viginti quatuor ; & *argenti* purioris, itidem ſignati, librarum centuriæ ſexaginta.

Paullò verò pòſt, in vincula, cum ſociis paris ſuſpicionis & infamiæ, datô *Ruzkyô* quodam, (is à cubiculis, & fiſci curâ, *Rudolpho* fuerat,) captivorum unius ſpontaneâ delatione retectus & *alius theſaurus* eſt, compendiarius, *auri* ſolidi ; colliquefactione denſas in ſcandulas ac maſsas coagmentati : quem, vivente-dum, & utique mandante, Cæſare miniſtri, dubios rerum in eventus, geminis incluſum ciſtis, intrà parietum lateritiorum cavernas abſtruſerant. Is tunc in lucem protractus, & ſuperiori gazæ coronidis inſtar additus ; *ſeptendecim* facilè *millionum auri* ſummam explevit. (12)

In cœlum populus hæredipeta *tales mortuos* levaret : & poſseſsores *viventes*, prædicaret, *beatos*. Ego, ſi cum totidem rectè factis, ac virtutibus, quot cum auri talentis, ſupero ſe Quæſtori *morientes* ſiſtant ; ſubſcribam.

TESTI-

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Appamianus, in hunc annum, num. 4. Cætera, superiùs allata, Continuator Slejd. refert lib. 17. diversis locis.* (2) *Contin. Sl. lib. 18. pag. 1289.* (3) *Polonos prælio fusos, ac profligatos, refert in hunc jam annum Appamianus, num. 4. Cæterorum verò gestorum nonnulla, in annum, mox sequentem, Slejd. redivivus, lib. 18.* (4) *Appamian. in hunc annum, num. 5.* (5) *Hunc Abdalam Appamianus clarè facit* nepotem *Sidánis, ex fratre; eô ipso, quòd Sidánem appellet* Abdalæ patruum, *num. 8. anni 1612. cùm tamen idem hic scriptor superiùs, in annum 1610. dicat; Xequum fuisse Patruum Sidanis: qui Xequus pater erat Abdalæ, teste eodem Appamiano, in annum 1612. cujus numero 8. verba sunt:* Abdala, Xequi filius, & Zidanus *(hic aliis Sidanes dicitur)* tyrannus. *&c. Quomodo ergò nunc idem ille Xequus factus sit* frater *Sidanis (quod omninò necesse est, si Sidanes hic* patruus *sit* Abdalæ, *qui filius fuit Xequi) ego nondum extrico. Ne tamen à fonte historiæ recederem;* Patrui *vocabulum, in Xequo saltem, tam prosa, quàm metrum, retinent.* nepotis *appellationem transsilio.* (6) *Cluverius, pag. 771.*

Anni Acta.

columnâ 1. licèt is hoc referat in annum 1613. contra Spondanum. (7) *Continuator Slejd. l. 17. à pag. 1260. usque 1264. inclus. & Appamian. in hunc ann. num. 7. Sultanus Achomat Cham, hanc Batavorum legatum, in litteris fœderis,* Hagam *vocat: apud Continuat. lib. 17. pag. 1263. col. 2.* (8) *Quæ de* Nasuffo *hîc* Bassâ *retuli, narrat & Slejdan. redivivus, lib. 17. pag. 1223.* *De* legato *verò* Persicô, *supplicio capitis affectô, vide Appamian. num. 7. hôc annô.* (9) *Idem Appam. in annum hunc, num. 6.* (10) *Idem: & Dionys. Petavius, in Rationario temporum, hujus anni. Continuator quoque Slejd. lib. 17. paginâ 1274.* (11) *Continuator, solos 34. annos ejus Imperio assignat: quia numerat à tempore* Coronationis *demum, anno 1576. factæ: non autem* electionis *in Regem Romanorum; quæ acciderat anno superiore 1575. à quo alii numerare incipiunt, ductô à Calendis Novembribus calculô.* (12) *Slejd. redivivus, lib. 17. post initium, pag. 1223. col. 1. à med. ubi & hæc signatè verba ponit.* – Und andere schöne Sachen: darunter ein künstliches Spinn-Rädlin/ so schöne Muteten schlägt. *&c. Possunt porrò netricum, aut fila ducentium quasillariarum, machinæ volubiles, vel penitùs esse circulares, ac sphæri-*

sphærica; *&* *tunc* Rotulæ, cyclive, *dici debent*: *vel quatuor habere prominentes angulos*, *ipsa tessellatâ formâ oblongâ facta*: *&* *tales ab Ovidio*, (*sicut Junius tradit*) rhombi *nominantur*. *Ego*, *qui technicum illud opus nullibi vidi*; *malui ponere*, sub problemate, *rem*, *utrimque versatilem*.

METRUM.

Alcidæ quot (1) *sæva trucem certamina clavam*,
Sensêre indomitam, *Solis utrâque plagâ*;
Bissextus totidem latè circumtulit Annus,
Seu populorum *acies*, *seu nigra fata* Ducum.
Vertumnum Báthorem (2) *soliô detrudere Dacô*,
Perfidiæ melior Gjêzius arte, *parat*.
Æqua Jagelloni (3) *dum sceptri fœdera difflat*,
Moscorum, *alternâ non sinè clade*, *furor*;
Pacta Ladislao Fedrowizius (4) *æmulus armis*
Involat: *ac multâ jus sibi cæde struit*.
Ad veteres urbs Mosca, *Ducum redit aula*, (5) *tyrannis*:
Victus, *abit Scythicis Sarmata victor agris*.
Obruit Odryssiô (6) *Moldavas milite gentes*
Turcicus, *ac Lunæ sub juga*, *Prætor*, *agit*.
Sidanem magicis fusum fugat Abdala rhombis,
Afrum Afer; *patrui stirps rediviva Xequi*:
E Styge sed potiora ciens magus arma tyrannus,
Victorem, *toto pressum Acheronte*, *domat*.
Fœdera dat Batavis patrona, *sed aspera Persis*;
Dum putat Achmetes, *bella tumore geri*.

Achmeti at Schaabas obnuntiat; &, gravis hostis,
Non scribi fastu pacta, sed ense, *docet.*
Neu' fœdi restent vestigia fœderis ulla,
Sanguine compositor diluit illa suô.
Sic Regum, sic nempe luunt sæpe acta, ministri!
Achmetæq; piat Nuntius omne nefas.
Interea hunc, validò præceps datus impete, vastus
Vix humeri extremô rasit in ofse, lapis.
Quippe, suburbani ingressum penetralia fani,
E summo impetiit dextra dolosa tholo.
Sultanum (licèt immeritum) servavit, in omne
Pervigil Imperium, cura oculata poli.
At tibi, Dervisi, *licèt irrite vulneris auctor,*
Lex indeflexô sustulit ense caput:
Pœna, suâ levior noxâ! nam Salva corona,
Fas est, & sævô perstet ut in capite.
Sceptráque, quantumvis meritorum pessima, Regum,
Non, nisi Parcarum dextra, colúsque, rotet:
Sint digitis intacta aliis. Vix funera sicca
Non madidis ducet terra chenta (7) *genis.*
FLEBILIS *est omnis* mors publica. *testis, & atris*
Adria, raptô Adriæ (8) *principe, tinctus aquis:*
Et, nunc turbidior, claris modò Mincius (9) *undis;*
Ad nova, Gonzagæ, dum pavet arma, nece.
Planxerat & Rhenus, dum Ernesti *è vertice mitram*
Mors, aliò femi lege citante, rapit;
Ac Fernandæum *hanc (ne longiùs infula migret)*
Sors, sanguis, virtus, in caput ire jubent.
Non minùs, & canô Moldæ (10) *super aggere, raucis*
Cæsareæ clangunt luctibus armigeræ;
Informes, truncæque Aquilæ! *ni colla,* Rodulphi
Succidua interitu, surrigat apta manus.

Nam-

Namque hunc, funereæ glacialis Aquarius urnæ
Illatum, æternas jusserat ire vias.
Fratris at insistens Matthias *culmina, monstrat;*
Imperia *uno uterò delituisse duo.*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Duodecim Herculis labores: quorum magna pars, certamina; quæ clavâ sunt peracta.* (2) *Gabriélem. Hic, cùm ab orthodoxis, & Cæsare, jam olim descivisset; ultimis temporibus in arctum compactus, modò Turcæ se, modò Cæsari, venditabat: utrique amicus, ac neutri; Proteiq;, seu* Vertumni, *formas induens, & alternans.* (3) *Ad* stirpem *namque* Jagellonicam, *Polonorum regia dignitas longo tempore spectavit; à* Jagellóne *videlicet, Lithuaniæ Duce (pòst & Poloniæ rege,) usque ad Sigismundum Augustum, annô Christi M. D. LXX. extinctum. unde, (à potiore saltem,) adhuc, ad nostratis usque sæculi limina, Poloniæ reges, eorúmque filii, (à poëtis præsertim)* Jagellónidæ *vocabantur. Vide & Sarbjevii oden 38. lib. 4. fin. bis. Ista porrò Moscorum, instar fœderis cujusdam erecti, facta pactáque promissio,* Uladislaum, *Sigismundi III. filium, ad Ducatum Magnum evehendi, Cardinalem Bellarminum impu-*

Anni Acta.

impulit; ut, in opusculi sui, de Officio Principis Christiani, *nuncupatoriâ, circa hoc ipsum tempus, VVladislao, ceu jam* Designato *Moscorum* Czari, *inter cætera & hæc scriberet*: Tibi magnus Moscoviæ Ducatus, qui, instar maximi Imperii, à Septentrione ad Orientem usque, per vastissimas regiones, protenditur, Electionis jure debetur. *Id* jus *nunc, inconstantiâ gentis illius, exspiravit.* (4) Michaël: *nondum tamen hôc, sed aliô post annô. Nunc enim* Fedrowizio isti, *via primum, eáque armata, sternebatur, per hanc Moscorum perfidiam.* (5) *Regia totius Moscoviæ*, Moscua: *jam his annis à Polonis occupata; sed rursus, uti Smolenskum, amissa.* (6) *Thracicô; quia Constantinopoli missô; quæ urbs est Thraciæ: adeóque*, Turcicô. (7) *Plautina vox, in Rudente, ac Milite glorioso. Item, Afranii, in Pompa. Horatii denique, lib. 2. carm. oda 18. pro*, Subditis. (8) Non ego nunc *Adriæ* verear mare noscere tecum, Tulle, *&c. Propertius, l. 1. eleg. 6. v. 1.* (9) *Fluvius; ad Mantuam, lacum efficiens.* (10) *Amnis, Pragam Bohemicam traluens: aliter &* Multavia, *sicut alibi superiùs dixi.* Aquilarum *autem hîc mentio fit; tanquam Imperii Romani insignium. Vide tamen,*

men, &, *quid de* Aquilâ *vetulâ*, *volaréque desuetâ*, *circa tempus Cæsareæ mortis*, *paullò antè exactum*, & *Matthiâ ad Comitia profectô*, *præter ordinarium Continuatorem*, *lib. 17. pag. 1228. de hac ominantem*; *quid*, *inquam*, *tradat Continuator* separatus, *in hunc annum*, *pag. 31. col. 2. med.* &, *de* duabus *aliis* Aquilis, *paullò ante obitum Rudolphi extinctis*, *Slejd. redivivus*, *lib. 27. initiô. pag. 1221. col. 2. Matthiani certè palatii culmen*, *ex arce Rudolphæa avolans*, *sub id tempus*, *tam insedit Aquila*; *quàm mox deinde verticem Matthiæ*, *corona Cæsarea Rudolphi.*

APOCOMMA I.

Nagius, *à Bathore interfectus.*

I. MAlefacta, ne perennent, demum vindicantur; &, vel per malos. Documento sit, abruptus dudum ab omni Principum obsequio, solô quoq; prænomine Christianus, *Andreas Nagius*, *Dacus*. Hic, ingentî sibi rebellium Hungarorum, latrocinantium Turcarum, vagorúmque Scytharum, adjunctâ multitudine; Pannoniam aliquamdiu Transsylvaniámque, (prædabundô præsertim

Nagius, à Bathore interfectus.

Hajduccorum equitatu pagis & oppidis immisso,) vexârat, diripuerat; incendiis, ac ferrô, vastârat: mortales quoque multos, in vinculis abactos, exterminârat. ad summam demum, in universam Transsylvaniæ possessionem animum, ejectione (si posset) *Bathoris*, intendisse credebatur. Invenerat autem is, nec incautè sibi, nec instrenuè, locis opportunis occurrentem, Bathorianorum manum. Ab hac sensim pulsus *Nagius*, nec spernendâ clade debilitatus, maximè post amissam *Bayónam* arcem suam, dejectúmque præsidium, pedem passim referebat: accisisque vehementissimè rebellionis opibus, in consternatione non mediocri, perplexisque consiliis, fluctuabat.

II. Hujus autem ut trepidationem augeret, insimúlque, novissimis in asseclas exemplis editis, cæteros ab ejus signis in posterum avelleret, si sequerentur, aut, si sequi destinâssent, absterreret: tres *Bathor* Nagianos, qui suorum in manus inciderant, pro crudelitatis more sibi sollemnî, statim, & atrociter, interemit. Eorum enim unum, fustibus ad necem usque contusum; alterum, ex edita dejectum turri, de medio sustulit. postremum (ut-

Digitized by Google

(utpote globis miſſilibus ab Nagio præfe-ctum,) mortario-pyrio per vim intruſum, ap-plicitâ pulveri-nitrato flammâ, retorſit in ho-ſtium ſtativa. Quibus, & id genus aliîs, ſæ-viendi modîs, id conſecutus hic *Bathor* eſt: ut, rebellibus, ſeu metu ſenſim, ſeu transfu-giô quoque, diffluentibus, *Nagius* tandem & ipſe, paria ſibi mala metuens, opibúsque ſuis diffiſus, Bathoris primùm ad obſequium redi-re ſe cupere, ſignîs non dubiîs oſtenderet. In conſpectum autem illius veniendi tametſi nondum eſſe tempus arbitraretur; offenſioni-bus præſertim, & tantîs, & tam recentibus, antegreſsîs: ſiquis tamen *ejus verbis*, aut a-deò Princeps ipſe *ſuiſmet* humanitatis ſignîs, invitaret ad alloquium pacificum; videbatur, haudquaquam averſaturus. Demens! qui, tam ſuâ, quàm *Bathoris*, (fallaciſſimorum bi-pedum duorum,) è diſciplina, non recorda-tus ſit; *Inimico reconciliato, vix moribundo quoque*, nedum florenti dominantíque, *fidem habendam*: quantumvis interim, ab Juſtitiæ tenacibus, *ſervandam* ex omni lege.

III. Non fefellit, inter hæc, tális in *Nagio* mentis inclinatio verſipellem *Báthorem*, qui proinde, ne compendioſæ fraudis oppor-tuni-

Nagius, à Bathore interfectus.

tunitati, prolatatione temporis ac rerum, deesset; pòst paullò, *Nagium*, & per internuntios, & pompâ verborum exquisitissimâ, suum ad congressum pellicit. Adductum, epulis excipit, & sermonibus, in omnem humanitatem diffictîs: vinôque liberaliter affusô, longè largiùs autem haustô, prægravatum, ad vesperam in campum educit. Equis agitandîs uterque laxabant animum: &, in gyrum eos subinde torquendo, retorquendóque, pulverem humô, sudorémque membris, excitârant; fumantibus sensim & jumentîs: cùm, ex destinato *Bathor*, alacritatem insolitam ostentans, & simùl jurgio caussam aditúmque quærens, ad *Nagium* reflexô caballô vultúque; *Satis hoc*, inquit, *in præsens. at, cur non potiùs, (quoniam & planities est, & occasio, patentissima,) sterilî fatigatione relictâ, cursu ludimus equestrî; non in circulum, sed in stadium, ac procursum: nec gratìs, & ludicrô, sed seriò, certum ob præmium, ac fixam ad metam, certamine?* Cui *Nagius*, hiulcîs labiîs, & balbutiente linguâ; *Si vel maximè locus*, infit, *domine, sit, equîs hîc concertandi; reverentia tamen non est, cum Principe subditum, cum hero famulum, contendere. Quid tu*, (respondet Bathor,) *mihi de-*

córi

cori quæstionem hoc loco, quid urbanitatis, mores? Hungariâ Daciâque totâ nuper equitâsti CONTRA ME : *nunc* MECUM, *non vis? At, ne nescias; hîc Rhodus est, hîc saltus. hîc equitabis*. Nagius ulteriùs; malè sobriam mentem, temulentos artus, vertigine turbidum caput, quò minùs concurreret, caussari. verbô! si, vel maximè res *in loco* fieret; *in tempore* profectò non futuram. Differret imperium hoc, in posterum saltem, ac vinô-liberum, diem.

IV. *Malam rem!* (exclamat Bathor): *nugas seris : non effugies hodie. quod volens non facis; nolens, & ingratiìs, facies; bellua!* simùl, ingentî pércitus iracundiâ, ferreô nodosi capitis sceptrô (quale, gentis institutô, Principes illic ferè gestant) (1), bis ter magnîs viribus in *Nagii* vociferantis caput impactô, gravissimè, nec referientem, vulnerat: &, adhuc clamare perseverantem, *Hæc quidem vis, hoc nefas, est!* equô semianimem defluere compellit. Ipse, supra jacentem ephippiô suô mox desiliens, acinace, vaginâ solutô, *Nagii* boantis caput medium diffindit.

Et hic quidem, hac patratâ cæde, quasi per triumphum ad suos revectus; *Hercules* sibi

Nagius, à Bathore interfectus.

sibi videbatur : qui *perniciem terræ publicam* sustulisset. Sanioribus autem, mactâsse *Nagium Bathor* visus est ; ut credulum Abnérem, dolosus Joábus (2) ; ut mugientem taurum, percussor lanius ; ut Spártacum lanistam, gladiator æmulus, Crixus ; ut damnatum denique reum, atrox, & inexorabilis, carnifex.

NOTÆ.

(1) Pusican *vulgò*. (2) *2. Regum cap. 3. vers. 27.*

METRUM.

PAnnonicos Nagium *populos*, *Dacósque*, *frequentè*
Miscentem armorum turbine, *pœna citat.*
Fraude Bathor *tectâ*, *quàm nudô*, *fortior*, *ense*,
(Dacorum, nullo jure, tetrarcha Bathor)
Verborum incautum phaleris, *ac fœderis ictì*
Pellectum larvâ, *Bacchô epulisque gravat.*
Indè alvô sensûque pigrum, *producit in arva :*
Cornipedem iste suum versat, & *ille suum.*
Sed Nagio in gyrum plus mens, *quàm Cyllarus*, (1) *ibat :*
In capite hippodromus magnus, *Iäcchus erat.*
Ad cursum tamen hunc, & *equestris præmia ludi*,
Sobrius humentem, *provocat. Ille negat.*
Iste instat : perstantem, *urget ; refugúmque*, *trinodì*
Pertundit ferrô : succiduúmque, *necat.*
Sceptra Bathor (raptæ reus ipse tyrannidis, & *tot*
Fons scelerum, *) immensô ceu decore aucta*, *quatit ;*

Quòd

Quòd Ciculum (2) Dacus, Nagium Bathor, atque rebellem
Transfuga, fœdifragum perfidus, abstulerit:
Hoc est; Sylla ferox Cinnam, Catilina Cethegum,
Hannibal Hannonem, Castia tigris aprum.
Et magnum tu hoc credis opus? monstrôque sub isto
Deletô, Alciden te canis esse, Bathor?
Falleris. Invidia hæc, non Cæsaris ultio, mors est:
Sublatum orbe malum est; sed, graviore malô.
Hæc Transsylvanis quàm trita est gloria sylvis?
A majore minor latro latrone cadens.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Equus alioqui Pollucis, ut Maro 3. Georgic. ait: aut Castoris, ut alii: quippe, domitoris equorum. aut denique veriùs, utriusque, ceu fratrum. Antonomasticῶς (ut hîc) sumitur pro omni* Equo excellenti. (2) *Sunt enim &* Ciculi, *Daciæ, seu Transsylvaniæ, gens.*

Porrò, de Nagio *hîc relata, reperies in Continuatore Sleid. redivivô, partim pag. 1227. partim & pag. 1266. descripta Germanicè.*

APO-

Nagius, à Bathore interfectus.

APOCOMMA II.

Moscorum illius temporis, versatilis pollicitatio.

IN civilibus etiam profanísque negotiis, plerumque locum habet; quod divinus *Isaias*, super sacris discernendis, ac præmeditatè suscipiendis, olim admonuit (1): *Qui crediderit, cavendam ei nimiam properationem.* Cuj simillimum est, priscum illud, quod, quantumcunque dilationem detestantibus, & in agenda calentibus, ingerebatur tamen in aurem: *Festina* sanè; sed *lentè*! quo dictô, plúsne monerent veteres, an dehortarentur; haud facilè statuerim.

II. In memoriam interim hæc oracula sibi redegerunt, hôc potissimùm annô, *Poloni*; dejecti spe suâ, Moscorum à perfidia. Sic autem (ut in compendium rem, alioqui diffusam, conferam), hinc *fortuna*, ludum suum instituerat; & indè, *malitia*.

Post præcipitiô fœdâq; lanienâ sublatum, annô Sæculi nostri sextô, *Demetrium*, Basilidæ, Magni Czaris, ex Helena filium; *Russi*, qui dicuntur, *Albi*, Moscoviæ populus, ac pars (2),

pars (2), Magnum ſibi Ducem, extinctâ jam Baſiliorum Baſilidarúmque veterum progenie, *Svviſkium* legerunt illum, de quo dictum aliquoties in ſuperioribus eſt. Eum demum omnis eſt amplexa Moſcovia. Quod autem in pluribus antehac regnis & imperiis, fraude mortalium, acciderat, ut ſoliorum ſubſeſſores, & hæredes ſpurii, ſemet intruderent: id in *Roxolánis* (3) tum quoque contigit; ut, machinantibus id Ruſſis quibuſdam, qui *Svviſkium* averſabantur, adversùs eum *Pſeudo-Demetrius* aliquis emergeret. Et huic ergò ſua præſtò fuit in armis, & ſua Swiſkio, factio. ſed hunc plures, illum alterum ferociores, ſequebantur. Verùm, *Pſeudo-Demetrii* major fuit in populos terror, quàm potentiæ diuturnitas: quippe, tyrannidis anno primô, ſimùl cœptô, ſimùl cum tyranni cæde clausô. Dum autem *Pſeudo-Demetriani*, conjurationis ſuæ principe ſublatô, contra partis adverſæ vires Polonicam prenſant amicitiam, & opes (quas ſpe ſuâ paratiores inveniebant); *Svviſkiani* verò non multò pòſt & ipſi *Czarem* ſuum, cum fratribus ejus, (ut aliô locô dictum eſt,) amittunt: commutatio ſtudiorum ingens, ab indigenis ad exterum tranſeundi

P ſangui-

Moſcorum mobilitas.

ſanguinem, ſeu *verè* facta, ſeu per *ſimulatio-nem*, eſt. Quocirca, rebus & hinc & illinc exiguam melioris ſucceſsûs ſpem oſtendenti-bus, niſi præſidium aliunde fortius accerſere-tur; captîs præſertim, ſub hæc, virtute Po-lonorum, in Lituania Smolenskô demum; & in Moſcoviæ viſceribus, urbe regiâ Moſcuâ; Novogrodóque ſpontè ſe Sigiſmundi poteſtati permittente (4): maxima partis utriuſq; mul-titudo, pænéque Ruſſia Moſcoviáque tota, ceu bellis attrita feſsáq;, reſpicere votîs ſuis, & inclinatione ſuffragiorum, cœpit ad *VVla-dislaum*, Sigiſmundi III. filium. Eum ſibi pro *Svviſkio* monarcham promiſsîs deſigna-bant: &, *Electioni* per comitia legitima ma-turandæ, certatim, & affatim, à Polonis o-mnia fiebant.

III. Cùm autem, inter hæc, non deeſ-ſent; qui clanculum primùm, deinde ſenſim apertiùs, *Polono ſervituros Moſcos*, viderent, ac fremerent: arma, neceſſitate magìs, quàm pacis aviditate, depoſita, reſumere paullatim, maximam partem, cœperunt. Ii, nihil tale ſu-ſpicatos, *Polonos*, paſſim & ferociter aſſilire; trucidare; præliô fuſos, in fugam vertere; Moſcuam, Smolenſkum, alia regni munimen-ta,

ta, recuperare: Vilnæ, flammîs deletæ, cineribus insultare: pro *VVladislao*, de mentibus suis deletô, *novum* sibi *Ducem* circumspicere. Ne multîs demum! omnia sic agere, ferre, referréque; sursum, ac deorsum, versare: ne *Roxolanô* genere degener aliquid, & alienum, facere viderentur. Nimirum, *hamaxóbiæ* (5) quondam, ac *locîs vagæ*, neque *sedium* tunc, quàm hodie *voluntatum* instabilitate, vaniores gentes; inconstantiæ suæ constabant.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Isaiæ cap. 28. v. 16.* Qui crediderit, non festinet. *Ac sanè*, Moscis *tunc non præproperè fidem habendam fuisse, satìs monuerant, qui mores eorum depingebant. post quos Jod: quoque Hondius, in tabulam Moscoviæ primam, nit;* tametsi servitute magìs, quàm libertate, gaudeant (*id quod & in* Icone animorum, *de Moscis, Barclajus, ut alibi dixi, asserit, aliiq; complures,*) gentem esse *tamen* (*ut tunc*) astutam, & fallacem. (2) *Eundem Hondium vide, initiô tabulæ Russiæ, sive Moscoviæ, (ubi, Russiam Moscoviticam*, Roxolaniam *quoque di-*

Moscorum mobilitas.

ci, aut) statuentem Russias geminas: Nigram *videlicet, &* Albam. *Istam, inquit,* Moscoviæ partem *esse. Nigram verò,* Poloniæ conterminam. *Hanc ipsam porrò* Nigram, *in tabula Lithuaniæ, pariter &* nigram *vocat, &* meridionalem: *cùm interim in ipsa tabula chalcographicâ, collocet* Russiam Rubram *quoque, sanè ad meridiem: & à Septentrione protensam ad Austrum, inter Vistulam fluvium, ab Occasu; & amnem alium ab Ortu, ferè à Leópoli fluxum suum inchoantem. Idem tamen, in descriptione, rursus eam* Nigram *appellat; ut ego reor, ex comparatione ad Russiam Albam: cujus candori collatus color ruber, nigrescens aliquid præ se fert.* (3) *Hi Moscovitæ sunt, &* Rusſi Albi, *apud eundem, in tabula I. Moscoviæ.* (4) *Joan. Cluverius in Epitoma. pag. 766. col. 2. princip.* (5) *In plaustris, & sarrácis, vitam tunc, & non in* domibus ligneis, *(ut hodie) agentes: omnidq; sua secum, cum uxoribus, & liberis, hàc illàc, circumvehentes.*

METRUM.

A*lba Ladislaum poscit sibi Russia, Magnum,*
Post Basilidarum (1) *sceptra sepulta, Ducem.*
Credula præpropere Lechidarum (2) *natio præstò est;*
Ac mentituræ vela dat ampla spei.

Nimbi

Nimbi equitum, peditúmque volant, duce Pannone, (3) *nubes:*
Erigitur fidâ factio Russa manu.
Auxilii merces, Scythiês spondentur habenæ;
Quas tamen alterius postmodo dextra reget.
Bellice, nec Pœnô *grassari suete dolone,*
Rame (4) Lechi; *in gelido quæ tibi messis agro est?*
Usque adeóne tibi Demetrius excidit? aula
Quem modò Mosca Midam (5) *fecit, & Hippolytum.* (6)
Indigenis onerosa ferè est aliena regendis
Dextra: nec humanum *sustinet* Ursa (7) *jugum.*
Da saltem spatium pactis. Os inter, & offam,
Multa interveniunt (8): *& cadit aura prior.* (9)
Quid moror hic? fore quod dixi, timuíque, Futurum
Dum moneo, factum est: Dux Fedrowizus *ovat.*
Pacta Ladislao, *cum milite jura, fugantur:*
In patriam claudô spes pede fracta redit.
Atque aliquis, reducem irridens, clam immurmurat auri;
Nescieras, Moscos esse, Polone, Scythas?
Nescieras, mutare Scythas, cum cespite, (10) mentem;
Et, *Græcam* Russis gentibus esse *Fidem?* (11)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Hæc dictio,* Basilides, *si ritè pronuncietur, & non cum plebe, syllabam suî tertiam, nec in prosa, nec in versu, corripit; sed* pro-

 ducit

Moscorum mobilitas.

ducit. *Græcè namque scribitur*, ὁ βασιλείδης, δου. *Suidam vide*, *tomo 1. editionis Coloniæ Allobrogum*, *anni 1619. in fol. pag. 538. ubi sic.* Βασιλείδης. ὁ τοῦ βασιλέως. *i. e.* Regis filius, *vel*, Regius. (2) *Polonorum.* πατρονυμικῶς, *à* Lecho *Croatâ*; *qui gentis Polonicæ, præq; reliquis omnibus Poloniæ urbibus*, Gnesnæ, *conditor fuit.* (3) *Appamianum vide, in hunc annum, num. 4.* (4) Ramus Lechi, *pro eo, qui à Lecho, Polonorum conditore, progenitus aut protrusus est; sicut ramus à stirpe arboris. verbô.* generosus, & auctore gentis dignus, *Polonus: ad imitationem Homeri; qui, plusquam semel*, egregios bellô, *hôc extollit epithetô, ut ipsos appellet*, Ramos-Martis. *v. g. Iliados*, β. *versu 540.*

Τῶν δ' αὖθ' ἡγεμόνευ' Ἐλεφήνωρ, ὄζος Ἄρηος. *Id est. Hos verò rursus regebat (ut ductor copiarum) Elephénor*, ramus Martis. *Eâdem item rhapsodiâ*, β. *versu 663.* — κατέκτα

— Λικύμνιον, ὄζον Ἄρηος. *i. e. occidit Licymnium*, ramum Martis. *&c.* (5) *Antonomasticè*, Midas, *&* Crœsus, *pro quovis valde opulento rege usurpantur: qualis & Demetrius iste Moscus, gentis illius Czar, fuit: ut anno 1606. dixi.* (6) *Théséi filium; in minutias discer-*

cerptum. id, quod & Demetrio evénit, à Moscis dilacerato. (7) Arctos, *constellatio cœli septentrionalis; sub qua plaga Mosci degunt: qui, clementer regi, fastidiunt; ut sæpius adnotavi.* (8) Catonis *erat proverbium: admonens, bona nostra proposita, quò minùs effectum statim assequantur, præpediri, suspendíque, variè posse.* (9) *Adagium, à nautis petitum: quorum, bene licèt institutum, cursum, sæpenumerò ventus, qui primò secundissimus à puppi flaverat, in contrarium postea versus, navim evertit; aut aliò difflat.* (10) *Quoties nempe, pascuis prioribus jam usque ad fibras depastis, ad se locus herbosior vagos illos hamaxóbios illiciebat; solum vertebant, & illuc migrabant.* (11) Græcula promissorum fides, *ut levicula falláxq; , priscis Latinis in adagiis erat: ut vel è Verrinis Ciceronis aliquoties discas. Hîc autem insuper, ad Russorum Moscorúmq;* Religionem, *quæ Græcanici schismatis & erroris est, respicitur. Eam Russia Moscoviæq; terris, (de Deo, diviníśq;, quondam rectè sentire doctis,) extera superinvexit impietas; circa Servatoris annum 1187. ut, præter cæteros, etiam Atlantis Cosmographici auctor adnotavit, in* proto-moscovia.

Moscorum mobilitas.

Appendix.

Ne mireris, lector; vocum, Lechi, *&* Lechidarum, *primam syllabam à me correptam: quam Polonorum tamen Lyricorum princeps aliquoties apertè producit, ut v. g. libri 4. odâ postremâ.* Hinc Lechus, atque hinc Littavus, aureis Collucet armîs — . *Et paullò inferius.* Ab usque Lecho, legibus additum Optare regem — . *Et suprà, odâ 5. fin.*

Per ipsa Lechum damna. sed heu! recens –

Ne me refellat fama, Lechum *&c. bis. & alibi sæpe.*

Odâ 6. strophâ 3. Io! triumphe: Lechiadæ duces.

Odâ 16. init: Nec Lechus, neque Lechicis Proles illa fuit nata nepotibus, Qui *&c.*

Odâ 29. Quis ille ductor, Balthida Lechicis

Incendit armis? *&c.*

Libri 2. odâ 20. Et Belgæ Carolos, & Lechica regna Casimiros.

Nôris tamen, è diverso, Eodem à poëta syllabam eam ipsam, in utraque dictione, breviari non raro;

raro; proindéq; communem fieri, ficut Cacum *passim classicis poëtis cum Virgilio primâ longâ, semel Ovidio breviatâ :* Proferpinæ *primam, Maroni productam; Horatio coævo, correptam. & alias quasdam voces aliis. Sarbievius, eorum exemplô, qui* Lechi, *derivatorúmq;, principium* extendit, *idem alibi* contrahit.

Libri 4. odâ 2. fin. Majore feu pleċtrô Lechæi —

Odâ 4. Conopeis fubter Lechorum —

Odæ 6. fine. Spernet Lechææ robora dexteræ;

Me vate, tinget facrilegâ Lechos
Cervice mucrones —

Odâ 38. cùm verſu proximè antegreſſo produxiſſet, Lechiacæ dominator oræ:

Mox ſubdit, Salve! fecundis te Lechici patres —.

Odâ 3. Latè minaces horruimus Lechi. *&c.*

Quod & fit apud eum in voce, Ladislaus: *cujus primam producit libri 1. odâ 20.*

Sacrífque Ladislaus armis —

Corripit verò, odâ 15. ſtropha 2.

Præ fe Ladislaus phalangas —

Producit autem rurſus librô Epodon, odâ XI. ſapphicâ.

Mofcorum mobilitas.

Et novas solvat nova vota Ladi-
slaus ad aras.

Et suprà lib. 4. od. ult. O, cura, Ladislae, Divûm!

Idem in prima vocis, Jagello, *l. 4. od. 37. corripit.* Proximus à Jagelone sanguis. *quam eandem tamen alibi producit.*

Idem fit circa primam syllabam, in voce Dacus, *correptam; in* Dacicis (*ut vulgò solet*) *productam, à Casimiro lib. 4. od. 4. Idem autem & in prima nominis* Carolus *alicubi factum ab eodem, reperias. ut, lib. 3. od. 27.* Pro Carolo, Carolíque castris. *Et infrà.* Totô vehatur Carolus impetu. *Hæc monere volui; nequid sinè clarorum viderer Auctoritate præviâ tentâsse: præsertim, in voce Croaticâ* Lechus; *quæ fortassis à vicina Cróatis Macedonia Græciáq; voculâ*, λέχος, *ortum traxit.*

APOCOMMA III.

Pacificator infortunatus.

I. OMni semper ævô difficile visum est, REGUM, præsertim barbarorum, exhaurire mandata: difficillimum autem, penetralia *volun-*

voluntatum; quippe, quæ, Salluſtiô judice, (1) *plerumq; ſicut vehementes, ſic & mobiles, ſæpéq; ſibimet ipſis adverſa*, reperiuntur. Argumento ſit, *Schach-aba*, Perſidis ac Parthorum regis, miniſter; interpres eſſe, compoſitórque, juſſus controverſiarum; inter ipſum, & domum Otomannicam, gliſcentium. Efflictim primùm, ambitúque magnô, pacem Perſa voluerat; expeditîs litteris, internuntiô, camelîs, donîs. Repentè pòſt, in diverſa tractus à transfuga *Naſuffo*, quod voluerat, nolle cœpit; recantatione mandatarum Pacis conditionum, revocatione munerum, abalienatione plenâ mentis. quorum omnium, quis, vel tenuiſſimæ ſuſpicionis, nidor avolare potuit ad *fecialem* Perſam? Qui ſuarum, inter hæc, ſuíque Regis, utì juſſus fuerat, rerum ſatagere feſtinans; cum difficili ſuperbôque Sultano leges fixit, aliquantô magìs ad temporis ſui, quàm Perſicæ dignitatis, ſervitium accommodatas. Id, erratum forìs, domì mox capite luit: exitu funeſtô legationis unius, ac ſimplicis, & ſuo Principi pœnas obſequii dans; & alieno, (*præter os ad contumeliam*,) nihil *præbens*.

II. Tutius igitur (ſicuj modò contingere felicitas ea poteſt) nihil eſt; quàm *Regum-regi*

Pacificator infortunatus.

regi famulari, DEO: cuj, quoties aut nihil, aut secus agi, nullo modô potest; *Operis instar*, *Voluntas est* obsequiorum: &, *qui facienti*, *quod in cujusque viribus est*, *ne gratiam quidem negat*; nedum, ut *pœnas* infligat. *Servite*, mortales, *Domino-dominorum* (2): & hoc deniq; *Servitium*, credite *Libertatem*. (3)

TESTIMONIA.

(1) *Belli Jugurthini*, *fine*. (2) *Titulus Dei*. *psal. 135. v. 3.* (3) *Joan. 8. v. 35. ad Galat. 4. v. 31.*

METRUM.

Edecoris plenum quod Persicus icerat (1) *Hermes* (2)
Fœdus, *ad arbitrium*, *Turca superbe*, *tuum*;
Ingeniô gladii Scha-abas rex dissuit illô,
Quô Phrygii Macedo Gordia vincla doli. (3)
Bellaci, *imbellem Pacis*, *necat ense*, *ministrum.*
I, *nunc*; *disce* (*ait*) *hôc scribere jura stylô!*
Indè, *acuens Parthas in Turcica colla machæras*;
Castra, *viros*, *pharetras*, *tela*, *rotásque*, *trahit.*
Jámque Otomanniacas immensâ strage phalangas
Mactat, *ut aprorum*, *per Syra tesqua*, *greges*:
Intuitúsque, *vagis disjecta cadavera campis*,
Sævùm irridenti talia nare sonat:
Siquis nescit adhuc feriendi *fœderis artem*,
A sagari (4) *discat Suside*, (5) percutere.

Pacta,

Pacta, vacanto probrô! Si hîc fallant, Utile fœdus,
Qui ferit Auctorem fœderis, ille ferit.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Ciceronis vox est, in L. Pisonem.* (2) *Nomen internuntii Persici fictum: ceu* Interpretis, (*nempe, Pacis*) *qui Græcis, & Asianis,* ἑρμῆς. (3) *De Gordii ligaminis occultis,* & in semetipsos implicatis, nexúsque celantibus, nodis, *ab Alexandro Magno ictu uno solutis, Q. Curtium habes referentem, lib. 3. c. 1.* (4) ἡ σάγαρις, *Xenophonti Persicus ensis est.* (5) *Rhomphaeâ; qua* Susis, *Persarum olim celeberrima urbi, in usu erat.* πατρωνυμικῶς. *& simul urbs una pro Perside ponitur universâ, per tropum Synecdochês.*

APOCOMMA IV.
Gazóphylax, suiipsius carnifex.

I. SUperiùs, quo loco *Rudolphi* Cæsaris fatalem diem, (qui Januarii vicesimus fuit), memorabamus; mentionem inspersimus *Ruskyi* cujusdam, qui thesauros Cæsaris, & thalamum, curârat; quem & diximus, unà cum

cum nonnullis aliis, factiosorum consiliorum suspectis, statim ab Imperatoris excessu, vinctum; & arctam in custodiam fuisse datum. Auctores rigidi mandati, Dux Brunswicensis, Princeps Anhaltinus, Landgravius Lejchtenbergicus, & Onoldspacensis Marchio, ferebantur. Caussas vinculorum adferebant, multis ex indiciis, argumentísq;, collectas; novorum, adversùs Pragam, reliquámque Bohemiam, & Austriam, agitatorum consiliorum, conjecturas: quæ *violentæ suspicionis* pondus haberent. Hæ porrò rationes, indies invalescentes, effecerant; ut, ad *nonum Februarii* diem *Matthias*, Ungarorum ac Bohemiæ rex, (qui jam ante dies decem, cum Regia conjuge, nec exiguô suorum comitatu, Viennâ Pragam advenerat,) vinctorum aliquot insigniorum admoneretur. Is igitur, jam & aliorum quorundam criminibus per judices alios inspectis, accuratéque singulis discussis, *Placere sibi*, significavit; *Ruskyi, consciorúmque, caussam exactiùs cognosci, tractariq;*. Quocirca quæstionum præfectis mandârat; ut protinus hi, quos dixi, soli, curâ solertiore vincti, custodiâ vetere mutatâ, regiam in arcem transferrentur. Separatim autem, ne conferre consi-

consilia nutúsque posſent, ſinguli ſervari juſſi ſunt: poſitis ante fores excubiîs. Quæ tam inſperata ſeveritas, ceu triſtiorum eventuum minax, eos omnes, præ cæteris autem *Ruſkyum*, vehementer exterruit; hominem delicatum, &, ex honore gratiâque vetere, tantæ mutationis rerum ſuarum inſuetum.

II. In comitatu porrò *Matthiæ* regis, Pragam *Melchior* quoque *Cleſelius* venerat, Epiſcopus Viennenſis. Is, ſub ejuſdem adhuc diei meridiem, immiſſus *Ruskyo* nominatim; hominem, ut, quæcunque de conſpiratione, cæteriſq; molitionibus arcanis, ad res novandas ſpectantibus, ſciret, omnia ſinguláq; ſpontè fateretur, & cum fide, familiariter hortatur. *Hac viâ, nec aliâ placabiliore, voluntati regiæ ſatisfactum iri. Quòd ſi fortè dubitaret, alienis auribus conſiliorum ſuorum credere latebras: reputaret cum animo ſuo; Tutiúſne, factionis ſuæ participibus eas credidiſſet, hominibus profanis, &, cùm primùm adigerentur, ſecretiſſima quæque detecturis? an verò ſibi, ſacrato, ſacrorúmque præſidi, capiti; leniter, & è norma Chriſtianæ manſuetudinis, interroganti? Quòd ſi tamen optionis, tam æquæ, genus fortaſſis etiamnum reſpuendum ſibi duceret; & arcana*

Gazóphylax, ſuî carnifex.

na premere perseveraret : Tum tu sanè cave, (*subjicit*,) ne paullò pòst Conscientiæ quæsitorem (1), qualem minimè velis, invenias. Addere potuit Cleselius ; *Et hunc, cum fidiculis* ! Sed, ab extrema verbi parte, surrexit ; ac discessit.

III. Quod iste tamen dicere supersedit, id *Ruskyus* satìs ipse per se, nimiòque plus, intellexit. Mordebant eum hæ minæ. terrebant, acres in ipsum præparatæ quæstiones; ac, (ni totum se, sociorúmq; machinationes, aperiret,) laniandum tormentìs corpus. sin, quæ rogaretur, enuntiaret ingenuè ; digna factìs, ex mala conscientia, formidabat. Vesperam igitur illam, & mox imminentem noctem, (insomnem haud dubiè totam,) in mœrore ducere. tum, postridianum diluculum, & antemeridianum omne tempus, inter hujusmodi curas, suppliciíque publici metum, exigere. non minùs autem & grandem illam infamiæ publicæ fœditatem, animo semper obversantem, secum momentìs omnibus expendere. Contrà verò, pretiosioris suî partis, *Animæ*, negotium, ac salutem, (quod tales solent) in postremis habere.

IV. Dies erat *Februarii decimus* : & meridies

ridies inſtabat. Emittitur à *Ruskyo* miniſter, ad prandium inferendum. Abit, redit, infert. ſed, qui prandere debuerat; cum Leónida Spartano jam apud Inferos cœnabat. *Ruskyus* enim, effugii malorum, in præſens impendentium, deſperatione victus; ut mala futuræ potiùs, æternæque, mortis incurreret, animi decretô ſtultiſſimô, ſeipſum intereadum vivis ſubduxerat: & è funiculo ſerico, quem ad lecti ſpondam, paxillúmve, deligârat, & è quo *clavem* antehac Cæſarei cubilis *auream* geſtare ſolitus erat, ſuſpenderat. Sic ergò pendentem nactus, cum horrore, famulus; pendentem reliquit: reductôque poſt ſe carceris oſtiô, cùm rem geſtam cæteris nuntiâſset; ipſe pro domino prandere cœpit. Captivis porrò reſiduis, ſuſpendiarii conſortibus, nequis illorum forſitan, ejus exemplô; mortem ipſe quoque tentaret antecapere; Regis mandatô, vigilantior eſt cuſtodia circumpoſita.

V. *Ruskyum* interim, in ſuſpendio per totum illum, quantus ſupererat, diem, ac veſperam, relictum; tenebrîs demum ingruentibus, inter ſeptimam octavámque pomeridiani temporis horam, carnifex, arcis extractum car-

Q cere,

Gazóphylax, ſuî carnifex.

cere, devexit in *Montem*, quem vocant, *Album*. quo loco cadaver exsecrabile, particulatim concisum, is idem infódit, ac terrâ contexit. Nec id sinè pollucibili mercede fecit. Ex iis enim, quas circa *Ruskyi* corpus invenerat, rebus, quæ, vetere carnificum è disciplina, quodámque veluti jure *præscriptionis*, ad bustuarium ac vespillonem hominis, suîmet interfectoris, pertinebant, ditatus est: quippe, quarum pretium, ad *millia* Teutonicorum, quos appellant, florenorum *tria*, redactum est. Tanti, torques, annuli, vasa poculáque pretiosi metalli, lectus, & lecticaria supellex, cum vestibus, steterunt.

VI. Sed, *quam commutationem* Ruskyus hic, *pro sua* subîsset *animâ*? Detrimentum quidem ejus, & jacturam, fuisse, (si consultò facta sit,) irreparabilem; abunde nobis sacra persuadent religionis nostræ decreta. Sed, super hæc, (siqua fides est, illius temporis actorum compositoribus,) idem ipsum & *Ruskyani manes* testabantur; tum in loco custodiæ, conclavíque, cujus intrà parietes ille sibi mortem consciverat, tum alibi foris, per noctium complurium horrores, & spectra, tumultuosissimi: quando nunc quidem, vel ipse, vel, ejus

ejus vices ſuſtinens, ater genius, conſpectus eſt, *hirco*, largè cornuto; nunc & *equo*, multîs cincto ſatellitibus, inſidens, prætorianos arcis regiæ vigiles prætervehi: nonnunquam autem, & felium, caprarum, cæteríque generis monſtrorum, agmine choreíſque ſuccinctus, bacchari.

VII. Quibus de cauſſis, magiſtratuum curâ, *Ruskyi* corpus, tanquam exſecrationibus, quàm terrâ tumulóque, dignius, refoſſum; flammîs exuſtum; cinerésque ventis, & Multaviæ gurgitibus, immiſſi ſunt. (2)

Iſte talis ergò quónam proſequendus *epitaphiô* ſit, qui ſepulcrum ſtabile nullum in terris habuit; *loquatur ipſe:* divitis (ſi tamen unà ſint) *epulonis* è buſto *plorans.*

TESTIMONIA.

(1) *Germanici Continuatoris Slejd. pag. 1222. libro 17. verba ſunt.* Mit betrohen/ daß man ihm dann/ einen anderen Beichtvatter herbey zu führen/ Willens ſeye. (2) *Hæc de* Ruskyo (*quem auctores Teutonici plerumq; vocare pronuntiaréque Sclavonicè ſolent*, den Rutzkhy) *tradunt Slejd. Redivivus, lib. 17. pag. 1221. & pag. 1222. Continuator item ſeparatus, & in parti-*

Gazóphylax, ſuî carnifex.

cularibus exactior, Parte 4. lib. 2. pag. 17. & 21. (qui addit; jubente rege Matthiâ, post Ruskyi mortem, fratrem quoque illius, & famulum, datos in custodiam). Annales præterea, Coloniæ impressi, apud Guilielmum Luzenkirchen, tomi 7. libro 2.

METRUM.

Ruskyus ipse loquitur.

QUi flammas, ventos, fluvios, post funera sensi;
In flammam, ac ventos, & vada, verba sero.
Ille ego, Cæsareæ Libycus draco noctis, & arcæ;
Ac fisci, & thalami, (1) *pervigil excubitor;*
Ruskyus, hâc atque hâc, ad magni arcana Rodulphi,
Clave *potens; bifidæ noctua fida Aquilæ:*
Cæsarei vixdum desectô stamine fati,
(Heu, fluxa aularum flamina, vela, rates!)
Vincior; exagitor; Rhadamanthæôque Catonum
Perculsus tonitrû, lege minîsque rotor.
Sed, minimum est, aliena *reum quòd lancinat Urna;*
In se *mens, scelerum ni memor, ipsa furat.*
Hâc bilem exagitante nigram, malè percitus in me,
Sacrilegam elisi præcoce Parcâ animam.
Quærenti interitum, laqueum vel aranea texet:
Et mihi neverunt Serica fila *necem.*
Me ligula, è qua Clavis *honos,* geminíque *pependit*
Gloria Secreti (2), *pensile* jota *facit.*
Vincula, tortilibus bombycum mollia textis,
Nempe uni aptârant Parca, & Arachna, colo:

Quæ

Quæ tamen ut nostris servirent stamina fatis;
Distinxit nodos utraque Nympha suos.
E ligula ut Clavis *penderet, fecit Arachne:*
Ipse ut penderem Claviger *, hoc Atropos.*
Interea, nostri dum passim infamia lethi
Diditur; innumeris fœdor in urbe probris.
Detrahor: extractus, minimos dissolvor in artus:
Infodior. Sed erat, Corporis, *ista quies:*
Non poterant Manes *requiescere. Nostra, vel* hirco,
Vel nocturno *hærens,* Umbra *vagatur,* equo.
Ergò, refossa vorat Vulcanus membra; bibúntque
Relliquias, Aquilo, Molda, fretúmque, meas.
Quid mihi nunc reliquum misero facit Aula? *quid ipsa*
Christiadûm, *infido non bene culta, Fides?*
In me jam Christi *hoc unum est, quòd* Mortis, & (*eheu!*)
Inferni, Claves *ille* habet (3); *Ipse*, habui.

TESTIMONIA.

(1) *Ità eum Annales nominant Colonienses.* (2) *Cubilis; & arca thesauraria.* (3) *Apocalyps. 1. v. 18. Filius DEI, de se dicit;* Et habeo Claves mortis, & inferni.



Gazóphylax, suî carnifex.

APOCOMMA V.

Ruskyi Conjux, *fortunæ suæ discolar.*

I. A*fflictis* quidem *addenda non est afflictio* (1). Sed interim, nec *afflicta sors* frontem sumere, spiritúsque *fortunata*, velit. Cuj Legi-*modestia*, non paruit infelicis *Ruskyi* quondam, in secundis *uxor*, in asperis postea *vidua*; memor tantummodo, Qualis *fuisset* olim: oblita verò, Qualis tunc *esset*.

II. Ecce namque; Maritô, post tot furias ejus, imaginésque spectrorum, nocturnas, refossô, (sicut dixi,) crematôque cadavere; facultatibus quoque domesticîs fide prætoriâ recognitîs, & obsignatîs: uxor, rerum suarum dotísq; sollicitudine stimulata, (quasi puteal, aut Judex, in urbe nusquam ullus superesset,) ad Bohemiæ reginam, *Annam*, adhuc Pragæ, cum marito rege, versantem, pergit. Admitti rogat: & impetrat. Erat autem *Anna* (quod scriptores temporis ejus signatè tradunt) *ingeniô* mulier perplacido, neminíque mortalium infensô; præter *hæresum* pertinaces,

ces, ac noxios, *doctores*, (id, quod avitæ religionis acerrimô ſtudiô faciebat) : præter eos item, qui ſupra fortunam immodicos animos gererent. *Corporis* verò *ſpecie* fertur excellenti fuiſse; lætôque vultûs habitu (2): quas naturæ dotes, inceſsûs quoque dignitas, ſtantis ſedentíſq; majeſtas, & veſtium decens ſplendor, multò commendatiores efficiebant.

III. Ad hujus ergò potiùs, quàm *vidua deſolata* ſqualidæq;, ſimilitudinem, ſeſe *Ruskya* componens; omiſsô lugubri peplo, ſpretâ pullâ veſte, deterſiſque (ſiquas tamen profuderat) lacrymarum veſtigiîs; ceruſsâ ſtibiôque vultum expinxerat: lætioriſque fortunæ cultum induta, tantúmq; non, *ſaltatura*, quàm *lamentatura*, ſimilior, ad Reginam ingreditur. Advoluta, codicillum porrigit; *chartâ* magìs, quàm porrigentis *geſtu*, *ſupplicem*. Itaque Regina quoque, *ſuperba-ſupplicis* os & habitum potiùs, quàm libellum, intuita, deteſtatáque; *Vade, mulier*, inquit, *quò digna cum his phaleris es*. projectâque ſimùl ad pedes ejus paginâ; *Thecuitidem* (addit) *exſpectabamus* (3): *ſed, ut video, Thaidem* (4) *admiſimus*: *quæ, cum hoc curioſo luxu, non patronam ſibi, ſed virum, quærit*.

Ruskyi Conjux.

IV. In hunc modum abacta Ruskya, quæ, *filiarum Sionis instar, extentô collô, compositô gradu, nutibus oculorum lasciviens*, (5) cerussatâque cute, *templi* Salomonici *similitudine circumornata*, (6) venerat: *detonsa*, sordidatæ, lugentíque præficæ, jam æqualis; omnî confusione cooperta, juncis arefactîs humilior, limáce contractior, & asellîs onustîs depressior, discessit: *quando mula pepererit*, ad Augustam reditura.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *l. Divus, in princ. ff. de offi. praef.* (2) *Ità Slejd. Redivivus lib. 17. pag. 1221.* **Vnd obwol die Böhmen Ihr Majestätt (König Matthiam) wegen der Königin (so gar ein frölliche/ vnd ansehliche Person/) stattlich zu empfangen/ vorhabens** *&c. De* zelo *quoque* Catholicæ religionis, *in eádem Regina, satìs, & invitus etiam, testatur Cluverus in Annum 1612. init:* Redimitâ simùl diademate Annâ Tirolensi, conjuge & consobrinâ suâ, Religionis majorum perquam studiosâ. *Hæc ille. Circumfertur quoque etiamnum hujus* heroidis *apophthegma, quo detestata ferebatur, vel aspe-*

ctum

ctum etiam capitis, pertinaciter hæresim seu foventis, seu docentis; plusquam, è Tartaro venientis, Luciferi. Immoderatum demque vestium, & fucatarum formarum, luxum, eandem aversatam esse; coævus ejus, Continuator separatus, refert, Partis 4. lib. 2. pag. 21. (3) *De* Vidua, *conductâ à Joabo, principe militiæ-Davidicæ, ad reconciliandum patri filium fratricidam, Absalomum; habes l. 2. regum, cap. 14. v. 2. &c.* lugére te, simula; & indúere veste lugubri, & ne ungaris oleô *(quantô minùs dissingaris fucô?)* ut sis, quasi mulier, jam plurimô tempore lugens mortuum: & ingredieris ad Regem; & loquéris *&c.* (4) *Nudîs enim his verbîs eam aspulit à se, quæ Continuator separatus affert, locô cit:* Sie möge mit solchen (gebüfften / auffgemutzten / geschminckten /) Diernen nichts zu schaffen haben. (5) *Lege S. Isaiam, cap. 3. à v. 16. &c.* (6) *Psal. 43. v. 12.*

METRUM.

Sortis ab attritæ procùl esto Superbia *questu:*
VULT patronus emi Simplicitate *favor.*
Ut tumidas reprimant, saltem lacrymantia, cristas,
Lumina; in exemplum Ruskyas *uxor eat.*
Orba virô, suspensa bonis, disclusáque dote,
Codice regalem supplice prensat opem:

Ruskyi Conjux.

Picta genas, turrita comas, crispata corymbis,
Et, fictô in luctum vix sinuata; genû;
Reginæ accendit stomachum. Felem ergò crocóta, (1)
Aut Hecuben Helenês frons, decet? (*Anna refert*)
I, procùl hinc! postésque alios quate, compta rogatrix:
Asperat Augustas indiga pompa fores.
Non potes, & sortem simul hanc, & sumere cultum:
Nil esse improbius Laide flente potest.
Vel mundum (2) hunc igitur, vel verba rogantia, tolle:
SUB picto verus non sedet ore dolor.
Dixit. & orantem, non supplice more, libellum,
Sparsit humo: ac nullum hic jussit habere locum.
Nempe, altas pulsare *fores* ex arte, *tot Aulæ*
Vix vulgò doceant. ipsa Repulsa *docet.*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Crocótos, i. *&* *Ciceroni, De Responsis aruspicum*, Crocóta, æ, *Græcis* κροκωτὸς, ȣ, *superba teneráq;, crocei-coloris-vestis-mulierum erat; Plauto quoq; nota.* Feli crocótam, (*subaudi*, circumponere) *est, Indignam personam; aut, non in tempore, locóve, exornare, vel extollere.* Einer Sau / ein neuen / goldverbrämten / Beltz

Beltz anlegen. Die Küch ins Beth legen. *Aptabis id Ruskya; in luctu sic excompta.* (2) Muliebrem sc. *ornatum nimium.*

APOCOMMA VI.

Vattanaa Salinæ.

I. IN hunc demum annum, siqua Germanorum Annalibus fides est, sese postremus exoneravit actus calamitatis, ac tragœdiæ; quæ, jam ante biennium ferè cœpta, nunc plenè *Florimundum* oppressit, Baronem Gallicum, gente *Puteanum*, Vattáni dynastam. Adversùs hunc, in ipso Galliarum gremio degentem, & extrema nequaquam adhuc exspectantem, auctoritate Ludovici regis impuberis, & Reginæ gubernatricis, missus, unà cum præsidiaria cohorte validâ, præfectus cohortis, Solæus; *Vattánam* urbem, munimentorum nudam, inopinantem invadit: nullôque negotio capit. Arcem deinde, firmiorem illam quidem, sed tamen, incurrit: &, quòd propugnator, conscientiâ perperam actorum graviùs, quàm diffidentiâ virium, trepidabat, celeriter eam expugnat.

II. Capi-

Vattanææ Salinæ.

II. Capitur ibi *Florimundus*: catenîs injectis, Lutetiam abducitur. De sententiâ supremi Senatûs, capitis damnatur. &, ut læsæ majestatis multimodis (1) reus, non modò plectitur, sed & truncus in ardentem rogum injicitur: &, palo suffixum caput ejus, *Vattána* proponitur: bonîs *fisco* (nisi, quòd rex ultrò cognatis ea remisit) adjudicatîs. Et ista quidem Florimundææ fuit infelicitatis extrema scena. Sed; roges utique; quæ caussa quoque, delictíve series?

III. Nimirùm, *Sæpenumero, quæ Divitiæ videbantur, hominis ultima mendicitas ac ruina fiunt*. Infaustâ, per hos annos, prosperitate, *Baro Vattanæus* inciderat in *Salinas*, quarum origo, *fons* erat; solitario locô, sicut clausus, sic ante tempus illud ignoratus. Publicani per regnum, certô quisque vectigalî, salis mercatum, à rege redemptum, exercebant. Porrò, jam olim privatorum nulli, nec è Nobilitate quidem altiore, nisi *Rex* auctor fieret, venditionis ejus jus erat. & erant tamen, qui subinde, nec raro, tentarent id, & auderent; præcipuéque, quêjs, in marginibus (ut ità dicam) Galliæ, fundorum fiduciariæ possessiones essent. Horum talium ergò

ergò tunc, ex insperato repertîs Salinîs, *Florimundus* iste, non socium modò popularémque factionis, sed etiam, siqui timidiùs adhuc agerent, eorum caput auctorémque, se gerebat. ab regiis redemptoribus, nolle, pretiô salem peti. suum, è contrario, vel à se pactione nummariâ publicari concessum, propè solum extrudi venum volebat; & emere dubitantes, imperiîs urgebat: quin, & armîs insuper, &, siqui tergiversarentur, aut resisterent, verberibus adigebat, malè multatos. Et hæc latè fiebant, per viginti plusquam milliarium ditionem: fiebant aliquandiu; nec citra proterviam contumaciámq;, tametsi *ternâ* quoque (quod in nobilitatem fieri, regno Gallico vetus, ac receptum est,) dehortatione ministris regiîs increpantibus; ac, ni cœptô desisteret, vim ostensurîs. Ille nihilosecius persistere præfractè: paullatímque, non jam *dynastam* se tantummodo, sed plusquam *tetrarcham*, planéque *pro Rege*, ferre: stolidissimè quaquaversùm volitare; pro libidine, non ratione, quævis agitare: tandémque pénitus intolerabilis evadere.

IV. Postquam igitur adversùs illum nec leges, neque Regum imperia, nec armorum ullæ

Vattanææ Salinæ.

ullæ suppliciorúmque minæ, valent (*tantos Aqua salsa, spiritus ei faciebant* !) ad ultima denique remediorum decursum est; & arma sesuppliciáque, jam non eminus ostensa, sed seriò repræsentata: *divitiis* quoque pariter, quæ *domini* nuper *in malum* (2) cum aquis affluxerant, in aquæ salísque morem, aliò dilapsis, ac resolutîs. (3)

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Vox est Terentii, Andriæ Actu 5. sc. 4. Hecyræ Act. 2. sc. 2. & alibi* bis. (2) Divitiæ, conservatæ in malum domini sui. *Ecclesiastæ cap. 5. v. 12.* (3) *Referunt hunc casum funestum; Continuator separatus, Parte 4. lib. 2. pag. 21. col. 2. & signatè in annum 1612. & Gabriel Barthol. Gramondus, gestorum Ludov. XIII. libro 1. etsi assignet annum 1610. quô tamen intelligas*, cœptam *potiùs rebellionem* Vattáni, (*qua morâ, vel ipso Gramondô teste, non exiguâ indiguit*) *quam* oppressam, *& punitam. Florimundus hic porrò, stirpis Puteanæ, dicitur Gallicè*, du Puy. Baro de Vatan.

METRUM.

Septennium II. Annus 1612.

METRUM.

Dum Dryadum nigra Vattanus *regna, atque, fugacem*
Rupturô leporem, confraga lustrat, equô;
Pumice suspensas fragilî, Fortuna salinas,
Lucrosásque viro blanda retexit opes.
Utitur oblatô (mora nulla) favore repertor:
Atque, utinam, granô cum salis, *atque* **modô!**
Sed, fluidum caræ pretium salsuginis ille
Sperat *inexhaustô dum fore juge specu,*
Heu, salis in puteo mentem Puteanus *avaram,*
Reddidit insipidam: dedidicítque jugum.
Tanquam Hermum simul, atque Tagum, Didûsque Libyssæ,
Ac Salomonis, opes, una scatebra daret;
Sic tumet: insurgítque ferox: ac, regia vendi,
Et sua retrudi commoda, lege vetat.
Obsequium exutus, vim tandem insanus, & arma
Induit; ac regno turbida bella movet.
Illi REX, puer *est* (1); *tutrix-Regina,* puella:
Re semet Regem, si minùs ore, gerit.
Sed Propriâ in se mole ruit vis devia. *Victus,*
Vincula Vattanus, suppliciúmque, subit.
Quam visero in sylvis gazam Dea cæca repôstam
Monstrârit, post hæc quæritis? Expediam.
Fit rogus, en! quernîsque crepans sylva ignea costis,
Trunca superpositi corporis ossa vorat.
De toto, nisi Pruna, *reô, nil restat:* & Omnis
Thesaurus, (*Grajô scommate,*) Carbo fuit. (2)

TESTI-

Vattanææ Salinæ.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Unde & Gramondi illud intelligas, libro 1. pag. 19. Amstelodam: editionis, Elzevir:* Sub rege puero, vacillabat nobilium ordo. *&c. Ac profectò, Henricô IV. patre interfectô, (sub quo, immensùm armatô, nunquam rebellionem cœptare Vattanus ausus esset)* nondum *plenè* novennis *fuerat Ludovicus filius, successor. Annô verò, quo plexus Vattanus; duodecennium vix ingressus. Unde, pueritiæ regiæ fiduciâ, biennii, quod interjacebat, spatiô, tam insolenter egerat: donec &* pueri *sensit regnum, immorigeris plus satis* adultum *esse factum.* (2) *Atticorum adagium, de re, vel nauci, vel perniciosâ, longéve infrà exspectationem, inventâ:* ϑησαυρὸς ἀνθράκων.

APOCOMMA VII.

Tuendæ Duarum castitati, Tres immolati.

I. HUnc eundem denique, licèt in exitu jam constitutum, annum intravit, longè, quàm *Vattáni*, felicior obitus, Patris *Marti-*

Martini cujuſdam ; cuj cognomentum ARANDÆ. qui, decimô quarto Decembris die, trans Atlanticum Oceanum, illuſtre Christo, regi noſtro, *Pudicitiæ* legislatori, teſtimonium, ad ſanguinis uſque vitæq; ſuæ jacturam, impendit : operis pulcherrimi collegîs, duobus aliîs, ex eádem, quâ Martinus quoque, Societate JESU ; quorum alteri, Sacerdoti, nomen fuit, *Horatio Vecchio* : postremo verò, *Didaco Montalvano*, domeſticarum rerum curatori. Geſta verò res in hunc modum fuit.

II. Eſt in *America*, meridiem ſpectante, CHILA regio, prægelida ; cujus deſcriptionem aliô jam in opere, (1) quantam res, locúſque, poſtulabat, exhibui. *Chila* porrò non ſpernenda pars, eſt Vallis ELICURA : cujus, ut & vicinæ *Bellabuanæ* convallis, incolæ, ſuperioribus ab annis aliquot, Hiſpanorum armis & operâ, ſubigi quidem, & coërceri nonnihilô, cœpti ; pleramque tamen adhuc partem, cum adoratione fictilium deorum, & adversùs gentem Hiſpanicam diffidentiâ, conflictabantur. Unde frequens iis, & neutri plerumque partium incruenta, tumultuatio, jam antiquitus : donec, ſenſim fa-

Pro Caſtitate alienâ, mors propria.

tigatîs & his, & illis, visum *Elicuranis* est optabile, nec *Hispanis* aspernandum, armorum otium; si de conditionibus utrimque conveniret. Mittuntur igitur ab his, qui *Pacem* illis offerant, eâdémque simùl operâ *Christiana* mysteria religionis Eliçuræis inserant, ii, quos suprà nominavi, tres de *Societate*, viri.

III. Cæterùm, inter vicinos Elicuræis barbaros, homo militaris, inprimísque, non ferox minùs, quàm libidinosus, erat, equitum præfectus; pronuntiatu quidem difficilis, sed deleniri multò difficilior, *Arganavamánus*. Hujus muliercularum, (quibus extra connubium insueverat,) jam antea, priusquam pacificandi caussâ Patres advenirent, *duæ*, spontè profugæ, turpéque contubernium, & *Idola*, pertæsæ; Christianam ad aures instructionem admiserant. satísque jam institutæ, lavacrum sacrosanctum, à se postulatum, acceperant; castè post hæc, & integrè, vitam agentes; ac semper acturæ.

IV. Non implacabilior tigridi, raptîs à venatore catulîs, sævities; quàm scortatori barbaro, detractîs pellicibus, rabies est. Venerant jam in vallem Elicuranam *tres*, quos dixi, *Pacis* & *Evangelii* promulgatores, à plebe

be juxtà, *Caciciisque*, (populi præſidibus,) lætiſſimîs paſſim animîs excepti. Jámque negotio, quà Pacis componendæ, quà Religionis introducendæ, manum admovere cœperant; ſacello, quod in propatulo vallis ſitum erat, adornando primùm omnium intenti.

Jam autem & *Arganavamánus* antehac, ex quo primùm die fœminas ſuas ad Hiſpanos, & Chriſtiana ſacra, transîſse didicerat, cum Patribus, tanquam Hiſpanorum conſcientiæ rectoribus, inprimíſque cum *P. Ludovico Valdiviâ*, peracriter expoſtulârat per internuntios; de receptione primò, detentionéque fugitivarum, quas ajebat, dolô magìs, aut incantamentis Chriſtianorum, quàm ſuapte voluntate, pertractas, alienos ad dominos migrâſse. Minitari deinde, (ni protinus illæ redderentur,) & pacis inſtantis diſturbationem; & æternum in Chriſtianos univerſos bellum. Cùm autem, hîs inſuper habitîs, à *Valdivia* reſtitutio neophytarum iſta, ceu nefaria, placidè quidem, ſed conſtanter tamen, recuſaretur: recondidit homo ferus & fallax, in tempus, iram; ſed per temporis moram exacuit, & auxit, quoad vindictæ commodior ſemet offerret opportunitas. Ea tunc, cum

R 2 tribus

Pro Caſtitate alienâ, mors propria.

tribus illis, quos memoravi, Concordiæ bajulis, advenerat: nec *Arganavamánum*, (qui septem haud ampliùs leucîs ab Elicuranis, in alia valle quadam, tunc aberat,) latére diu poterat.

V. Dies igitur, ab adventu Patrum, unicus intercesserat: cùm, ecce, tertiô vix illucescente, tumultuariâ barbarus in vallem irruptione, cum *ducentis* suorum *in equis*, adest. Statim; *Ad ferrum*, (exclamat) *ad cædem, ad vulnera!* trucidare *Cacicios*, pacis auctores; miscere strage, fugâ, plagîs, multitudinem: inquirere, PATRES UBINAM? Eos, clamore ducis, ac militum, excítos, & occurrentes, rabidîs adoriri vocibus: *Nebulones, tenebriones, mastigias, scelestorum compendia*, nominando. *Cur ad nefaria Sacra sua, sibi, DIsq; suis, mancipatas amicas abegissent? eccur repetitas, reddere detrectarent? cur Christi sui, cum quo nihil sibi sit, leges, id vetantes, opponerent? Non pecuniâ sibi voti summam impletum iri.* (nam eam, utì jussi fuerant, in delinimentum doloris, ac neophytarum lytrum, suprà, quàm exigi fas fuisset, *grandem* attulerant, & offerebant). *non hâc*, ajebat, *sibi, sed concubinîs, opus esse. Pacem, & Christum,*

ſtum, quorum cauſsâ veniſse ſe, dicerent, tantidem ſe facere, facturúmque perpetuîs poſt hæc annîs; quanti poſtulata ſua fecisſent ipſi, pacis hoſtilis, & Dei-cruciarii, præcones. Cúmque diceret hæc; ii, quibus id ille jam antea mandârat, & tunc, repetitô furoris impetu, differri vetabat, clavâ, ferreîs in capite tribulîs horridâ, *Montalváni* cerebrum confringunt.

VI. Idem autem & in capitibus agunt *Arandæ Vecchiiq́ue*, ſacerdotum: poſtquam eos, *palis* priùs, aut (quod quidam tradunt) *arborum truncis*, alligatos, velut in carnificinæ quoddam certamen, défixerunt; pectoribus illorum (tanquam, in equeſtris ludicri decurſu, ſcopi ſolent), ictibus lancearum tamdiu tranſverberatîs, donec ſævitiam laſſitudo ſatiaret.

Hæc, quæ dixi, quibus memoravi modîs, *Martinus* & *Horatius*, ceu Chriſto, (propter Sacerdotium, ejuſque doctrinæ promulgationem,) adjunctiores, paſſi ſuprà, quàm *Didacus*, ſunt: in ultionem maximè, non redditarum impuro thoro, neophytarum. In monimentis autem quibuſdam menologicîs, *manu* quidem adhuc, & nondum prælo, ſed recentî tamen candidâq; rerum memoriâ, conſcri-

Pro Caſtitate alienâ, mors propria.

scriptîs, invenio: *palis* omnes tres adstrictos; nullóque delectu, sarissîs immaniter, & sæpe, transfossos: Christi, sinè controversia, non *Testes* modò, sed & *imitatores*: dum, *cum eo*, propter eum, ID, QUOD NON RAPUERANT, TUNC EXSOLVEBANT. (2)

TESTIMONIA.

(1) *Petri de Victoria. lib. 14. cap. 2.* (2) *Psalmo, Christi passionem manifestè præcinente, 68.* Salvum me fac, *&c. versu 6.*

Cæteram historiam, sub diversis relationibus incedentem, si lubet ac vacat, apud P. Phil. Alegambe, (sed totam*) lege, in* Mortibus Illustribus: *videl: Parte 2. loco suo, annô, & mense. Concordiam narrationum faciet, diligens illius, & Menologiorum, (etiam hodiernorum, quæ cum prioribus Menologiis PALOS constanter retinent,) expensio.*

METRUM.

H*Orrida quà longos Antarctica* (1) Chila *Decembres,*
Atque, suô dignum nomine, (2) *frigus, alit;*
Pacem Elicuræis, *& Christi Sacra, daturi,*
Tres ibant, uno sub duce, Cantabridæ (3).

Rector

Rector ARANDA *viæ : comites, sociique laborum,*
Vecchius, &, *famulæ* Didacus *aptus opi.*
Ventum erat in septas Alpestri vertice valles;
Arganavamánus *cùm subitò hostis adest:*
Hostis atrox; sublimis equô; mediumque coronans,
Turma duplex equitum. Præcipitatur iter.
Nec tamen hi refugô quærunt tesqua avia cursu,
Intrepidos, *etiam tum*, bona causa facit.
Arganavamánus, prior hæc, jam proximus illis;
Reddite delicias, pestis Ibera, meas!
Reddite, quas, plagiô (4) abductas, magicisque lavacris
Excordes, nostrô ringor abesse thorô.
Noctibus hæ Nostris debentur; at ultima Vestris
Tartara. dulce *meum* Par *mihi redde, latro!*
Hæc, ore, atque oculis, in Arandam *versus.* Aranda
Huic contrà; Illicitum, dux generose, petis.
Numinis est, quod rêre Tuum. Jam rector Olympi,
(Tê major,) proprias quas sibi sanxit, habet.
Quæ Christi subiêre jugum; rupêre capistrum,
Seu Veneris, seu, (si pergis amare,) tuum.
Responsi est hæc summa mei! Sic fatus Aranda,
Conticuit. Sociis *dicere, sedit, idem.*
Sed nec idem, nec dici aliud vult utile, præceps
Arganavamáni, ac surdus amore, furor.
Continuò, extremôque sacri monitoris ab ore;
Nil tu hîc, inquit, agis: nil, tuus ille Tonans.
In lignum (ut vester Christus quondam) ibitis & vos:
Nos Longini (5) erimus; vos latera exserite.
Huc, hastata manus! (coit in mandata satelles)
Nectite mi palis hæc tria monstra tribus.
Tres aderant, seu signa viæ, seu terminus arvi,
Fortè sudes. Sudibus corpora nexa jugant.

Pro Castitate alienâ, mors propria.

Mox, ducis & vocem, & rabiem, atque exempla, secuti,
Pectora procursu terna feroce petunt.
Nec finis, quoad ultrò omnis lassata satiscat
Impia, barbaricâ lancea fixa manu.
Cum Sociis, generosam animam jam exsanguis Aranda
Expulerat cœlo; finierátque Diem:
Nondum omnem hi rabiem exspuerant; nondum omne sarissæ
Finierant punctum: Vespera, clausit opus.
Plausêre in Superis Socii: quòd Equiria (6) *necdum*
Clausa essent, post jam Præmia parta Tria.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Est enim regnum* Chile, *infrà Peruvium Americanum, adversùs Austrum; longè ad meridianam cœli plagam, & polum Antarcticum; infrà, non Æquatorem modò, sed etiam Tropicum Capricorni, intrà 30. & 40. gradum, circulum Antarcticum versùs ductos, potissimâ suî parte situm. Vide tabulam Orbis, apud Nicolaum Jan. Vischerum.* (2) Chili *namque,* Gelu, gelidúmve, *illi genti sonat: ut habes, Victoria citato suprà, lib. 14. cap. 2. init.* (3) *Societatis JESV homines; à suo Fundatore, & antesignano, S. Ignatio,* Cántabro, *πατρωνυμικῶς dicti,* Cantábridæ: *sicut, Teúcrida, arum, à Teucro.* (4) *Criminosô actu; quo, qui ad alterius*

terius dominium ſpectat, abducitur; emitur, inſciente, vel invitô ſaltem, dominô; retinetur, celatur. Iique homines, plagiarii *in Jure civili dicti, legis* Flaviæ *pœnis ſubjacent.* (5) *Militis* Longini, *qui Chriſti latus lanceâ aperuit, Joan. 19. poſteritas, & imitatores; in lateribus veſtris itidem perforandis. quam Crucifixi tragœdiam, etiam* Idololatræ *illi frequenter, & paſſim, ex Hiſpanis audiunt: ſed contemnunt, & irrident.*

(6) *Ludi equeſtres, & curules; olim in campo Martio.*

R 5 ANNUS

Pro Caſtitate alienâ, mors propria.

ANNUS M. DC. XIII.

ANNI M. DC. XIII.
Gestorum
SYNOPSIS.

I. CElebrioris in Europa famæ, *binas* hic Annus *nuptias* exhibuit: *alteras*, non ità multò post initium suî; sensim verò jam ad exitum vergens, *alteras*.

Priores, Friderici fuerunt, nominis istius Quinti, Palatini Comitis, & Electoris, cum Elisabeta, Jacobi, Magnæ Britanniæ regis, filiâ conjuncti, Londini, vicesimô quartô Februarii die. quæ, fastis Ecclesiasticis, in eum annum *Quinquagesimæ* Dominica-lux, & nempe tertius ante Cinerum cærimonias dies, erat; mediô Bacchanalium fervore.

Quòd autem quartô, nec eo plenè-dum exactô priùs mense, Cambro-Britanniæ princeps, *Henricus Stuartus*, sponsæ frater, decesserat, ut in loco diximus: *Jacobus* quidem rex pompam nuptialem, sôlô contentus incredi-
bilis

bilis magnitudinis adamante, quem in pileo ſupra frontem geſtabat, de cætero verò lugubribus amictus, & ad ipſam uſque criſtam atratus, frequentavit. Cæterorum autem, & inprimis neonymphorum, reginæque Britannorum Annæ; ſicut & Principis Walliæ, *Caroli*, ſubſequentiúmq; ſexûs utriuſq; comitum, è tela pretioſiſſimâ *candidus veſtitus* fulſit.

II. Emicuit tamen inter omnes *ſponſa* cultus; inter Carolum fratrem, & Northamtonium Comitem, incedentis; capitéq; *coronam* geſtantis *auream*, gemmîs & unionibus incomparabili modô collucentem. qui ſplendor, & manicarum erat, aurô, margaritîs, & adamante creberrimô, conſertarum: ut & tunicæ talaris, denſo coloris albi ſericô contextæ, phrygiâq; fili picturâ circumquaque variatæ; mirificô paſsim unionum interjectu ſpectantium oculos perſtringente. Denique, ne *ſyrmati* quidem, cæteræ veſtis dignitati reſpondens, ſuum deerat pretium, & fulgor: quod, à ſponſa retrò tractum, *quatuordecim* (unde *longitudinem* verriculi colligas) primariæ nobilitatis *matronæ*, pleræque regni-Comitum uxores, ſuſtentabant; ſubſequente *virginum* ejuſdem ordinis, loci, cultûſque, numeroſô chorô. (1)

III. Nu-

Anni Acta.

III. Nuptialis iste, quem diximus, *incessus* fuit. Cætera quoque pleraque, magis è ritu temporis, quod tunc gliscebat, quàm è memoria reguli defuncti, peracta sunt. Imò, dixisse Rex ferebatur; *Tantò se jam leniùs mortem primò sibi geniti ferre; quantò dolentiùs eam, recenti priùs funere, sensisset: quòd alium interea sibi filium, & hunc in tempore, Deus suffecisset, (siquid humanitus & Carolo forsan obtingeret,) successorem. Fridericum* nempe designans, generum socer; eorundem cum eo dogmatum sectator. Id utut est (quod tamen anni duodecimi gestorum compositores haud obscurè tradunt) (2); illud iidem clariùs aliquantò, distinctiúsq;, prodiderunt. Quemadmodum *Dotis* nomine, sponso Filia regis, Francicorum nummûm quadringenta millia jam tum repræsentârit; centum autem millia, pensiones in annuas perscripta, condixerit: ità Regem socerum, sicunde casibus ex humanis contingeret, generum suum illum, cum Elisabeta Stuartâ conjuge, superstitem esse, non sibi modò Regi, sed & filio regio, Carolo (tunc decennium ingresso) cauturum esse proventibus eorum, ac vitæ subsidiis. Ideóq; se, jam tunc in antecessum, sponso Friderico, pactô,

pactô, quô quid optimô, ſucceſſionis in jus perſcriptum aſſignatúmque velle, ſummatim denique *dotale* (3) *fieri*, Magnæ Britanniæ *trigeminum-Regnum*. (4) Unde perſpicias; quídnam ſpectantes, commodorum ſuorum providæ civitates quædam, ac populi, tam ſtudiosè poſt hæc *Fridericum* coluerint. Qualem nondum videbant; viſuros ſe, ſperabant: &, evecti regium in culmen, Palatini-Comitis gratiâ fruituros, ad *vela* votáque ſua.

IV. *Poſteriores*, ſed orthodoxorum gaudiô celebriores, *nuptias* Monachium ſpectavit, Boicarum urbium caput; undecimô Novembris Gregoriani die, miniſteriô pontificalî Principis Euſtadiani conjunctîs, in æde maxima Deiparæ, Duce Neoburgicô, Ducúmque Bavariæ filiâ. *Sponſus* erat, Sereniſſimus *VVolfgangus Gulielmus*, Philippi Ludovici filius, Comes Palatinus Rheni, Dux Juliaci, Cliviæ, Montium. cujus mater, *Anna*; Clivenſium ultimi Ducis, ſinè maſcula prole nuper extincti, ſoror. Sponſa, Sereniſſima *Magdalena*, Guilielmô V. Bavariæ Duce, Renatâque Lotharingicâ, nata; *Maximiliani*, qui deinde, poſt annos aliquot, imperii Romani *Septemvir* eſt factus, germana; bien-

niô pòst *mater* futura Serenissimi *Philippi Guilielmi.*

Cùm autem religionem orthodoxam *sponsus*, (cujus amplexum animô jam intus, & forìs cum paucissimis secretò, volvebat) impræsentiarum profiteri differret; & eâ caussâ, præsentibus tum maximè patre, matre, duobus fratribus, aliísque magnatibus acatholicîs, genio sese Protestantium, circa ritus sacros, attemperaret: observatum ab ipsísmet heterodoxis sollerter est (5), universô *psalmodiæ* tempore, quæ sub precibus vespertinis *Cantico* Deiparæ virginis, & Inaugurationi matrimonii, præmittebatur, *Magdalenam* neonympham, juxta Sponsum, statione contentum, immobilì genuum inflexione defixam, Deo supplicâsse: *volens utì, favénsque, cœptis adesset.* Et *adfuisse*; felix, sub hæc, utriusque rerum status, & heroicarum constantia virtutum, declaravêre.

V. Verùm cùm de Duce *VVolfgango VVilhelmo*, simus & alibi pleniùs quiddam dicturi; neque *Canisii* (qui *Canis* sectariis est) *symbolum* indelibatum transituri: nunc interim aliô passum promovemus Historiæ.

Pacem, Suecos inter, ac Danos, sensim ab exordio ferè gubernaculorum *Gustavi* tractari

ctari cœptam, (ut alibi præmisimus) sed subinde pòst, felicioribus plerumque *Danicis* successibus, interpolatam ; iste demum annus, lue, solitô graviore, castra præsertim *Cimbrorum* exhauriens, honestîs utrimque conditionibus expressit à regibus : & perfecit. Leges Pacis fuêre : Redderet *Danus*, erepta Carolo Sueco, regni propugnacula ; Calmariam, Helsburgum, & Oelandiam insulam. *Rex Suecus*, è diverso, *Norvvego-Lápponum*, ab aliquot annis usurpatô, dominatûs supremi titulô, semet abdicaret. impendiorum, in bellum id, cujus caussam injustam *Sueci* præbuissent, effusorum nomine, legéque restitutionis, per intervalla tolerabilia pénderet, *aureorum nummûm duodecies centena millia*. pignus interea plenæ solutionis, *Helsburgum*, in manibus ac possessione Danorum regis hæreret. Hæc, pacta sic, duravêre firma ; donec (ut *humana* sunt, *propter cupidinem amplioris potentiæ, quietis impatientia*,) posterioribus hîs bellorum recursibus, infirmari cœperunt : novô rege, novas armorum refodiente caussas. (6)

VI. Infeliciùs actum alibi cum *Polonis* est : quorum dum exercitûs-imperator, *Cotchievitius*, post amissa facilè biennî bellô *duodequin-*

Anni Acta.

dequinquaginta millia militum, premitur; & è Moscovia, prævalente sensim Michaële Fedrowizio, Russorúmque perfidiâ, tandem recedere penitùs cogitur: *Tartari*, finibus ejus regni viciniores, numerô vicies mille, *Podoliam* interim, Poloniæ regionem, irrumpunt. Ea, Lithuaniam inter, Euxinúmque Pontum, sita, partim Orientem, & magìs Austri plagas, respicit. Ejus, illi barbari, pleræque terræ vastatores, sexaginta statim pagos, urbésque duas, incendiô delent. mortalium ibi, quidquid reperiunt, neci dant. solum omne, duorum in longitudinem milliarium spatiô, peremptorum cadaveribus, studiosè dispersîs, consternunt: ingentíq; prædâ graves, nullo tunc vindice, revertuntur illuc, unde proruperant. Id illi, conductíne Polonorum ab hostibus, an suâpte potiùs impulsi *ferociâ* (quæ, *truculentas apud gentes*, *ipsa sibi furoris dux est*) ausi sint: parùm comperi. Malitiæ quidem certè pretium, si non acceperant, ipsi sibi fecerunt; &, ex alieno raptum, in manibus habebant. (7)

VII. Neque tamen suus è contrario, vel *Moscis* defuit, vel *Tartaris*, Moscorum fautoribus, castigator *Cosaccus*. Is primùm, magnâ

gnâ ſuorum manu (quam ad *undecim millia* nonnemo perducit) in interiorem uſque Moſcoviam, è Lithuania priùs afflictâ direptâque, penetrans; magnâ potitur auri, cæteræque rerum copiæ, quam Ruſſi Polonis extorſerant, prædâ. Poſt hæc, in Tartaros quoque, ſpoliîs opulentos, rectà pergens; ingentibus eos cladibus afficit, & rapinîs exhaurit: in *Turcam* itidem paullò pòſt, quod in loco referam, moturus. (8) Quo tempore, ſuáſmet ut opes defendat ab audacia *Coſaccorum*, intentum animum gerere *Sultanus Achmetes* cogetur: qui nunc alienis ordinandis curîs diſtenditur. Illius enim auſpiciis & mandatô, Sándaris autem Baſsæ miniſteriô, *Bethlenius* ille, de quo dictum in ſuperioribus eſt, *Gabor*, in Transſylvaniam, ut fiduciarius Otomannicæ domûs tetrarches, introducitur; &, fruſtra reclamante Matthiâ Cæſare, principẽ agere jubetur: nullô jam eum æmulo turbante ſuperioris aut æqualis potentiæ; poſtquam, qui priùs Daciam inſederat, Gabriel Bathor, armis primò Gaborianîs in fugam actus, adultô dein autumnô, vitæ ſcelerúmque menſuram implevit. Id inferiùs, & aliquantò pleniùs, exponemus.

Anni Acta.

VIII. *Transsylvaniæ* porrò turbamentis, dum alienum sibi jus in eam contra Cæsaris voluntatem usurpat, haud contentus Achmetes; ad Insulæ quoque *Mélitês* occupationem adjicit animum: maximîs, ad eam quàm primùm exsequendam, classiariorum copiîs contractîs. (9) Præter *classem* autem illam, cujus apparatus, & destinatio, (felicitate Melitensium, ac Persâ quoque, rem disturbante,) successum non invenerunt; *aliam* præterea, triremium *septuaginta* duarum, Constantinopolî, diversas in oras & littora spargendarum, extrusit. quarum navium, armîs & multitudine pugnatorum instructissimæ, *decem* paullò pòst in manus ac potestatem præfecti classis *Siciliensis*; aliæ verò subinde, *Florentinorum* in triremes, ac myoparones, incidêre; præda factæ. (10) Solitaria quoque navis alia, sed prægrandis, & virorum armorúmque plenissima, Turcicum vehens legatum ad Africanos regulos, ac prætores; *classicum* erat, in omnes ubique terrarum Christianos, cantura: cum minis, validissimæ classis, adversùs eosdem, undique contrahendæ, propediémque deducendæ. Sed hæc omnia *Sultani* consilia, facinus audax, & felix, unius in nave mancipii, dissi-

dissipavit: ut in loco reddam. Potentiùs autem, tyranni cogitationes disjecerunt; ab Ortu quidem Solis, Persarum rex: ab Occasu verò, Magnus Hetruriæ dux, suis auspiciis, ac suorum maritimâ fortitudine, Turcis calamitosi.

IX. *Prior* quidem horum, & ipse per se, *Scha-abas*, & per suum in castris prætorem, *Arcommâtum*, infestior quotidie *cærulea-vittæ*-factioni: neque satis habens, hôc ipso, quem digerimus, annô (11), *Sultani prolegatum*, qui superioris anni pacificatori turpi comes Byzantiô venerat, malè mulctare; dum ei, qui *Chiausius* erat, præcidi manus ambas, & oculos exsculpi mandavit, quò manifestiùs, dissutum omne fœdus esse, testaretur: Iis, inquam, odii resumpti pignoribus haud contentus *Parthus*; maximis insuper & *Turcas*, & eorum auxiliares *Tartaros*, cladibus perculit: urbes multas manu cepit: imperii sui fines quàm plurimùm extendit. (12)

X. At, ab Italia navigantes mari mediterraneô, triremes *Hetrusca*; cùm, Asiæ Minoris (quæ *Natolia* nunc est) littoribus perstrictis, etiam in continentem identidem infestis armis impetum facerent; terras, *Achmeti*

Anni Acta.

tis subjectas, populabantur: prædas ingentes agebant; oppida quædam, vi capta, ferrô, direptionibúsque, vastabant: &, ad classem suam crebrò recurrentes, tam spoliîs eam ditabant, quàm hostium oppressîs triremibus, & onerariîs, augebant. (13)

XI. Cæterùm, quâ *Florentini* prosperitate successuum *foris* ex *alieno* gaudebant; eâ *Genuatibus*, è diverso, ne *domi* quidem, & è *proprio* partâ, frui concessum fuit, invidiâ maris ac ventorum.

Imminet à Septentrionibus Ligustico mari *Genua*; portu stationéque navium capacissimâ prætenta. Dies inciderat *Novembris* decimus; & in eum, è mari, nec opinatò, nec antehac facilè solitâ truculentiâ, surgens, immani cum vento, *tempestas*, tonitruîs, fulgétris, ignibúsque sparsîs, omnia circumquaque miscebat. Procellarum fluctuúmque, præcipuus fuit, ac, biduô solidô fervens, diurnus nocturnúsque furor; quo *sexaginta*, triremes partim, & magnam partem onustæ mercibus, partim actuariæ, portu navalibúsque suîs emotæ, *viginti* nominatim; ipsæque juxtà, viríque, deportatæque recèns peregrinæ merces, comminutæ sunt. cæteræ, passim affli-

afflictæ. Multæ, vì contumacis Africi, non in littus tantùm, & continentem, expulsæ; sed saxis etiam, ac mœnibus, illisæ; rapuêre pariter introrsum murorum partem: &, siccâ juxtà, marinâque ruinâ, domicilia vicina, tabernásque mercatorias, obruêre. Turbinis quoque vehementia, Septentrionis à latere contorti, mare versùs euntem civium, aliorúmque mortalium, turbam memorabilem, correptam & involutam, fluctibus exadversùm implicuit: ac portum, & alia littoralium operum, fœdè laceravit. Ad summam! Ità tunc, unius intervallô *bidui*, maris & ventorum iracundia *Genuam*, (etsi pelagô pæne natam, educatámque,) tractavit; ut hæc illius non tam *filia* videri, quàm *privigna*, potuerit; *dote* non modò nihilô tunc auctior effecta; sed insuper, *plusquam octingentorum millium coronatorum* dispendiô (sine quêis, convulsa destructáque refici nequivêre) multata.

Nec defuêre, quæ cladem deprecarentur, privatæ saltem, bonorum preces. sed, *in ventum* effundebantur; & hunc quidem, implacabilem, eousque: donec, supplicante tandem omnî civium, & ordinum omnium in muros, adhuc firmos, progressu; *Sanctissimi Præcur-*

S 3 *soris-*

Anni Acta.

Juris-dominii reliquiæ, furori maris ac ventorum opponi cœptæ, compescuêre sensim procellas, & mitigavêre tempestatem: solô, (quod quidam ajunt,) adhuc *æquore* tardiùs obsecundante. Sed, quonam tantô lucrô jam hoc ipsum elementum *æque* profuturum *Genuatibus* fuerat; etiamsi celeriùs obedîsset; postquam *Genuæ* marginem tam perniciosè diluerat; ac navium divitias, & hiantes institorum spes, profundo suffocârat? (†4)

XII. Quocirca, pretiosiores nullæ sunt *triremium* opes, ac *merces*; quàm, quæ per eas vel acquiruntur, vel transportantur, *Animæ*, Christi sanguine redemptæ: nexibúsque, seu *catenarum*, seu *flagitiorum*, aut *utrorumque* simùl, exsolutæ; vindicantur in *libertatem*. Hæc, (si modò mercator ipse, navarchúsque, non ultrò malit effundere) nunquam perire lucra possunt: quippe, quorum sors & usura repositæ *cœlô* sedent; quò tempestates, & naufragia, non ascendunt. Quô negotiationis in genere, felix hôc eodem annô thalassarchus fuit, *Arragonius*; re, quemadmodum nunc exponam, terrâ marique gestâ.

Cùm enim ex illo, cujus paullò superiùs memini, *septuaginta duarum triremium* numero,

ro, quas è portu Constantinopoleos Achmetes Sultanus emiserat; ab cæteris sexaginta duabus abruptæ *decem*, mediô maritimi cursûs deflexissent; ac deinceps, tale nihil exspectantes, in *decem alias*, ex adverso, déque composito, venientes, *Christianorum* triremes incidissent, sub auspiciis Philippi tertii, regis Hispaniarum, *Arragoniô*, trierarchô Siculi maris, volitantes: AD ARMA statim utrimque conclamatur, & ruitur: animosiùs autem ab iis, quorum caussa religióque melior erat. Dimidiæ, non plus, horæ dimicatio fuit: cùm *tres* hostiles in fugam aguntur; *septem* longæ naves in potestatem nostrorum veniunt. Bassæ Turcici tres, Basísque censu par, prætor Cyprius, Halyis purpurati filius, Græciæque supremus militiæ ductor, omnes oppidò vulneribus debilitati, capiuntur. cùm iisdem, & Turcæ, privatæ sortis, trecenti. Cæterorum omnis, eáque grandis, multitudo, ferrô, marî, glandium jactibus, interempta. mancipiorum verò Christianorum, mille, catenîs transtrorum exsoluta. præda, super hæc, opulens, & digna labore certaminis, occupata. Nostrorum, non nisi *triginta*, de classiariis, interitu, repensa barbarorum ea clades est.

XIII. Merebatur ista victoria, quam Sicilia DEO, *triumphatori* Turcarum, *liberatori* captivorum, *servatori* cultorum suorum, supplicatione Regni publicâ gratularetur. Eam *Panormus*, urbs prætoriæ sedis, ac tribunalis, produxit, per platearum præcipuas, in principem civitatis basilicam; hôc ordine.

Prælatam, in Cruce pendentis, *Redemptoris* effigiem, & lábara, proximi sequebantur, qui Religiosîs institutîs, quíque Sacerdotiô templorum urbis, & magistratu curiâque, præfulgebant. Post hos, Panormitana, cæteráque Sicula, nobilitas. Hujus à tergo, serie visendâ, piéque lætâ, *captivi nuper, tunc liberi*, procedebant; suam singuli frondem oleáginam dextrâ præferentes, *Christiani*. Sub hos, è diverso, *nuper liberi, tunc in catenis*, & dejectâ fronte, militare vulgus hostium omne; quatuórque, quos dixi, satrapæ, *Turcarum*: omnes cum suis in capite gentilitiis tiaris. Deinde, victor horum, *Arragonianus* omnis exercitus: agmen universum, & pompam, utriusq; sexûs populi multitudine claudente. Tenuítque *triduum*, variô ludorum, & religiosæ lætitiæ, genere distincta, sonoráque, triumphi sollemnitas; ac vesperæ noctés-

ctésque, nullâ parſimoniâ ſparsis in ſublime miſſilibus ignibus, illuſtratæ.

Cæterùm, plauſum illum univerſum coronavit, *Panormitanorum* inprimis, in manumiſsos è captivitate remiges, humanitas; in ſingulos eorum, patrium ſuum ſolum, diversâ viarum longitudine, repetentium, ſufficientî *viaticô* liberalis. Deinde, Turcarum Imperatoris, auditâ navium ſuarum iſtâ clade, diversè volutus, ac revolutus, animus.

Et ad primum quidem infelicitatis nuntium, ſtupore mutô defixus, & ſiderato ſimilis: pòſt autem, irâ fremens; & omnî claſſium novarum apparatu, vindictam ſpirans, ac mandans. Ad extremum verò, per caduceatorem *Proregi Siciliæ*, totidem, quot nuper amiſiſset, aliorum captivorum numerum, Chriſtiani cultûs, offerens; pactione *trium*, è ſeptem, ab Arragonio ſibi detractis, triremium reddendarum. Id, quod & impetravit à pio principe; majus juſtiúsque concipiente gaudium, è duobus *Animarum*, intrà tam modicum tempus receptarum, millibus: quàm, è trium longarum navium lignis, velis, ac remigante turbâ.

Quod operæ pretium, utinam perinde

Anni Acta.

fecisset *Arragonius*, in pactione lytri, cum Halyis Bassæ captivo filio; quem separatim inferiùs relibabo. Cùm enim præclarè rem omnem *maritimam* Heros hic administrâsset; *in continenti* demum, non sui modò certioris lucri, sed & Terentiani veteris oblitus est verbi; NE QUID NIMIS! (15).

XIV. Quantumvis autem hôc inopinô rerum eventu felices visi sint, quos *alienum* beneficium vinculis exemit: multò certè felicior esse viderique debuit is, quem, alio nullo movente manum, aut patronam commodante facundiam, *suamet* unius *Innocentia* liberavit.

Sigismundus is fuit, *Bathorius*, Turcarum olim, in exarchatu Transsylvanico, terror: sub Rudolpho verò Cæsare, clandestinarum cum Achmete machinationum falsò subinde suspectus, & postulatus. tum, aliquot abhinc annorum arctâ Pragæ (velut in loco dixi) circumseptus custodiâ: sed novissimè, deprehensâ criminationum vanitate, judiciô *Matthia Cæsaris* insons renuntiatus, vel hôc ipso; quòd reperiri nequiret, qui coargueret. Tanti refert! accuratæ cognitionis lumen carceribus inferri: reorúmque caussas, non *præjudicari*, sed *discerni*. Sustu-

Sustulit autem hunc, anni præsentis vicesimus septimus Martii dies, sideratione repentinâ: fatalem respirationis interclusionem maturante (sicut ego reor) etiam ipsâ, post longam desuetudinem, aëris liberioris recuperatâ facultate. (16) Sed, quantô nihilominùs meliore *Sigismundus* hic Bathor, quàm hôc eodem annô *Gabriel*, ei cognominis, spe mortalitatem explevit? ut infrà dicam.

XV. Intereà mihi, quasi per saturam, & congerie quadam rerum indispositâ, memoranda veniunt; immò verò potiùs suspensîs quodammodo vestigiîs strictim ac celeriter percurrenda, præsentis anni *mala*, vel malorum muta præsagia, semet intrudunt.

Ratisbonam, quò Matthias Imperator imperii comitia, nuper indicta, collegerat, pestilentia vastabat atrox: intemperiem aëris, etiam mortalium, omnis generis & halitûs, colluvie spissante. Super hæc, in *Canaddam*, Gallorum ad septentrionem-Americanum insulam, *Novam Franciam* ipsis dictam, excurrentes navibus suis è Virginia sua Britannici piratæ; Francicas onerarias deprædantur: casas, & à Gallis excitatas ædes, incendunt: Sacerdotes religiosos, barbarorum illic instructioni

ctioni sacræ, quà *signis & virtutibus* (17), quà concionibus & catechesibus, *operam dantes*, proturbant: coloniam, & incolas insulæ, dispergunt.

XVI. *Cretam* insulam, tunc adhuc Venetis regnatam, *terræ motus* ingens quassat; cum multorum (tum quidem) & hominum, & ædificiorum, oppressione: futuram autem in ætatem, citra dubium minitando, vitiosorum incolarum, cum inquilinis longè scelestioribus, commutationem.

Cœlum quoque, diversîs in tractibus, per hiatus, & (quæ meteorólogi vocant) *chasmata*, pérque sanguinei coloris nubes, ac sidera, conceptas à fatorum destinatione clades loquebatur. *Oceanus* Britannicus, aliquot Sinuum eruptionibus, multos mortales, cum gregibus & armentis, hausit. Nec dissimiles maris eluviones, à tempestatibus concitatæ, Bataviæ, Zeelandiæque naves, magnô passim numerô, confregerunt: halécum piscatui cladem, aliis antehac annis insuetam, invexerunt; aquîs obrutorum incolarum cadaveribus, plusquam mille, littorales oras operuêre. (18) *Lutetiam Parisiorum* Séquana, *Vinariam* Thuringorum Ilmus, *Austriam* Danubius,

bius, insolitis exundationibus afflixêre. *Berlinum* Brandeburgicum, *Tripolis* Bohemica, *Magdeburgum* Saxonicum, aliáque, magìs ad Aquilonem sita loca, tonitruîs, fulminibus, grandinéque monstrosâ mistîs tempestatibus, perculsa sunt: horrore mortalium corda, strage verò fruges, insolenter verberante.

XVII. Sed omnium elementorum hôc annô furiosissimè sæviit (immò verò prælusit imperiorum incendiis) *ignis*. Clementiùs cum solis tunc actum est *Magdeburgensibus*: quorum domicilia *trecenta* duntaxat, & *viginti*, deflagrârunt: differente fortunâ cæteram urbem, in anni, post hæc, decimi noni (qui Sæculi nostratis tricesimus primus erit) plenum bustum. Aliis cum urbibus actum asperiùs. *Constantinopolis* enim in flamma reliquit, & cinere, *mille* domos. *Osnaburgum* Westphaliæ, *nongentas*, *viginti quatuor*. (19) Clades ac dispendium incendii, quod *Viennam* carpsit, triginta millibus aureorum Germanici valoris æstimatum est: tantúmque saltem flammarum erat, ut scurra quidam, per ludibrium & calumniam, effutiret; Ad eas assari *botulum* illum potuisse, qui *Vienna*, (nescio, quod in bacchánal,) hôc annô fartus à laniis sit,

sit, *nongentorum nonaginta novem* longitudine *cubitorum*: (20) sic videlicet, per absentiam Principis, lasciviente malè-feriatâ sorde plebis; dum *Cæsar* interim, procùl domo, comitiorum gravissimas inter curas sudat.

At *Gnesna*, majoris Poloniæ nobilis, ac facilè princeps, civitas, Primatísque sacrorum sedes; nefariô seditiosorum, éque Russia nuper profugorum, militum furore, subjectis Aprili mense facibus, in cineres, tota-quanta, desedit. (21)

Inter tot autem *serios* ac *luctuosos* ignes; advenientis cujusdam, è Lusiniæ regnis, heroinæ, *congruis honoribus* ac *delinimentis*, ab urbe *Frangiovallensium*, INFLAMMATA TROJA *ludebatur*. omine (sicuti quibusdam videbatur), lævùm prægnante. (22)

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Slejd. Redivivus, lib. 18. pag. 1291. utráque col. & pag. 1292. col. 1.* (2) *Idem lib. 17. pag. 1272. col. 1. post princip.* (3) *Sic Virgil. lib. 9. Æneid.* — Non hæc *dotalis* regia Amatæ *&c. i. e. arx regia, aut etiam ipsum regnum Latinæ gentis; quod Amáta socrus, genero suo Turno*

Turno destinat, in dotis loco dare; cum filia sua Laviniâ. (4) *Slejd. Continuator lib. 18. pag. 1289. col. 2. fin.* (5) *Idem lib. 18. pag. 1340. col. 2. post princip.* (6) *De hac Pace coalita, ejúsq; conditionibus, scribit etiam Danicus Cluver: in annum 1613. pag. 770. editionis 4. col. 2. & Contin. Slejd. lib. 18. pag. 1297. col. 2. & Appamianus, in hunc annum, num. 3.* (7) *Mercurii Continuator separatus, in 8. pag. 310. & Slejd. redivivus lib. 18. pag. 1336. col. 1. ante fin.* (8) *Appamianus, in hunc annum, num. 7. qui eodem ipso numero præmittit; Lithuaniam à Michaële quoque Fedrovvizio Mosco (Smolenski utique caussâ) incursatam fuisse. Quæ fortasse Cosaccis occasio stimulúsque fuit; ut in eandem regionem & ipsi irrumperent, Fedrovvizii ejiciendi caussâ; ejúsq; indè, in intima usque Moscoviæ, persequendi.* (9) *Appamian. in hunc annum, num. 5.* (10) *De his 72. navibus, déque 10. earum ab Admiralio regis Hispaniarum, Arragoniô, superatis, vide Slejd. redivivum, lib. 18. pag. 1323. col. 2. fin. De Florentinis verò navibus, Appamianum; hôc annô, num. 6.* (11) *Slejd. redivivus, lib. 18. pag. 1299. col. 1. à med.* (12) *Appamian. in hunc annum, num. 5.* (13) *Idem ibid. num. 6.* (14) *Vide Contin. Slejd. lib.*

Anni Acta.

lib.18. pag. 1341. & Continuatorem Mercurii separatum, pag. 327. (15) *Hæc exactè narrantur à Slejd. redivivo, lib.18. pag. 1323. & pag. 1324. Refert & Contin. Mercurii separatus, pag. 304. & pag. 305.* (16) *Idem Contin. separatus, pag. 191.* (17) *Hæc* formalia *verba sunt Appamiani, in annum 1613. de Patrib. Societ. num. 8.* (18) *Contin. Slejd. lib. 18. pag. 1341. col. 2. med.* (19) *Mercurii Contin. separatus, pag. 203.* (20) *Idem, pag. 171.* (21) *De plenissima exustione* Gnesnæ, *lege & Abrahamum Saurium, in Urbibus, titulo* Gnesna : *ubi & de S. Adelberti Martyris & Archiepiscopi reliquiis, & templo, ac loco cædis ejus, agit. De seditiosis verò militibus Polonicis, narrat etiam Slejd. redivivus, lib. 18.* *Eorum* tres *fuêre* factiones, *separatis inter sese factionum nominibus distincta : ut alii se dicerent,* Sapianos : *alii* Sbarovianos ; *tertii denique generis,* Smolenskianos : *homines, ob stipendia (ut ajebant) non soluta,* male-contenti. (22) *Separatus Mercur. pag. 234.*

METRUM.

Tertius à Decimo, rutilæ nigra nubila luci,
Pacem armis, Annus miscet, & æqua malis.
In Fridericæos it Elisa Britannica nexus:
In Neopyrgæum Magdala Boja thorum.

Cimbra

Septennium II. Annus 1613.

Cimbra Gotho dat dextra oleam; sed, peste sequestrâ:
At Moscô pulsus Sarmata Marte, fugit.
Tartaricis squalet fœdata Podolia flammis:
Furta, Cosaccæô Tartarus ense luit:
Dúmq; Smolenskæas firmat Fedrowizius *arces,*
Raptoris populat prædo Cosaccus *opes.*
Turca vago Sandar Gábori dat sceptra-clientis
Dacica, Battoreæ fraude vaciva necis.
Classe, minisq; novis, Achmetes *territat orbem:*
Objicit at priscam hujc mundus uterq; manum.
Nam Classi, Hesperiis vis Tusca triremibus obstat:
Eoas frangit Persis eôa Minas;
Dum cunctam hinc Schaabas *Asiam face, cæde, rapinis;*
Indè, Arcommátus *sub juga prætor, agit.*
Insuper & terræ pelagique Natolica *pugnis*
Littora, motu agitat classis Hetrusca novô:
Tecta cremat, captásque Urbes evastat; &, auri
Mole saburratô, læta parone redit.
At naves Ligurum, & merces, Thetis obruit, ipsos
Ad Genuæ patrios, (sæva noverca), Sinus.
Sed Siculus, meliore secans freta numine, ductor,
Æquoreô Odrysias Marte triumphat opes.
Tres fugat, & septem invictô domat ense, triremes:
Mille catenatos eximit ære viros.
Vincla thalassarchis contrà, Thressæq; juventæ,
Injicit. Obstantes, sica, fretúmque, vorant.
Dacorum veterem, Bathoræâ è stirpe, tetrarcham,
Quem caussa absolvit, funebris hora citat.
Densa Ratisponam Procerumq;, & Cæsaris, implet
Curia: sed raram, *trux Libitina facit.*
Cætera turmatim, nullô juvat ordine, gesta
Pandere. Quis, seriem cogat inesse Malis?

T Fran-

Anni Acta.

Franca, Canaddæis operosa in gentibus, arva,
Sunt Anglo spolium; templa, larésque, cinis.
Terra movet Gnossum; Creténque timere futura
(O, sit & hic mendax!) pessima quæq; jubet.
Lurida monstriferis horrescunt nubila formis;
Fatidicisque rubent sidera picta notis.
Navibus, Oceanus; stragem dant urbibus, amnes;
Sequanicis stagnant Celtica rura vadis.
Arva Thuringorum vinaria, diluit Ilmus;
Ac latè segetes, tecta, gregésque, rapit.
Praga *Bohemorum,* Berlini *Wandalis ora,*
Ac, sublúta Albi, mœnia Parthenopês,
Fulmineos inter jactus, sub grandinis altâ
Mole, gemunt. Anni vota, labórq;, jacent.
Fortuitus *vastat* Byzantion, *atq;* Viennam,
Et Pontem *Osnæum,* Partheniámque Polin;
At, face suppositus studiosâ, Mulciber, *omnem,*
E *Gnesnæ, fabricam* Lechida, (1) *busta facit.*
Hæc inter, Trojam simulatis ludere flammis
Gestit Elisanglo Frangiovalla *thoro.*
Desinat, ah! ludósque suos Præludia *credat*
Arsuri verìs *ignibus Imperii.*

NOTA.

(1) *Conditor enim* Gnesnæ, *Lechus fuit; qui idem, & Polonicæ gentis: ut alibi dixi. Porrò,* Lechi *primam syllabam, & corripi, &, in patronymicis maximè, produci; compluribus è Sarbievio testimoniis adstruxi, in Notis ad annum 1612.*

APO-

Septennium II. Annus 1613.

APOCOMMA I.

Turcis, à Cosaccis illata clades, in aqua, per ignem.

I. BOrealium quarundam gentium, in contemptu minarum hostilium, explodendi modus sarcasticus est, ut dicant; *I sanè, minitare! non combures tu piscinarum mearum ullam.* Ea tamen securitatis suæ nimia fiducia, quosdam subinde gloriosos in fraudem induxit. in his, & potentissimum Orientis tyrannum: gentium orbis plerarumque derisorem; Cosaccorum autem, ceu *Poloniæ* (quemadmodum existimârat) *amurcæ*, sannionem.

II. Ecce namq; ! conglobârant se (quod suprà memoravi) Cosaccæorum *undecim* ferè *millia*, seu militum, seu militari specie prædonum. Hi, post Lithuaniam priùs, indè Moscoviam intimam, postmodóq; Tartariam quoque Przecopensem, depopulationibus erasas; hôc eodem tandem annô, viciniâ locorum invitati, Mæotide palude, Tauricâque Chersonesô, prætermissis, meridiem versùs, ad Euxinum Pontum excucurrerunt. Id, notissimum antiquis, & Nasonianis quoque li-

Cosacci, Turcis perniciosi.

bris exilióque celebratum, mare, Græci recentiores, ab Africani coloris imitatione fuscâ, *Maurothalassam*; interpretes autem Romani, *Mare Nigrum*, appellant.

In hujus igitur portum quempiam irrumpentes *Cosacci*, pérque taciturnæ noctis opportunitatem, illusori *Turca* nocendi locum nacti; *viginti quatuor*, inventas illic, &, in Christianorum utique perniciem, rebus omnibus instructas, *triremes* incenderunt. Hi porrò, sparsîs interea longè latéque flammîs, longiùs verò latiúsque, splendore; recesserunt, exultantes inter sese: simùl autem, *majestati* Sultanicæ Domûs insultantes; quòd, inflammatô pelagô, Turcis tam lucrosô, Tyrannum eorum, non, ut *Maris ac Terræ dominum*, sed infra vilissimos quosque *piscinarios*, tractâssent.

METRUM.

Grandis, ad Euxini scopulosas æquoris oras,
Classis, & armatis, stabat, onusta Scythis.
Bis duodena, irásque vehens, fulménque, triéris,
Hostica laxabant hospite *bella* morâ.
Vidit: &, O, inquit, mê felix hoste! *Cosaccus:*
Mutabis nomen, Ponte nigelle, tuum.

Nox

Nox erat; ac tetricis athérque fretúmque tenebris,
Littoráque, horrebant. apta erat hora dolo.
Ecce, silente Cosaccus adest, per caeca, parone,
Avia pirates; tela, facésque vibrans.
Continuò, per transtra volat, per carbasa, flamma
Multifida: ac malos ignea pestis edit.
In mediis natat ardor aquis; numerosáque vastò
Navigat Ætna salô; Trojáq, Pontus erat.
Tot fluidas rapit aura simul, rapit ipse triremes
Mulciber, Æoliâ flabra juvante tubâ.
Cyaneas, credas, aut Cycladas, ire, vagantes:
Innumerô lucent nox, pelagúsque, rogô:
Æmuláque empyriis scintillant aequora lychnis:
Insuetôque rubent Arctica signa die.
Insultat, victore sequens incendia risu,
Ustor: & hostili ludit in exitio;
I nunc, Turce (inquit), Pontique stativa require:
Euxinique *sinus* hospita *castra puta.*
I, rudis: ac, mediâ tam claras *undique nocte,*
Mauro-thalassam *undas,* & Freta-nigra, *voca.*
I; aliô, pro lance tuâ, jace rete Profundô:
Hanc tibi Piscinam *fecimus, ecce,* Pyram!

APOCOMMA II.

Gabrielis Bathorii tyrannica sævities: & inopinus interitus.

I. VIdetur quidem, & verò, fertur etiam à scriptore Sirácidâ (1), *via scelestorum, complanata lapidibus, & unicuique pec-* T 3 *canti*

Cosacci, Turcis perniciosi.

santi recta (2) ; vulgíque judiciô, constrata rosîs. Sed, inter hæc, si progressum eorum ad liquidum videamus, & viæ metam attendere curemus ; calles, homines impii, *difficiles*, & asperos, flexuosósque, terunt (3) : & *in circuitu*, tanquam Labyrinthæîs ambagibus, *ambulant* (4) ; in quibus, velut in illa Cretæâ Dædali structurâ, post infinitos pedum errores, & lassitudinem collectam, quid (amabò) quid inveniunt aliud, quàm innumerabiles multarum myriadum nidos *vespertilionum*, in cæcis fornicibus, & plusquam Cimmeriâ nocte caliginosîs hypogæîs, circumvolantium, stridentium, sibilantium ; &, ad illatæ facis conspectum, lucis odium conjuratîs furiîs profitentium ? (5) In summam! *habitationem* reperiunt *dæmoniorum*, *& omnis volucris immunda*, Babylonicam ; (6) *& in novissimis illorum*, *Inferos*, *ac tenebras*, *& pœnas*. (7)

II. Incidit in has diras tandem, & infelix ille *Bathorius* ; indignus Archangeli *Gabrielis* nomine, Daciæ tyrannus : pròh, quàm diversus prioribus illis à Bathoriis, Andreâ, Stephanô, Sigismundô ? postquam (ut dictum in superioribus est), ab *Ecclesia* vetere transgres

gressus, ad eam, quæ se *Reformatam* nominat, synagogam; seipsum pariter, & natales suos, impietate plusquam atheâ, moribúsque teterrimîs, *deformavit*: ac, Juvenis quidem adhuc (8) recénsque, veteres illos senésque Siciliæ tyrannos, Dionysium majorem, Phalarínque, tyrannus ipse Ciculorum, & reliquæ Daciæ, facilè, (tam brevî licèt dominatu) superavit.

III. Invaserat Gabriel, Rudolphianorum temporum seditionibus ac turbîs audax, imperio cæteroqui Romano jam olim obnoxiam, Transsylvanorum maximam, & naturæ dotibus beatiorem, terram; cujus bonis, nec adjuncta montosior illa, Wallachiam versùs, solitudo, nec Moldaviæ planioris vicinia, certaret. Libet, eam (quoniam, in Opere Septenniorum Primo, sicciores in ea describendâ fuisse, videri poteramus) hîc aliquantò curatiùs regustare; quáq; fas, in illâ diffundi. Nihil (ut in ea propinquitate Scythiarum, ac Septentrionis,) illâ glebâ feracius; nihil montibus opulentius, pecoribus opimius, sylvîs in venationes fœcundius. Agrum quidem certè, frugum esse fertilissimum, non solùm pingues, & bene pasto ventre, cùm ad nos veniunt, Transsylvani testantur; sed etiam laus,

Gabriel Bathorius.

à Trajano, domitore gentis, in vetere nummo, Daciæ tributa; duabus his vocibus, tabellæ Cereris-stantis insculptis, ABUNDANTIA DACIÆ (9). Sunt & ejusdem ubertatis argumenta, quæ nascuntur illic, vina generosissima; pro locorum, in quibus proveniunt, diversitate, diversè nominata. tum & hortorum gratissimi saporis fructus; & Cydonia mala; pruna, Damascenis non cedentia; cerasa mellita; melo-pépones, electissimæ (nisi per ingluviem his abutâre) bonitatis. herbæ præterea, germináque, raræ præstantiæ: quorum non infima sunt, in coquinas, crocus; in tabernas medicas, rhabarbarum Ponticum. In montibus, præter argentarias, ærarias, ferrarias, & chalybis, sulphuris, antimonii, largas venas; sal etiam copiosissimus, & finitimis quoque populis suffecturus, effoditur. quin & *aurum*, locô plusquam uno: nec id, ut alibi vulgò, scoriâ, terrâ, sordibúsque multîs, adulteratum, aut exiguas per minutias, & scobem, ac ramenta: sed *auri*, (quod omnes agnoscere coguntur,) *incorruptissimi*, solidæ glebæ, ligonibus eruuntur; vix ullo laboriosæ repurgationis negotiô præviô, confestim utibiles.

IV. Cùm

IV. Cùm autem illius terræ ſolum, quà præſertim in planiora panditur, præquam herboſum ſit; ideóque pecori bonum: equorum ibi præſignium, ac nitidiſſimorum, armenta numeroſa, frequentiáque pecuaria ſunt. Boum autem copia, tam immenſa; propemodum ut ſupra fidem, nec tamen extra verum, ſit: *boves* ibi *ſingulos*, etſi præſtantis magnitudinis & adipis, Germanicis (ut & alibi dico) *florenis ſingulis*, & ut ità loquar, viritim, commutari. quò proinde pateat, haud nequicquam, nec Teutonicos *laniones*, ad pecorum mercatum aſſiduò deorſum commeantes, à Pannonibus & Dacis abhorrere: nec *Turcia* monarchas, ab affectanda regionum illarum poſſeſſione ſibi poſſe temperare. Sunt enim utrique naturâ, profeſſionéve, *lucrípetæ*.

Cæterùm, ne ſylvis quidem admiſſuræ ſuæ, fœturæque mirandæ, deſunt, tam humì, quàm in ſublimi. Vagantur, per avia nemorum, & ſaltuoſa montium, alces, uri, bubali, lynces, & cervi ſtupendæ proceritatis: animantes, jam olim Hercyniæ ſylvæ (cujus adhuc pars apud geographos exſpatiatur, ad uſque Transſylvaniam,) alumnæ. quibus illic tamen acceſſerunt, & hodie viſuntur, *jubati*

T 5 quoque

Gabriel Bathorius.

quoque *tauri*; cúmque juba, terram quoque verrente, sylvestres equi. *Volant* autem, ac nidulantur, in dumis, ac sylvis passim, avium, ad delicias, & aucupii lusum, genus omne. præ cæteris verò, phasiani, perdices, gallinagines, sylvatici pavones, accipitres-aucupes, & aquilæ.

Natant in amnibus, Alútâ, Marusso, Thimeso, Sabéso (quorum ripas & onocrotali subinde, cygníque, colunt) pisces; numerô, varietate, magnitudine, bonitatéque, tam præstantes: ut non minùs, quàm quovis in alio mundo maritimo, *Spiritus* (quem tam impiè tamen Transsylvanici *Trinitarii*, cum Dei filio, tractant) etiam hìc prolificâ suâ vi *circumlatus super aquas*, (10) dici possit: cùm præsertim, amnium Dacicorum quidam, (ut Strygius, Chrysus, & Chrysolóros,) præterquam, quòd piscosi sunt, auri quoque divites sint: ejúsque non *stricturas* tantùm, &, ut Tagus, Hermus, Pactólus, glaream arenásque volvant; sed *ramos* interdum, segmentáque, pondere *sesquilibrali* trahant, & in retia piscatorum trudant. (11) Quo proinde fit; ut plus hauriant illic, & glutiant, *auri*, (cum sabulo, fauces intrante,) *pisces*, inauditæ vul-

vulgò magnitudinis, lupi, percæ, murænæ; quàm omnes quandoque nundinæ videant, & corradant, pauperis *Almangoviæ*, vel exhaustæ tributîs *Samiutárum* terræ. (12)

V. Talî potitus ergô, quantumvis per nefas, *regnô* potiùs (quod sub *Decébalo* quondam fuerat) quàm *Principatu*, Bathorius hic; ut homo, qui, semel ex animo deletâ sempiternorum curâ, præsentia tantummodo, sensibúsque blandientia, spiraret: annon hîc suum sibi fingere *Paradisi* viridarium, & huic *acquieturus*, videri poterat?

Non concessit hoc ei suus genius *inquietus*. Itaque, juvenis, animô vagus, &, qui primùm à sacris Catholicis ad acatholicorum errores, post id, ab obsequio Cæsarum ac regum Ungaricorum, ad jugum ac sacramentum Otomannicum, transsilîsset; ab aliis subinde turbis, ac novarum rerum studiîs, ad alia sese flexit. Et nunc quidem, Achmeti deditus; post paullum autem, Cæsares rursus, aquilámque, respiciens: aliàs, in Rádulem, Wallachiæ prætorem, arma movens; mox in Nagium, & interim in Gaborem, proscriptione sæviens; cúmq; reconciliato deinde bellans, (ut & antea cum Gjezyo, Turcísq; subsidiariis, fece-

fecerat) : ab his tamen omnibus malè mulctatus, discedebat.

Secum autem ipsô, semper hostiliùs pugnans : nec unquam totus suus ; ac nec Achmetis, aut Cæsarum, nec suorum popularium, & clientium : denique, nec hominum ullius, nec *Dei*, præterquam *Ventris*, amicitiam colebat.

VI. *Ambulavit* hic sanè *vias*, ex omni parte *difficiles* : ac novissimè, nisi gradum reduceret, difficiliores præteritis inventurus erat. Nec id eum, qui mortales omnes falsum ibat, planè fallebat ; quin pro satìs explorato teneret, se, nisi suîs artibus præveniret, alienîs præventum iri. Videbatur enim, & ipse sibi, jam aliquamdiu, quasi geminas inter cautes *Symplégadum*, medio situ constitutus, pendens eventuum, & anceps ; ab utrânam vi priùs elideretur? Inter Achmeten, inquam, Sultanum ; & Matthiam, Ungariæ Bohemiæque regem, ac Romanorum simùl Imperatorem, fluctuabat : quorum in *hunc*, graviter aliquoties impegerat ; apud *illum* autem, & machinationibus deprehensîs, & novissimè, Gjezyi Gaboríſque (sicut in loco dixi) criminationibus superingressîs, omni parte

parte dignationis extrusus erat; & in præceps jam ibat.

Restabat placandi remedium unicum, &, erga potentiam irritatam familiare; *munerum missitationes:* quò vel utrimque, vel altrinsecus, offensio minueretur. Et præ se ferebat *Bathor;* Christiani principis se (quod in homine Calviniano perpetuum non est) gratiam, Mahometano præhabere. Quocirca, sub hujus demum ingressum anni, legationem adornat; cujus principes fuêre, *Forgatschius*, & *Erdeódus*, primæ nobilitatis, & à Matthiæ partibus haud quaquam alieni, viri: non sinè Dacorum & Pannonum splendido comitatu. Qui posteaquam Viennam, adhuc Februariô durante, turbæ, *pompam ducenti*, quàm *supplici*, similiores introîssent: eis pridie Calendarum Martii, Cæsaris alloquendi copia, frequénsque curiæ datum auditorium est.

Ac legatorum quidem verba, Bathorianæ fuerunt, ex ingenio sectæ deprompta, phrases. præteritorum extenuationes, inficiationes, precésque, promiscuè supplices: &, in futurum tempus, obsequii sacramentum integratum; officiorum intensio promissa; subjectionísque stipendiariæ fides instaurata. Cæterùm,

Gabriel Bathorius.

terùm, in præsens, fidei pignus ac firmamentum, *dona* : visu digna ; nec indigna posterorum memoriâ.

VII. *Casiola* sacerdotis, ex auro tota: cuj Sacrosanctæ TRIADIS erat effigies intexta; quàm artificiosissimè picta, distinctáque, grandibus unionibus atque gemmîs, ad omnem elegantiam : & octoginta millium pretiô *florenorum* censa. *Crista* quoque prægrandis, & ebénini nigroris, manipulus ; è sexies mille pennis ardearum concinnatus; altitudine visendâ, latitudinéque dodrantium plusquam duorum ; gemmîs insignibus interpunctus : & florenorum duodecim millium summam æquans. *Acinaces* deinde barbaricus ; cujus inaurata, sed simùl tamen ex argento solido, vagina, gemmîs tum aliorum generum, tum inprimis crebrô fulgebat iaspidum interjectu : decem millium florenorum æstimatione. Post hæc dona, præcipua fuit *equorum currilium*, in atrio stantium, pulcritudo, generositas, &, ex ipsámet atroris insolentiâ, vehementior nitor. Numerô *decem* erant; jugísq; singulis destinati bini; quorum, ex heteromallo serico nigri coloris, phaleræ; laminæ frontalium, argenteîs, & inauratis leuncu-

unculîs, ac monocerotibus, ornabantur; adversùm ſeſe mutuò conſiſtentibus. Hos decem equos, aurigæ regebant tres; pretiosîs ex holoſerico viridi togîs amicti, Pannonicum in morem; criſtîs, ſuper tegumento capitis, è pluma pennáq; candidâ, prælongîs. tunicæ verò, Bathoriana præferebant inſignia; quæ ternorum dentium erant lupinorum. *Undecimus*, poſt hos, ſtabat *equus*, Thracius, incredibilis pulcritudinis; pedum, ac dimidii corporis, colore, pomi-nerantii ſpeciem auratam, vel rectiùs ipſum aurum, imitante. cujus ephippium heteromallô ſerico coccineô veſtitum; præterquam, quòd totum illitum aurô, pariter tamen & argenteum totum erat, extra tegmen. equi frænum, margaritîs exornatum, ac gemmîs, fulgebat. Viginti florenorum millibus, hæc equeſtria, quadrigariáque, rerum intelligentibus æſtimabantur. Ad ſummam! *regalia* viſa ſunt, ſupráque *ſtipendiarii ſatrapa* fortunas, munera; digna, quæ Cæſaris de Gabriele ſuſpicionem oblitterarent, aut corrigerent. Non oblitterârunt.

VIII. *Corrigere* nonnihilô, reor, & aliquouſque, poterant: niſi reus ipſe, novîs, ad vetera coëuntibus, maleſactîs obſtitiſſet;

Gabriel Bathorius.

ſet; & cauſsam ſuam univerſam peſsum dediſset.

Ut *vir, duplex animo*, ſuorum omnium conſiliorum *inconſtans*, (13) quæ facienda non eſsent, facit: & rectè quoque facta, reddit infecta: ſic *Gabriel* hic, nec dextrâ fidem, nec ſiniſtrâ parte ſervans, & inſiſtens; utrumque Principum colebat, & neutrum. aliàs Orientem reſpiciens, aliàs Occaſum: &, poſt paullum, utrique tergum obvertens: ſuóſmet autem populares, quorum in fide benevolentiâque conſtitutum habere præſidium, adversùs vim externam, debuerat, peſſimîs interea modîs habens. Quem *alienum* verò ſibi redderet amicum, homo; pleriſque *ſuorúmmet* infeſtus, &, ob id, invicem inviſus? Acceſſit autem ad hæc, atrocioris invidia delicti.

IX. Dum enim vel maximè Bathorianam cauſsam Forgatſchius, & Erdeódus, agunt Viennæ: Conſtantinopolì miſsæ litteræ ſuperveniunt, à Cæſaris apud Achmeten Oratore; quibus Gabrielis erga Matthiam infidus & nequam animus, multò, quàm unquam antehac, clarioribus argumentîs inſimulabatur. quippe, quem conſtaret, eodem ipſo tempore Sultani gratiæ ſe, per legationem æquè

æquè splendidam, insinuare cœpisse: munera verò, Cæsarianîs etiam pretiosiora, submisisse: cum Sultanicis autem aulæ purpuratis, & frequentiùs interim, & arcaniùs, multa contulisse.

Multùm ista Gabrielis caussam onerabant. Multò verò vehementiùs, provinciales adversùs eum querelæ; propter immanitatem ejus, plusquam belluarum, *in Daco-Saxones* præsertim, exerceri suetam.

X. Quod totum quò liquidiùs intelligatur: præmittendum est, quod & alibi superiùs attingi cœptum est; Transsylvaniam, antequam in eam novissimìs his annìs coloniæ quoque Turcarum (quod eis malè vertat!) irrumperent, à triplici maximè populorum genere, Dacorum veterum tenuibus reliquiis intermixtorum, habitatam Báthoris hujus tempore fuisse: putà, ferîs à *Ciculîs*, Moldaviæ proximîs, originéque Scythicîs: ab *Hungaris*, è vicinia proprii soli, per bonitatem ruris alieni, ceu potiorem, (velut rebantur,) attractîs: & demum à *Saxonibus*, quos, è *Cheruscis* oriundos, Germaniæ gente, tempora quondam, & bella Wedekindi Carolíque Magni, compulerant in Daciam; suc-

V ces-

Gabriel Bathorius.

cessus verò rerum, ac temporum, in ovile CHRISTI.

Post Hungaros, (potentiâ virium, & auctoritate, vulgò magis conspicuos,) Daco-Saxones hi, de cætero cumprimis valent, arcium urbiúmque munitionibus; sedium, in meditullio Daciæ, numerô; terræq; suæ fertilitate. Sed isti, quantumvis felices aliîs in rebus sibi visi; præ Transsylvaniæ tamen incolis aliis omnibus, odio Gabrieli, nescio quas ob caussas, erant. Plerique sagaciorum, infensum ejus animum ad nomen & originem nationis referebant *Germanicæ*: cujus vel *odorem vocabuli*, gens illa ferre non potest, è qua sua Bathorio stirps esse ferebatur. Quidquid id tamen stimuli fuit, in miseros illos sæviendi; certè quidem, ipsa sævitia caussîs fuit omnibus infandior: si (quæ nemo refutavit unquam) vera sunt, & fuerunt, *lamenta* gentis; ad Cæsarem, & legatos Electoris Saxonis, Viennam hoc ipso tempore perlata, verbîs, & paginîs: ministeriô legationis *Daco-Saxonicæ*, quæ, latendi studiô, per Transsylvaniam Hungariámq; penetravit in Austriam, agrestium assumptô cultu.

XI. *Bathorii* porrò criminum, summa fuit

fuit ista; quibus tyrannus hic novus, plusquam *Mezentii* veteris manes refodiebat.

Ab ingressu statim, raptæ per nefas potentiæ, totus in id unum incumbebat; ut Saxonum in Transsylvania progeniem stirpitus eradicaret. Eâ caussâ, potentissimum quemque, præque cæteris pecuniosum, per calumnias, confictásque criminationes, in jus rapiebat: durîs ac diuturnis in custodiis attinebat; nullo penitùs, inter viros, etiam altioris ordinis, & matronas honestissimas, observato discrimine. Vinctorum porrò, vinctarúmque, nemini, nisi vel bonîs priùs, ac fortunîs exuto, vel in suam servitutem compacto, libertatem reddebat. qui verò *dare*, serviréve, vel nollent, vel non possent; ejiciebantur. mulieres nuptæ, viduæ, pupilli; facultatibus, hæreditate, paternîs maternísque successionibus, mulctabantur. Fundi, rura, vineta, nemine colente, desolata squalebant. *Dacosaxonia* paullatim, utì sale cónsita, sylvescebat: exteræque regiones, fugatorum, aut ultrò profugorum, exiliîs complebantur; ob metum terrorémq; tyranni *Gabrielis*, & *pseudoangelorum* ejus: quippe, qui circùm se, non jam *satellitia* tantùm, sed *agmina* frequenter

& *exercitus* haberet, *Hejduccorum*, profligatissimi furoris ac petulantiæ militum; imò, raptorum. Et his, deteriores iîs ipsîs, sæpe Siculorum, Turcarum, ac Tartarorum, furias admiscebat. Talium auxiliô, stimulîsque, reliquum Daciarum vulgus, assiduîs tributorum, & infinitis, exactionibus, medullitus exhaustum, & exanime, nullô negotiô vastabat Bathor; &, ad imperata quævis iniquissima subeunda, perpellebat.

XII. *Cibinium* est, Dacosáxonum urbs facilè princeps, *Hermanstadium* ipsis dicta, latè planô, nec usquam ferè montosô, sita solô; naturâ præterea manúque cumprimis firma; magnitudinéque, non multùm *Austriaca Vienna* cedens: sed hâc ipsâ, propter piscinarum & stagnorum circa se frequentiam, ut amœnior, ità tunc temporis, adversùm hostiles accessus, magìs clausa.

Sed *insidiis*, & *perfidia proditorum*, *nihil* denique *non pervium est*. Perfregerunt eam, impulsu Gabrielis, Hejduccorum cohortes, ac turmæ. Nec contentæ rapinîs, direptione, resistentiúmque cædibus; virginibus insuper, viduis, & matrimonio junctis, & universo demum illi sexui, (nisi, siquam extrema, vel ætas,

ætas, vel formæ turpitudo, fecisset eximiam,) vim intulerunt; viros superstites ejecerunt; civitatem in solitudinem verterunt. Cùm autem, his aliisque talibus Dacosáxonum ærumnis obviam iturus, Hungariæ rex, *Matthias*, firmam satis manum, sub fortibus fidisque ducibus, in *Tralingiam* (quæ Daciæ pars est) expedîsset; & multum utrimque sanguinis, biennii spatiô, fusum inter Transsylvanos rebelles, & cæteros, in obsequio manentes, fuisset: repentinô regiorum, invitis ducibus, è Tralingia discessu, factum est; ut *Bathor*, jam metu vacuus, omni deinceps barbarie liberiùs debaccharetur. Calumniatus est autem, contrà, quàm se res habebat; delatione Dacicorum Saxonum attractas proximè regias in Tralingiam copias, in caput, & interitum suum fuisse: rei verò patrandæ desperatione, postea vasa conclamâsse.

XIII. Tanquam justas igitur læsæ dignitatis suæ pœnas ab iis expetiturus, & verò palàm quoque vindictam professus; adversùm penitùs insontes, novum contraxit, ex omni latrocinio Ciculorum, Turcarum, Hejduccorum, ac Tartarorum, exercitum. Cum his ipse, per universam volitans Dacosaxoniam,

Gabriel Bathorius.

niam, arces, oppida, castella, parùm firma, capit: aut temerè munitas urbes, armorum ostentatô terrore, suum ad obsequium adducit: aut præsidiîs destitutas, in deditionem volentes accipit; & nihilosecius affligit, ac premit. *Meggum* autem urbem, munimentîs & præsidiô validiorem, armîs expugnat: populationibus exhaurit: &, post omnia, nihil jam habentem, nihilominus multorum millium *Philippeorum, coronâ signatorum*, pensione mulctat. Militibus verò, domos civium expilantibus, & cum præda per fora palàm incedentibus, equo sedens ipse, scurriliter adludebat: spoliatis autem, & eâ caussâ plorantibus, amarùm insultabat. Nimirum, id demum erat, *Satrapam subjectorum sibi commodis consulere! viscera quotidiani victûs, ad usque medullas, exsugere!* Quæ tamen ipsa, tametsi gravia, gementibus adhuc utcunque tolerabilia videri poterant; præquam ea, quæ pòst paullò calamitosiora subsecuta sunt: ignis, cruor, cædes, longinquas in oras abductio, quæque cætera funesta facinora.

De *Nagii* crudeli nece, dictum in superioribus est. Meruerat eam quidem, homo nequam: at non, à multò nequiore. Sed, quid

quid promeruerant, inter hæc, *insontes*; & *Nagiô* tamen longè diriora passi? Post irritam enim *Brassovia* (quæ *Cronstadinum* Germanis, ac *Stephanopolis* Græcis, urbs Dacorum est) oppugnationem, ac fœdam indè fugam, metu Basſæ Mehemétis, & Gjezyi, sibi cum magnis copiis imminentium; *Bathor* omnem, concepti propterea furoris, impetum effundere festinavit in *Barria*, ditionis Dacosaxonicæ, fertilem antehac, & cultore pagisq; frequentissimum, tractum. Eum ille, cum fugitivis suis latronibus, & prædarum sociis, totum evastare. quod in manus inciderat, ferrô; quod casarum, horreorum, domiciliorum, in oculos, flammâ perdere. sexûs utriusque mortales multos, ætatis nullô discrimine, partim ipse, suîs injectîs catenîs, abducere: quorum mox *trecentos*, (& eos quidem omnes, origine *Germanos*,) Achmeti Sultano dono misit. partim, eámque magnam admodum turbam, barbaris exercitibus suis, perpetuam in servitutem abstrahendos tradidit. Præter hæc, alios, quos Regi *Matthia* præ cæteris, & perpetuò, fidos comperisset, frustatim laniandos, carnificum rhomphæis objiciebat. quosdam, ex editissimorum montium verticibus, aut

Gabriel Bathorius.

excelsarum ædium turriúmque culminibus, in præceps devolvendos dabat. multos, pedibus suspensos, capitibus in terram pronîs, torquendos: non pauciores, equorum caudis alligatos, & tractos, præbebat lacerandos. alios, truncis arborum adstrictos, fistularum æneatum glandibus trajiciendos proponebat. nonnullos, & forcipibus ignitîs concerptos, neci dabat.

XIV. Quod denique ferinam omnem immanitatem superat, & *habere tam atrocis supplicii, nisi tyrannos, inventores non potest:* die quodam, Saxonum Dacicorum *viginti quinque*, spectatissimi roboris & ordinis, *viros*, in oculis urbis *Gaudini* (dictu fœdum, & vel cogitatu truculentum!) à parte postíca corporum, palîs ferreis per mediam alvum, ad pectora sursum adactîs, carnificandos, necandósque tradidit. Et hoc, (*ut tantò foret inhumanior humanitas*,) propinquorum inter sese, conjunctissimorúmq;, manu ministeriôq; fiebat: nec aliorum denique, quàm eorundem, qui, quam operam amici supplicio quisq; per amaram necessitatem commodârant, eandem mox ipsi quoque, per amariorem experturi forent ab alio. cùm interim detestabilis ille,

le, *redivivúsq; Nero*, præsens & astans, hæc miserrimorum tormenta non aliis exciperet oculîs; quàm, quibus ille vetus, Agrippinæ filius, Romam, à suis facibus ardentem. Ridere; sannas, & sales jácere; circumstantes ad éadem incitare; suísque militibus universum, qui superesset in Dacia, Saxonum, Teutonúmque sanguinem, ebibendum propinare: cruentus scurra!

XV. Potest *Transsylvania*, quoties usus exigit, in aciem educere suorum, in armis, facilè *millia nonaginta*, fortissimæ juventutis. Ex his omnibus, permirum est, jam ab exordio ferè tam violentæ dominationis, nullam coîsse manum; quæ, per nefas extortum ab eo jus, & regimen, amotô tam pestilenti subsessore, legitimo Regi, Cæsaríve, restitueret. Sed nempe, *Fata quoque, dum adolescant, annum suum exspectant*. Et hic nimirum ipse fuit *annus*, sæculo decimus tertius; hujc Gabrieli, *portento sæculi*, postremus: occasione, quam expono.

XVI. Cùm, apud Achmeten Sultanum contra Bathorii magnifica munera prævalente Bethlenii Gáboris versutiâ, magna Turcarum manus, ad hunc in Daciæ possessionem

Gabriel Bathorius.

introducendum, illum verò dejiciendum & persequendum, in procinctu jam esset; & in dies propiùs immineret: Gabriel, diffidentiâ virium suarum, & fidei popularium, è Transsylvaniæ gremio *Varadinum* (quod *Majus* vocant), ad extremos Orientalis Ungariæ fines sitam munitionem, profúgit: utpote, Pannonicô quidem adhuc in solo positam, sed tunc, & jam antehac aliquantò, Daciæ Provinciæ contributam. Báthori, præsidium adversùs hostem communem, & alioqui Cæsaris quoq; finibus gravem futurum, postulanti; *Matthiâ* non abnuente, superioris *Hungariæ Palatinus*, & supremus Cæsarianæ militiæ prætor, *Forgatschius*, ex indigenis militem subsidio miserunt. Adduxit ei peditum equitúmque copias, haud quaquam aspernandas, Tokayensis præsidii præfectus: & nimirum is ipse, qui mox istius tragœdiæ *supremum* confecit *actum*. Displicuit autem Báthori, non miles Hungarus; sed, infra spem conspectus, numerus. Circumspicere militis augmentum; appellare, majorum auxiliorum caussâ, Tirnaviam; &, quæ circùm loca, propiora remotioráq;, præsidiis tenebantur; ut, eorum detractione, suas ipse confirmaret opes.

Ex-

Exspectatione verò suâ dejectus, & nuspiam ullâ supplementi majoris promissione sufflatus; in *Matthiam*, ut destitutus, denuò fremere: minitari, suam vicissim ab eo defectionem: ostendere suis, & verò legato Cæsaris, Tokayæ (sicut diximus) præfecto, própalam denuntiare; Se, (recuperandæ pristinæ dignitatis, & gratiæ Sultani, pactione,) vel ingratiîs Regis Hungarici, Turcarum Imperatori *Varadinum*, & *omne* limitaneæ munitionis illius *præsidium*, esse traditurum.

XVII. Quæ, gravia cùm essent, &, (quia totius in Regni perniciem vergentia) nec tolerari jam, nec in longum differri possent, quin vindicarentur: habitô legatus consiliô, non *suorum* modò, sed eorum quoq; (quod mireris), quos apud *Bathorium* primos esse sciret, at ab hac hominis postremâ mente plurimùm alienos, eorum exquirit judicium.

Decernitur illorum omnium sententiîs; *Varadinum*, ceu Christianorum in Occidente Thermópylas adversùm Barbaros, servandum; *Báthorem*, è diverso, velut patriæ pestem, opprimendum ac perdendum esse. De re quoque, modôque, negotii totius patrandi, cónvenit inter omnes; ac dies statuitur, cædi patrandæ,

Gabriel Bathorius.

trandæ, vicesimus sextus Octobris; cujus diei diluculô, legatus ad Gabrielem, uno solo de fidissimis assumptô comite, sicuti salutatum, in cubiculum adhuc-quiescentis introiret. Et quoniam is acinacem, ad lectuli columellam semper religari suetum, visentibus se, chalybísque bonitatem mirantibus, ultrò nonnunquam, & familiariter, offerre considerandum soleret: urgebant, eam ut legatus, negotii juxtà, proditorísq; conficiendi, commoditatem strenuus arriperet: ac suômet dominum ferrô, subserviente percussoris conatibus comite, trucidaret.

Veruntamen id consilium, eò, quòd operis socium (ut in atroci re solet) *pallentem* subtrepidúmque dux operis deprehenderat; tum temporis, & eo loco, dilatum in aliam & meliorem opportunitatem est: ac, summâ nihilominus dissimulatione, suspicioni Báthoris præreptum.

XVIII. At die confestim posterô, *ne dilatione calidum inceptum refrigesceret*; aut conjuratio, mutabilitate mentium, emanaret: præfectus idem præsidii Tokayani, silentiô summô, *Bathorianorum* ipsorúmmet (quod omnem superet admirationem) *quinquaginta* viris

viris fortiſſimis, in inſidiis, extra ſuburbia *Varadini*, collocatîs: ipſe, nihil ne tum quidem adverſi ſuſpicanti *Báthori* ſuadet, ac perſuadet; utì ſe, copias nuper adductas in campis Varadinenſibus luſtraturum, honorare præſentiâ ſuâ, paritérque militem animare conſpectu ſuî, dignetur. Præcedit equitans *Legatus*. Sequitur ſtatim, non niſi duobus familiarium aſsumptîs ad ſpectaculi ſocietatem, *Bathor*; ſuetô ſibi curru vectus. Simulac autē, *extra Varadini ſuburbium*, ad inſidiarum locum ventum eſt: volant è fiſtulis ferreis illicò glandes ignitæ. geminîs ferítur *Bathor*; ſed adhuc, citra perniciem. Sentit ille tamen globorum ictus; & curru proſilit, rhomphæam in obvios diſtringens. Deſiliunt & gemini comites illius: ac ferrô Báthorem tuentur. Sed, lethiferîs uterque plagîs acceptîs, arma ſimùl, ac dominum, omittunt. Ab reliquo militum globo tyrannus proſtratus, contrucidatur. Exercitus, & Bathorianus, & Hungaricus, à legato cauſsam cædis edoctus, & approbans; quieſcit.

Vacantibus autem, inter hæc, & equîs, & rhedâ Bathoris; contumeliæ cauſsâ, cadaveris tractores, *boves*, & agreſte *plauſtrum*, deligun-

Gabriel Bathorius.

liguntur : in oppidum *Etschemm* onus hoc avecturi; non ad tumulum magis extincti tyranni, quàm ad *Hungariæ*, per eum prodendæ, *Transsylvaniaq́ʒ*, per eum oppressæ, lætitiam publicam, ac triumphale monimentum. (14)

Situs igitur illic est *Gabriel Bathor*; qui, Principatum ut inveniret, abjecit fidem, Ecclesiam, conscientiam, stirpis gloriam, ac Cæsarum amicitiam: perdidítque post hæc, & Principatum, & largitiones, & vitam; ac, (si, quod nemo dubitat, obiit, sicut vixit,) ad unum *omnia* temporis, æternitatísq;, bona.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Ecclesiastici cap.21. v.11.* (2) *Proverb. 16. v.25.* (3) *Sapientiæ cap.5. v.7.* (4) *Psal. 11. v.9.* (5) *Joann. Cotovîcius J.C. Ultraject. lib.1. Itineris Syriaci, cap. de Creta.* (6) *Apocalyps. cap.18. v.2.* (7) *Ecclesiastici cap.21. v. XI.* (8) *Saxonum Dacicorum litteræ id testantur, apud Slejd. Redivivum, pag.1288. lib.18. col. 2. post princip.* (9) *Jodocus Hondius, in Atlante, tabulâ Transsylvaniæ, post princip.* (10) *Genesis 1. v.2.* (11) *Horum, huc usque descriptorum,*

rum, pléraque reperias, apud Geographos, præſertim Atlanticos; in tabulis Daciæ. nominatim apud Jodoc. Hondium. Qui idem, & Hercyniam *adhuc* Sylvam, *ait, eſſe partem Transſylvaniæ.* (12) Samiútæ *idololatræ, infrà* Fretum *VVeygats, hodie* Naſsóvicum *quoque dictum; gens Septentrionis, & Moſcis tributa pendens.* Habent hi populi nundinas quidem ſuas; ſed commercii adeò reſtricti, ut cum Moſcis ſolîs permutare merces, & quidem, non niſi mercibus, non verò pecuniâ, cogantur. *Argentum autem, & aurum, uſqueadeo neſciunt; ut ejus metalli nummos, à Batavis die quodam pro mercibus oblatos, morſu dentium invaderent; tentantes, an edúles ac* veſci *forent? Gerardus Verius, Relatione 1. Navigationis in Novam Zemlam, pag. 33. & 34.* (13) *Epiſtola S. Jacobi, cap. 1. v. 8.* (14) *Acta mortis Bathorianæ, ſtrictim referunt, Appamianus num. 4. in hunc annum. Mercurii Continuatio ſeparata. A. Janſonius, Tomi 7. lib. 5. pag. 318. Fuit verò & Slejd. redivivus, lib. 18. pag. 1336. & 1337. à* 5. Vnder wehrendem Reichs-Tag / iſt der ſchändliche Tyrann Gabriel Batthory / auß dem Weg geraumbt worden &c. Eſchétum *autem, ſeu Etſetum, (ut Janſon. ſcribit,) alii, Eſseck,*

Gabriel Bathorius.

Esseck, & Ezek, & Essécum; urbs est Ungariæ, ad Dravum amnem, mœnibus clausa; infra quam Bassa Budensis, Istrum versùs, anno 1566. operâ 25000. fabrorum, spatiô dierum non plus decem, ponte ripas Dravi junxit, semihorarii transitûs longitudinem continente; quatuordecim verò cubitorum latitudinem. In hoc Esseto si Bathor sepultus est, quod ajunt: mirum non fuit; hominem, animô Turcam, etiam corpore, Christianis è finibus, translatum fuisse, Turcarum ad ferales glebas. Similes amant labra lactucas.

METRUM.

Gabrielis Bathorii

Pompa funeris, bubula.

N*Atum arctis ad aratra jugis, & vomere glebis*
Findendis, Báthoris *cur vehit ossa, pecus?*
Fax umbram hanc tam obscura decet? tam absurda potentem
Vel thensa, Indigetem, vel Libitina, Ducem?
Denique, cum bove quid Báthori? *Nisi fortè, quòd omne,*
Hic quoque sævitiâ *vertit, &* ense, *solum;*
Dacicáque imperiis, & crudô stipite, susque
Deque agitans, hirtô presserit arva jugô.

Tunc

Tunc igitur quoq;, cùm Bathorem *traxistis; Aratrum,*
Cum stiva, & buri, tràxtis, ut antè, boves.
Congrua (ni fallor) tam infandæ, in funere, pompæ
Allata est ratio. Sin minùs; ecce, novam!
Hectoris, *Æmoniâ transfixum cuspide, corpus*
Traxit Achillæis currus Achivus equis.
At Báthorem, *pyrii coopertum grandine plumbi,*
Vexêre ad tumulum, Dacica rheda, Boves.
Consonus amborum est meritis vexillo: quòd Hector
Dardaniæ Perseus, Bellerophónque, fuit:
Ergò Equus *hunc decuit. Bathorem sed Dacia sensit,*
Et Phalarim, & Scythicâ fronte Thoanta (1) *ferum.*
Quæ potuit vectura igitur, nisi plaustra, *Tyranno*
Taurica *deberi, Bosphoriæq; trahæ?*
Quin, tumulus cur non Phalari huic, dignúmque feretrum est,
BOS *ipse, (at Siculô torridus igne,)* datus?

NOTA.

(1) *Thoas, Chersonési Tauricæ Rex fuit; inter Euxinum Pontum, & Mæotidem paludem: qui advenas, ad Dianæ aram, ab ejus Deæ sacerdote virgine immolandos, dabat. De hoc scribit & Ovid. l. 3. de Ponto, eleg. 2. à med. & testè, ejusdem meminit, ejus operis lib. 1. eleg. 3.*

Gabriel Bathorius.

APOCOMMA III.

Archithalassus Arragonius, dum plus nimiò mulget; mulctram, & juvencam, pessumdat.

I. PLus, me judice, calliditatis, quàm laudis, & successûs, habet, vetus illud lucripetarum hominum præceptum; quo jubentur Eucliónes, *Iniquum petere, si cupiant Æquum auferre.* Quantò rectiùs hi, prudentiúsq;, divinum audirent Sapientem; cujus prædictione, *qui nimiùm emungit, elicit sanguinem?* (1)

Hoc dictum si demisisset in aures suas, animúmq;, profundiùs, quàm immodicam auri cupiditatem, Hispanorum, in Siculo mari, Classis-Prætor, *Arragonius*: sanè multò *plus* ille *præda* relaturus fuerat ab hostibus; & ludibriorum minus ab æmulis, & amicis.

Ceperat is, in illo felicis eventûs, quem qualémque superiùs descripsi, navali certamine, suprà cæteram Turcarum multitudinem, ac tres Bassas, etiam insulæ *Cypri Begum*; suâ, patrísque sui potentiâ, clarum ac magnum, inter suæ gentis optimates, virum. Hujc Bego cùm

cùm durum videri cœpiſset, non tantùm inter ſupplicantium agmina totâ Panormô, velut oſtentatione captivitatis in triumpho, circumductum ſe fuiſse, quemadmodum in loco memoravi; ſed inſuper, è tanto ſuæ veteris fortunæ culminiſq; prætoriô, ſervilem in cataſtam, & vinculorum (ut apparebat) *æternitatem*, decidiſse; lugebat cæterìs aliquantò graviùs, impatientiúsque, ſuæ ſortis iniquitatem. apparebátque, quantivis eum, redimere ſeſe, paratum & expeditum fore. Certéque tale quid, *Arragonius* ſaltem, (utì facilè, quod appetit avarus animus, id exſpectat,) cogitatione priùs ſuâ devorârat.

Spem itaq; libertatis, Cyprio facit; ſi, quantum *Hiſpanus* poſceret, tantum *Mahometanus* daret. Jam autem hic amorem pecuniæ, deſideriô libertatis, eouſque caſtigatum perduxerat; ut, uno pro capite turbinato dimittendo, decem aureorum, quos *Cecchinos* illi vocant, millium ſponſio fieret.

Id vile nimis, ac parùm, viſum *Arragonio*: plus nimiô verò, ſupráq; ſolitum & æquum, è diverſo, Turcæ. Pretium alter accendere; ſed, in mente prima, Turca perſiſtere. Flagitare prætor, & inſtare: negitare

X 2 capti-

Archithalaſsus Arragonius.

captivus; & obfirmare. Cùm inter eos denique non conveniret, *Magnáne* pecunia, *decem aureorum nummûm millia*, videri deberent; an *mendicitas*? litem *demum Begus*, incisô sibimet jugulô, decîdit. *Arragonio*, (ficut, apud Flaccum, hianti frustra corvo), præter *cadaver*, ex toto *Bego*, relictum est nihil: irridentibus eum, inter hæc, *Aulæ graculis*; quòd, cujus prædæ tam felix fuisset in liquido *Piscator*; ejus postea tam infortunatus extitisset in sicco *nundinator*. (2)

TESTIMONIA.

(1) *Proverb. cap. 30. v. 33.* Qui vehementer emungit *&c.* (2) *Rem narrat A. P. Janson. Tom. 7. lib. 5. pag. 305.*

METRUM.

Nec sunt Divitiæ cuiquam, sinè mente, saluti;
Nec præda, in cúpido plus nimis ungue, lucro.
Ceperat Odrysiæ prætoria corpora classis
Quattuor, in Siculis, ductor Iberus, aquis.
Primus in his, Cypriæ satrapes ditissimus oræ,
Excutere, argenti pignore, vincla parat.
Aurum, aurum, captive, dabis! (dux inquit). Et ille;
Aurum utique, ut pedicis solvar, & ære, dabo.

Hic

Hic dux classis, opum dictante cupidine, poscit,
Quantum vix barathrum claudat avaritiæ.
Quin, pretium inflammat. negat alter, & abnuit. Iste
Auget; & immodicum, jus *putat* esse, *lytrum.*
Cyprius exarsit: lucèmque perosus, ob aurum;
Nec mihi libertas, nec pretium esto tibi!
Dixit. & incubuit, raptis propriò impete, Fatis;
Jussit & in Cyprium spem ducis ire fretum.
Indignum amborum est facinus, vecórsque! sed horum
Utrum plus stolidi credam habuisse Midæ? (1)
Illum, qui Totum, quàm Partem, amittere? an hunc, qui
Maluerit Mercem (2) *perdere, quàm Pretium?*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Avarissimi Phrygum regis: ut, qui omnia, quæ quoquo modò contingeret, gestierit, in aurum transformari.* (2) *Pecunia 10000. cecchinorum, erat lytrum, sive* pretium; *oblatum Domino d' Arragona, à Bego Cyprio.* Merx *autem, quam emere Begus ab Arragona expetebat, erat* Libertas Begi; *adeóque*, Begus Ipse, Quà liber, *aut* Liberandus.

Archithalassus Arragonius.

APOCOMMA IV.

Capti, suæ captivitatis auctores capiunt.

I. NUllum justius, quàm injustæ captivitatis, effugium est. Triremis Turcarum ingens, & omnibus ad navigandum pugnandúmq; rebus, utut postulatura res foret, instructissima; Janizarorum (ii prætorianus Sultanorum miles sunt) magnam manum, &, his cinctum, Achmetis Imperatoris Oratorem, vehebat, densô remigum-captivorum ministeriô: quorum pars maxima Christiani. Porrò, mandatô tyranni, Legatus cursum, secundùm Phœnicii maris, & Ægyptii, littora destinârat, in Africæ, tam citerioris, quàm ultimæ, terrestres ac maritimas oras; ut Tunetanum, Algiriensem, aliósque Libyæ, Mauritaniæque regulos, dynastas, ac prætores, adversùm Christianos in arma concitaret.

Jam omnî maris decursô spatiô, quod à Bosphoro Thracio patet ad Syriam usq;, navis ea, quam dixi, Tyrum littus attigerat: &, ad id de palo religata, quiescebat. Inter quæ, classiariorum, ac de Janizaris maximè, pleraq; multi-

multitudo, (Legatô cum paucis in navi reli-ctô, dignitatis potiùs caussâ, quàm præsidii sufficientis,) in terram, aquandi gratiâ, qui-dam autem & lignatum, exscendunt. Hi, dispersi, pars ad fontes ac puteos discurrunt: alii, remotiùs aliquantò sita nemora, saltús-que, petunt. apparebátque, negotium id plusquam horarium, aut moræ fortassis semi-diurnæ, futurum.

II. Ibi tum ergò, remigum è turba qui-dam, ad assidentem in transtris tacitè conver-sus, & adsusurrans; *CHRISTE Deus!* in-quit: (nam hunc colebat; ut & omnes il-lic, remigium obeuntes, bellô quondam, & latrociniis Turcarum, servi perfidorum effe-cti) *fave famulis tuis! Et tu, frater*, addit: *Quid facimus? quare cessamus? & hâc bellis-simâ, nósmet in libertatem vendicandi, non uti-mur opportunitate? quam, mediusfidius, si nunc è manibus dimittimus, nunquam posthac recu-perabimus: & hoc, culpâ nostrâ. Nam, qui præsentem fortunam pensi non habet, meliore se-cuturâ dignus non est. Absunt prætoriani, robu-stissimi militum. superest Orator; & apparito-rum ignavissimus quisque, rarissimúsque: tutelæ potiùs umbra, quàm virtus. Quin igitur aude-*

Capti capiunt.

mus adversùm eos, pro nobis, & numerô pluribus, & amore libertatis animosioribus?

III. Dicentem hæc, aliáque talia, proximi primùm, dein alterius, ac tertii, plurimúmque, frequens excepit, & approbavit, assensus; donec per omnia transtra salutare cucurrit murmur: &, *argenti vivi more*, vel *scintillarum instar, arundinetum aridum pervagantium*, ad septem etiam *Gallos*, ordinè sedentes, perrepsit. Hi, consiliô perceptô; *Longæ sunt nimis* (ajunt) *deliberationes, ac verba. Rebus agendum est, & ex præcipiti; dum omnis mora, mors est*. Continuóque consurgentes omnes, arma, quæ fors in manus cujque dabat, corripiunt; retinacula funium discindunt; ducibúsque virilis audaciæ septem Gallîs illìs, punctô temporis eodem, triremem, jam liberam, à littore summâ contentione, celeritatéque, propellunt in altum. Reclamantem, adversúmque cœpta talia, *Mahometis*, *Achmetis*, & *Lunæ*, nomen implorantem *legatum* circumsistunt; repugnantem, comprehendunt; armîs exutum, vinciunt; frustráque paucîs contrà nitentibus satellitibus, (qui multitudini, vel capita mox, vel demum manus, dabant) captivum eum, universo

verſo cum apparatu legationis, ac prædâ, retrorſum abducunt. Ità *mancipia* (ne longum faciam) nautica, *domini* triremis iſtius; &, è diverſo, domini, mancipia fiunt.

IV. Aliquantò porrò pôſt, hinc quidem *aquatores* Tyrô, cum vaſis & utribus in littus; illinc autem, è Tyri ſylvis, *frondatores* cum faſcibus, & ramîs, reverſi, navim ſuam nuſquam *oculîs*; digreſsûs verò tam infelicis paratas ſibi Byzantii pœnas, *animô* proſpiciunt.

At, abducta felici ſucceſsu triremis, ante paucas horas *Turcica*, nunc autem *Chriſtiana*; velîs remîsque longè felicioribus, Ægæô volitabat, Joniôque marî toto: donec invecta denique Siciliam, ac Panormi portum, ibi, quidquid vehebat, *Proregis* in oculis expoſitum conſtituit.

Vexerat autem illa, præter acínacum Scythicorum grandem numerum, telorum item & pharetrarum, ac fiſtularum, & tuborum æneorum, copiam; cæteri quoq; generis inſtrumentorum bellicorum multitudinem ingentem. *Chriſtianorum* inſuper, (quos è liberis, Turca ſervos, è ſervis, ſua virtus liberos, reddiderat,) permagnum agmen. Qui, ſortis

Capti capiunt.

suæ miseriâ, nuper navem fecerant *ergastulum*; postmodo, consensu pietatis, & consortiô libertatis, effecerunt *ecclesiam*. Apportârat eadem triremis merces pretiosas; pecuniæ vim non aspernandam; consilia mandatáque Christiani debellandi nominis: ac, super hæc omnia, tremendi contra nos inflandi classici *vivum* instrumentum, *animatámque tubam*; tyranni Thracici *fecialem*, & præliorum incentorem, *legatum*. In scriniis autem ejusdem, & *epistolæ* repertæ complures sunt, ad varios Africæ dynastas, ac prætores: quibus *exsecrabilis Achmetes* Algiriensi, Tunetanóque regibus, cæterísque, sibi clientelâ vel lege stipendiorum obnoxiis, promittebat; unâ se temporis & expeditionis tempestate, præter Africanas vires & copias, *octoginta* præterea naves constratas, ingentes, & classiariîs refertas, *Christianorum* littoribus ac regnis infusurum. Addebat his demum, more sibi suetô, *dominicum*, &, (si Superis placet,) inviolabile, mandati fulmen: *ut omnes undique Christi cultores, omnibus è regnis, Mahometi sacris, eraderentur.*

Hanc tantæ, nobis ingruentis, *naumachiæ* flammam, unica, quæ mox eam suscitatura

tura *navis* fuerat ; eadem , dum opprimitur & abigitur, oppressit, & abegit. (1)

TESTIMONIUM.

(1) *Continuator A. P. Jansonii, Tomi 7. libro 4. pag. 329.*

METRUM.

Q*Uàm bene , vel* servæ *Libertas publica* dextræ
Se debere, *tubæ Delphidis ore canit?*
Efferus Æmoniis validam Sultanus ab oris
Cycladicô navim jusserat ire mari.
Intus opes , prætórque suus, prætoriáque arma ;
Et promptum, in quævis ausa, satellitium.
Ventum erat ad Tyrii, sinuata crepidine, portûs
Littora. Sylva foco deërat, & unda siti.
Turba sarissophorûm, enervî digressa triremî,
Ostrilegis proram deligat aggeribus.
Ingenium aut facit, aut miseris, Occasio, monstrat:
Infelixque oculus, sospite plura, videt.
Per transtra , atque foros, plebs densa, at capta, sedebat ;
Et septem, unanimî, Gallica corda , fide.
Hic consortem aliquis cœtum (Dormitis ?) *adortus ;*
Nemo vir è nobis ? nemóne liber, erit ?
Quin agimus? quis mecum ? inquit. Galli *ilicet ; Hem nos !*
Tecum, *ajunt*, sumus! &, *cætera turba* ; Sumus !

Nulla

Capti capiunt.

Nulla mora est. facit arma calor, quodcunque prehendit:
Vindice littoreus solvitur ense rudens.
Indè, pedem unà omnes, & vela, fugámque, per æquor,
Et faciunt, quidquid libera dextra potest.
Obnixum, frustráque fidem, *frustra* arma, *cientem,*
Vi, vinclisque Ducem, scutigerósque, domant.
Navis abit. Remeant positis sparsa agmina curis:
Non funem ad proram, non sua vela, vident.
Immò vident; fugitiva tamen, ventisque secundis
Percita: quæ jam vox sistere nulla queat.
Stant igitur, staturi ævum. Lignatio frustrà est;
Frustra, dulcis-aquæ cupa, necante fame.
Quid tamen ista movent profugos? Volat usquè triremis,
Celtica jam; Siculi dum stet in ore freti.
Indè, catenati subeunt Prætoria Turcæ:
Achmetisque minæ, consilia, arma, patent.
Quippe ferox, vicena-quater Neptunia pactus,
Christicolûm in clades, castra, citabat opem.
Tunc mala disjecta est, quando est detecta, voluntas:
Bosphorias retudit classis Ibera rates.
Vicit Iber; sed, Galli operâ. Quid, fune resectô,
Præstiterit virtus Celtica, quæris, Iber?
Scilicet, Europæ collum *stetit ense sub illo:*
In fune, & laqueo hôc, Orbis *erat* Jugulum.

Digitized by Google

APOCOMMA V.

Ominis genethliaci decepta spes.

I. FORTUNA, quantumlibet in ortu læta veniens, sæpe demum lubricos in paſsus exit. *Eliſabeta Stuarta*, Jacobi I. Magnæ Britanniæ regis, filia; peractîs jam Februariô menſe, cum *Friderico*, Palatino Comite, nuptiîs, ex Anglia, per urbes & amœna loca Bataviæ, menſe Majô tendebat in Germaniæ ſuperioris Rhenanum tractum: & illinc Heydelbergam, mariti ſui ſedem. Erat autem jam *prægnans*: nec id diſſimulanter. Quo fiebat; ut non ſolùm, ceu filia magni regis, & Electoris imperii Romani conjux, exquiſitîs, quacunque tranſiret, honorum officiîs coleretur; ſed alicubi, velut ſuô tempore *puerpera* quoque, nepotíſque regii *mater*, futura, donîs celebraretur. Acceſſerat Hagam Comitum, adhuc comitante virô. Pôſt autem, eô ſuas in terras prægreſſô, ſtipantibus illam principibus virîs, & agmine pediſequarum nobilium, obierat Harlémum, Ambſtelodamum, Ultrajectum, Arnhemium: cùm

Omen genethliaçum, irritum.

cùm Dortam, Roterodamum, Delphos, jam antea, post exscensionem statim Flissingensem, lustrâsset.

II. Cæterùm, duarum inprimis Hollandiæ civitatum memoriam insignem *honoraria* meruerunt. *Amstelodamensium*, inquam, & *Harlemensium* Senatûs ac populi, *lautia*; veterum Quiritium, erga principes advenas, ac legatos, munificentiæ mensuram splendidè supergressa. *priora* quidem, in pondere munerum: in elegantia verò donorum, & ingeniô, *posteriora*.

Amstelodamum quippe, præter regias, *Elisabetæ* præbitas, epulas, pollúbrum insuper, aureum totum, & auri præterea probatissimi nummîs triumphalibus, recens cusîs, (ac propterea rutilîs,) impletum, obtulit. Et oblatum, illa fronte non torvâ suscepit: quippe, *centum & quinquaginta millium* florenorum pretiô constans.

At *Harlemensis curiæ* donum, fuêre, proli nasciture præparata *cunabula*; toralia, pulvilli, fasciæ; cæteráque supellex infantaria. Quorum omnium materiem, artem, ornatum, æstiment, qui non ipsi conspexerunt, *è pretio*: quod *quinquaginta millium* fuit florenorum.

III. Cæ-

Digitized by Google

III. Cæterùm, hujc urbium, in coronariis, partum prævenientibus, liberalitati, minimè parcè suîs illustrissima puerperiîs *Elisabeta* respondit; continentî propemodum annorum conjugii sui serie fœcunda. Cùm enim (ut in superioribus memoratum est) *anni decimi tertii* mense Februariô nupsisset: *Anni* mox *decimi quarti* Januariô, postridie Calendarum, edidit *Henricum Fridericum*. cujus videlicet ortui, præ cæteris omnibus, omina, vota, natalitiæ gratulationes, & in cunis illis Harlemensibus recubitus, obtigerunt.

Anni deinde *decimi septimi* solstitiô brumali dominante, *Carolum* peperit *Ludovicum*. (1) *Anni* mox *sequentis* vigesimô sextô Decembris, Elisabetam. *Anni decimi noni* ferè sub exitum, & nempe Pragæ Bohemorum jam sedens, Rupertum. *Anni vigesimi primi* Januariô, die Regalium, post Pragam relictam, Custrini, (novæ-Marchiæ Brandenburgicæ permunitâ civitate,) Mauritium. *Anni vigesimi secundi* mensem Aprilem, ejúsque diem decimum octavum, natalem habuit, ex eádem matre, Ludovica: quam cognominârunt, Hollandínam. *Anni vigesimi tertii* dies Augusti vigesimus primus, *Ludovicum* in lucem

Omen genethliacum, irritum.

lucem protulit, *alterum*: quem, post biennium, Decembris dies vicesimus quartus denuò rapuit. *Anni vicesimi quarti* dies sextus Octobris, Eduardum edidit; Annæ Gonzagæ postea, Nivernensis Ducis filiæ, maritum. *Anni vicesimi sexti* procursus, Henriettam; Transsylvano deinde Principi, Sigismundo, collocatam. Post Henriettam, editus Philippus est; vicesimo sexto Septembris. Post Philippum, *annus vicesimus octavus* produxit Charlottam; in triennium provicturam. *Anni tricesimi decimus tertius* Octobris, Sophiam. *Annus* denique *tricesimus secundus*, Gustavô, Sueciæ rege, Germaniam nostram persultante, Gustavum; Januarii die quartô.

IV. Vide, natalitiorum munerum, & in antecessum impensi mæotri (2) largi, multò largiores fructus; *tredecim*, ex una matre, partus! (3) etsi nondum ad Combês Chalcidensis fertilitatem: quæ *centuriam* marito peperisse ferebatur.

Sed vide pariter, & vitæ casuum, in hujus *Stuartæ* natis quibusdam, varietatem! Ludovicum (ut dictum est) *alterum*; Henriettam item, Charlottam, & Gustavum, ante matrem, sua dies; Philippum autem, in

acie

acie gladius hostilis, extinxit. *Henricum-Fridericum*, filiorum exordium, anni vicesimi noni dies septimus Januarii, (postridie nempe Regalium,) fallente gressum lubricô vestigiô, de navali pontóne dejecit in profundum littoris: ac momentô demersit. & hoc (ô, fatum!) *Harlemensis* ad exscensûs crepidinem: ut sic, *Urbs éadem*, quæ nascituro quondam infanti, cunarum regalium in dono, bombycinum quodammodo trium Cháritum *gremium*, apparârat; postea, jam *sedecennium* & pubertatem nacto, pelagi sui *Sinum*, vel invita, commodaret ad interitum: & exclamare mater afflicta posset, *terdecies* denique pariens; *Duodecim enixa sum* TERRIS: *unum, eúmque primum*, AQUIS! (4)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Sole ingredi incipiente Capricorni Signum, Carolus Ludovicus (is, qui hodie Imperialis Elector Octavus, & Imperio fidissimus, est) natus refertur, vicesimo secundô Decembris; si juxta Gregorianam calculationem historicus, Jansonii continuator, & Rittershusius, incesserunt, Solstitiô* pridie *pregressô: sin autem se-*

Omen genethliacum, irritum.

cundùm Julianam; pridem, *hoc est, diebus decem, antegressô.* (2) *μαίωτρον Græcis, pretium laborum est, quod obstetrici datur.* (3) *Nicolaum Rittershusium adi, in Genealogia Comitum Palatinorum Rheni. in quam tamen subinde* dierum natalium, *aliquando* mensium, *&*, *semel saltem*, anni *quoque eclipsis, intravit: eorum incuriâ, qui ei perscribere singula exactiùs prætermiserunt.* (4) *Id narrat idem Rittershusius, in cit: Genealogia; tam de Henrico Friderico isto, quàm de cæteris,* Elisabetæ Stuartæ *filiis. Cæterùm, acroamate non dissimili clausit exitium pueri Thracis, Cæsar Germanicus, in Carmine, cujus initium,* Thrax puer, adstrictô *&c. quem Germanicum, tantis à Cornelio Tacito in Annalibus, & ab Ovidio, Fastorum initiô, laudibus exornatum, quem, imitari, non delectet?*

METRUM.

D*Um patrium post se Regnúmque fretúmque relinquit,*
Ac Batava Arctoïs pervolat arva rotis,
Scotide de Nympha, (1) *jam Teutonis uxor, Elisa,*
Atque Palatinos orsa Britanna toros;
Læta, leoninô (2) *turgentem hunc pignore, ventrem*
Harlemæa *videt curia, plêbsque videt.* (3)

Ne

Nec, plausisse, sat est. tanti geniale theatri
Extar (4) *ab orchestra* (5), *per cuneósque* (6), *datur.*
Stips Anglo, lucárque, (7) utero, *pretiúmque theatri,*
Congeritur. Cunas hinc fabra dextra struit.
Aurô sponda riget; nitet instita, pésque, tegésque:
Dispositisque micant gausapa chrysolithis.
Gaudet: & ad prolem genitrix præsaga latentem;
Quid dubitas, inquit, nate? capesse diem.
Cresce tuos celer in menses; & solve parentem:
Jam te, Parvum etiam, diphthera Magna manet.
Fata vide, cunásque tuas! nascéris in aurum:
Splendidiùs poterit nemo *cubare* puer.
Audiit; ac plorans, adjecit præscia, (verbum
Correctura unum, *) disticha* Parca tria.
Tu, Puer, ad summas animis spes ibis, & armis,
Dum patriô quæres extera regna Notô.
Sed, subitò fallente gradu, votisque caducis,
Excussus, præceps in maris ima rues:
Cunarúmque aurum vitreîs *mutabitur undis.*
Splendidiùs poterit nemo *perire* puer.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Hæc enim Elisabeta, non in Anglia nata fuerat; sed in Scotia, cùm adhuc pater ejus solius Scotiæ regnum obtineret, &, ut possessor, insideret cum omni stirpe suá.* (2) Leonem *enim in insignibus suis gentilitiis Palatini Comites ad Rhenum, gerunt: ut & Bavariæ Duces.*

Omen genethliacum, irritum.

(3) *Salutatione regalis filiæ publicâ, sæpiùs repetitâ, ovans.* (4) *Sic Sosipater vocat æs theatricum, quod pro spectandi copiâ factâ pendebatur.* (5) *Locô, ex quo Senatores spectabant. hîc, pro ipso senatu, continens pro contento, sumitur.* (6) *Sedilia, promiscuè spectantis populi. Tantum porrò, ex omni undique viciná Hollandia, mortalium tunc accursum extitisse,* Elisabetam *istam spectare contendentium; ut ægrè se, constipatè stantes, movere versaréq; potuerint: Continuator Slejd. annotavit, lib. 18. pag. 1303. col. 2. med.* (7) *Pecunia, ludis, & histrionia, conferri solita.*

APOCOMMA VI:
SANGVIS,
injustè fusus, indelebilis.

I. VIx ullius criminis alterius, quàm ereptæ per nefas vitæ, difficilior est purgatio. *Clamat è terra sanguis*: & à reo Caino, per septingentos adhuc annos, auditur. E prætoriis terrarum corruptîs, ad tribunal cœlestis Judicis incorruptum, sive *palàm voce*, sive *tacente suspiriô*, citati necis injustæ suasores; evolutô, post quod comparére jussi sunt,

ſunt, ſpatiô, diem annúmve præfixum obeunt: ut in magno nuper (nemo dixerit, In quónam?) dicaſteriô vidimus; & ſtupuimus. Stillant in funeribus, & exſequiîs, cadavera; percuſſoris ad præſentiam cruenta: ſicut, annîs hîs, pagani quoque diverſitoris corpus, ad adulterorum homicidarum, factam ex compoſito, complorationem. Balbútit in foro patrona lingua; cùm vel *ſceleſtus* trucidatus eſt, indictâ cauſsâ, privatôq; ferrô; velut in apologia Milonianâ ſenſit os illud, quod omnis eloquentiæ Romanæ fuit alvearium. Pallet exanimî, per vitam univerſam, lurore, per orbem exiliô, ſanguinaria Judæa; poſt JESU Nazareni cædem, adhuc in decimum ſeptimum uſque ſæculum. Quin & ſomniorum imagines quæſtionibus ſicarios inquietant; ut Infans jugulatus, anachoretam illum quot-noctibus increpitans; *Cur occidiſti me?* (1). Non ipſa ſémet Conſcientia, (licèt hîc omnia perfregerit impunè judicum & Areopagorum ſepta,) placat, & abſolvit: ut nec Oreſtem in Clytæmneſtra, nec Neronem in Agrippina, nec Eutropium in Lucia, matricidas, unquam animi remorſus excuſabit.

II. Quid vis? *Peccatum*, homicida,

 tuum,

Sangvis indelebilis.

tuum, contra te semper est; quantùm, & quamdiu quondam, adversùs Davidem, prodita militis Hethæi vita. Siquando verò scelus tuum homines, somnia, formidines, conscientia, *tacuerint*; lapides id subinde, parietes, ac pavimenta, cruoris æternô stigmate, *loquentur*: velut & hôc ipso, quem percursamus, annô factum est; ut, clarissimô rerum ipsarum exhibitô documentô, *Bohemia* judicium iniquum, (ab æquiore judicio, non sinè prodigii monitu, correctum,) spectaret, ac suspiceret.

III. Cùm enim *Ramaus* quidam, Cæsarianæ militiæ, sub *Archiduce Leopoldo*, præfectus, unà cum aliis duobus expeditionum ducibus, in curia *Budovvizensi*, de nobilitate nonnullos, vel nullâ, vel nondum liquente, causâ, capite plexissent: eorum postea *cruor*, quòd nullâ posset hominum elui solertiâ, vel conatu, caussam *Leopoldo* præbuit, deintegro crimina cognoscendi. Judicii porrò Ramæani deprehensô vitiô; cædium illarum auctores *Archidux*, sub ineuntem Aprilem evocatos ad se, convictósque violati juris; pati coëgit, quod aliis intulerant: & sanguine suo nocentî, si non abolere notas, at certè delere

re dedecus, sanguinis innocentis. (2) Ac meritò quidem. Nam, quibus ipsa reddi *Vita* nequit; reddatur *Fama*, *vita-corona*.

TESTIMONIA.

(1) *De hoc fusiùs agit aliquantò, Joannes Moschus, cognomentô Eviratus, libro X. Vitæ Patrum: aitque, Eum denique, nec* horam *quidem* unicam, *ab illius pueruli spectro inperturbatam, habere potuisse; etiam post* novem *exactos in aspera pœnitentia* annos: *donec se demum, in urbe Diospoli, magistratui stitit: infanticidii scelus aperuit: & eapropter sese postridie decollandum dedit.* (2) *Historiam Ramæi, narrat Jansonii Continuator, Tomi Sept. lib. 4. pag. 208.*

METRUM.

IRA, lucrique sitis, duo pessima Juris, & Æqui,
Excidia, & claris crebra ruina viris,
Patritia immeritô multârat funere colla.
Ramæus, quæstor cædis, & auctor, erat.
Sanguinis innocui Budoizia, testis, & index,
Stat, necis annosîs Curia fœda notîs.
Nec fas, aut scalprîs maculas, aut vincere lymphîs:
Usque adeò, vivax & Nece, *Caussa bona est!*

Sangvis indelebilis.

Reſciit: ac, ſolitò Recti LEOPOLDUS *amore;*
Vas (*ait*) eluitur vaſe, cruore cruor!
Ramæúmque jubet, ſceleriſque perire gemellos:
Truncorum rore eſt ebria terra trium;
Nec ſaturata tamen. Leopoldos *nunc quoque paſſim,*
Qui [illegible] *læſis Juribus, expeteret.*
Crimina non deëſſent: Ephori fortaſſe, pedéſque,
Et fora, deficerent, in tot itura reos.
Nominibus, deëſſent tabulæ; damnantibus, urnæ;
Tot jugulis, gladii; tot gladiiſque, manus.

ANNUS

Septennium II. Annus 1613.

ANNUS M.DC.XIV.

Anni M.DC.XIV.
Gestorum
SYNOPSIS.

I. ETiam Quartus, supra decimum Sæculi nostratis, annus, *climactericorum* (quos vocant), propter *alterum* clausum *Septennium*, secundus; gestorum eventuúmque multitudine, diversitatéq;, siquis alius præcedentium, varius erat; &, ut ità dicam, *versicolor*. Rerum ejus ego strictûrâ magìs, quàm enarratione passim pleniore, perambulabo, non nisi memorabiliora: ne, diffusione sermonis, formam operis consuetam egrediar. Libet autem, ab iis, quæ spectant *Ecclesiam*, ac Religionis statum, ordiri.

Pentecostês igitur, quæ Divini SPIRITUS adventum recolit, octiduanâ sollemnitate peractâ, Comes Palatinus Rheni, Dux *VVolfgangus VVilhelmus*, Neoburgicus ad Danubium Princeps, Orthodoxum se publicè professus; Ro-

manæ pietatis splendorem, quantùm oculis hausit ipse, tantùm rectissimìs invicem moribus, ac gestìs, refudit, & auxit. De cujus animi, super re tanti momenti, decretô, déque caussis, ad id impellentibus, seorsim inferiùs nonnihil tradam.

Babylon illa prisca, Chaldæorum urbs, non modò, qualis olim sub Nemródo, Semiramidéque, vel postea Danielis ævô sub Nabuchodonósore, sed &, quæ qualísque temporibus Alexandri, Macedonum regis, successorúmque, fuerat; nusquam hodie, vel *re*, vel eodem *locô* sitúve, superstes est: sed, ut summùm, *appellatione*. quam sibi residuam, è tota vetere majestate Babylonis, decerpsit, & adhuc arrogat, exiguus quidam finitimi soli tractus; cuj *Babylonia* nomen hæret. Et ibi, præter Mahometanos, cæterámque sacrilegi generis coloniam, sparsim, promiscuéque sunt; qui *Christi* quoque *cultum* præ se ferant: at oppidò *dogmatibus* (ut nihil dicam de *moribus*) vitiatum. Et hi Sacrorum suorum peculiarem habent regem; *Babylonium*, inquam, *Patriarcham*. Is, per hos annos, *Elias* erat: quem ipsum, circa credenda præstandáque summopere devium, & in devia suos

ſuos trahentem, hoc annô *Paulus Quintus*, ſummus Pontifex, ad eum ſcriptô miſsôque volumine, ſolerter inſtruit; dum, è divinis pariter, Eccleſiæque primævæ libris, congeſtâ doctrinâ ſaniore, *Chaldaicos* errores deſtruit; & mortales illos in viam *Scientiæ ſalutaris* reducere laborat. (1) Dixerunt, hôc Pontificis conatu visô collaudatôque, Catholici; *Romam*, operâ ſupremi *Paſtoris-animarum*, in *terra* quoque *Sennaaraa* (2) deſerta loca, periturarum ovium ſollicitudinem extendiſse: ſectaria contrà factio, ſuô maledicendi more; *Babyloni, curæ fuiſse Babylonem*. Quam quidem iſti verborum contumeliam, intrà centurias Magdeburgicas, aut Genevæ librarias officinas, uſqueadeo non continent; ut eam, & id genus alia probroſa dicteria, non erubeſcant, trans Europam etiam, in extrema terrarum ac marium, avehere ſecum: &, in maximam Chriſtianæ religionis univerſæ, non magìs invidiam, quàm ſtragem, circumferre.

II. Fecerunt id, hôc ipſo, qui nobis ſub manibus eſt, annô, Geuſiorum quidam, & Albiónis, ſeu quis eos *inſtitores* appellare, ſeu *piratas*, malit: qui, navigationibus ſuîs in *Jáponum* quoque regna penetrantes, Imperatorem

Anni Acta.

torem illic insulæ totius, *Cubosámam*, (3) invenerunt; in veros Christi cultores, tum vel maximè, ferrô, flammîs, & omni sævitiâ, ritúque belluarum, ferocientem. Ejus rabiei cursum, plusquam nimis jam antè ferventem, suîs, in Ecclesiam Romanam, in gentem Hispanicam, in Jesuiticum ordinem universum, contumeliosîs dictis, & mendaciîs, (4) *impii mercatores* illi multò vehementiùs inflammare cœperunt: & in *neophytos*, utriusque sexûs, omnî genere suppliciorum, cum doctoribus suis excruciandos, de composito stimulare. Cæterùm, illi quidem, pro Christi gloria fortiter occumbentes, feliciter confecti-cursûs *præmia* retulerunt. pyrarum verò Japonicarum ciniflónes isti, mercedem *suam* cum iis *exspectant*; qui, cùm piis necem inferrent, existimabant, *Obsequium se præstare DEO*. (5) quod, cujusmodi sit, fuerítve; *Josaphati vallis* discernet.

III. Utcunque verò tolerabiliùs inter *seipsos* in *Europa*, quàm *foris* in *insontes*, sævierunt *heterodoxi*; tum alius alium de pulpitis templorum (qui mos Rabulis est) declamationibus proscindendo; tum latè *Genevensis protosynagógi* bellicosum, & inquietum, spiritum propa-

propagando; contrà, quàm, ad id uſque temporis, Imperii mores tulerant, ac decretorum comitialium ſepta limitârant.

Horum in numero, longè, quàm *Dux Neoburgicus* nuper, aliâ diversâque ſacrorum mutatione, ſeceſſit à ſeipſa, magna pars gentis illius, quæ, vetuſtîs *VVandalîs*, & vetuſtioribus *Avarpîs* oriunda, *Márchiam* hodie *Brandeburgicam* tenet. Hi namque mortales, hoc eodem annô, ſuam *Confeſſionis Auguſtanæ* factionem, in *Calvinianam* abſtraxerunt: &, auſpiciîs maximè *Joannis Sigiſmundi*, Marchionis (6) ſui, cónditas has, & his ſimiles alias, *Evangelii novi*, nec antehac illic auditi, leges ſibi ſanxerunt.

IV. E templis omnibus, Imagines omnes, & ſtatuæ, tolluntor. Altaria ſaxea, quia *Pontificiorum* opus, dejiciuntor. His menſa lignea, linteô nigro velata, ſubſtituitor. *Cœnæ-Dominicæ* tempore, mappa candida ſuperinſternitor. Tabulæ, Cruces, Crucíque

cíque ſuffixus Chriſtus, pictus, fictus, ſculptus, aut metallô fuſus, quia *Pontificii* ritûs, penitùs exterminantor. In *Cœnis-Dominicis*, non orbiculatæ *Papiſtarum hoſtiæ*, ſed nudi panes, ſimilagineæ maſsulæ, placentæque bene latæ, ſed in oblonga ſegmenta diſsectæ, déque lancibus exemptæ, populo dantor in manus. populus verò, quod quisque viritim accepit, id ipſe ſuâmet manu frangito, comedito, ſuum in uſum vertito. Calicum, in *Cœnis ſynacticis*, uſus tollitor (quoniam & *Papanis* eorum uſus eſt): è ſcyphis autem bibitor. Inſtitutionis *Cœnæ-Dominicæ* narratio, poſthac legitor; & non cantator.

Septennium II. Annus 1614.

tor. Ante *Collectam* oratio præmitti ſueta, deinceps prætermittitor. Sacrificæ veſtes, & apparatus *Miſsarum* univerſus, abolentor. Nec candelabra, nec candelæ lucentes, vel in aris in poſterum, vel alio templorum ullo loco, tolerantor. Cœnaturientibus in *ſynaxi*, mappa poſthac ne præpanditor. Ad porrectam quoque *Cœnæ* portionem in ſynaxi; cœnans, inclinare caput, tanquam ad Chriſti præſentiam, caveto. Sub iiſdem quoq; ſynaxibus, *Cœna*, non à genu-flectentibus, aut proſtratis; ſed à ſtantibus, aut alio ſitu corporis utentibus, percipitor. *Crucis* expreſſio, peractâ benedictione, negli-

negligitor. Presbyteri posthac, altaribus adstantes, faciem cœtui, non dorsum, ostendunto. *Collectas* iidem, & Epistolas, *legunto*; non *cantanto*. Peccata presbytero confiteri, posthac antiquatum in perpetuum esto. Nomine JESU pronuntiatô, caput, nec inclinator, nec aperitor. In cathedris templorum, precatio, non silentiô, sed sonorè, peragitor. Ad ægros, quoniam, (luis præsertim tempore,) contagionis periculum sanis impendet, *Cœna-dominica* ne deportator. Baptisteria lapidea (quoniam *Papismo* sueta) destruuntor. his, pelvis substituitor. Epitaphia, Christíque, cruci suffixi, simu-

ſimulacra, poſthac in templis ne tolerantor. Decalogus, & Catechiſmus, immutantor. *Sancta-Trinitas* neutiquam, aut ſculpitor, aut pingitor. Verba, de myſterio *Cœnæ-dominicæ*, ſenſu ſanô (putà, *Sacramentariorum* inſaniâ) capiuntor, & explanantor. Epiſtolarum & Evangeliorum vicem, in templis, poſthac lectio ſuppleto; lectioníque ſubjecta mox explicatio, partis alicujus bibliorum, nec Epiſtolicæ, nec Evangeliſtarum, introducitor.

V. Cæterùm, invenerunt hæc *Decreta*, tam inſolentia profanáque, tum quidem, recenti re, provinciales Marchiarum Ordines, omnémque præſertim *Boruſſiam*, ſibi prorſus obſiſtentes; & *Confeſſionis Auguſtanæ* doctrinam, (quippe, cujus tutelam, initiô ſuſcepti

Principatûs, Elector *ex pacto*, juratóque, promisisset) constanter urgentes. (7) Prævaluit nihilosecius, & auctoritate legislatoris, placita sua propellentis; & obsequiis *ministrorum*, à Principe pendentium, ad omnia venalibus; paullatim quoque demum vulgi, (novitate gaudentis,) haud exiguâ parte subscribente, factio *Calvinismi*: donec eò denique loci deducta res est, in quo nunc eam videmus; invitôque licèt diu, cúmque cæteris quibusdam tumultuante, *Berlinô*, (8) Lemannici lacûs eluvies, ad usque Baltici maris oras, latè se passim effudit: ac pléraque nunc inundat.

VI. Et hi quidem, è *Lutheranis*, quæ sibi superiore sæculô majores eorum compegerant, septîs, ad *Geusiorum* hœdilia transgressi; seipsos *Ecclesiam* fecêre (si superis placet) REFORMATAM; cùm quidem, *eorum, à quibus transfugerunt*, *judiciô*, phrasîque, seipsos pejùs *deformare* vix potuissent. Nondum se tamen *Ecclesiam triumphantem*, Angelos, cœlicolas, aut Deos, constituerunt: ut tamen hoc ipso tempore *Thuringus* quidam, in notissima Saxoniæ provincia, cum sectatoribus suis fecit: è *Lutherano*, diversam à patriarcha suo, miréq; novam, *Hæresiarchiam* affectans. Hic, ortus

ortus *Langensalzæ*, patre, virô nequaquam illiteratô, Scholæque *quondam* rectore, (nam, nova filiô moliente, jam diem ille suum obierat) nomen sibimet asciverat, quod à teneris non habuerat; *Ezechielem Medénum* (9).

Is, complures sibi, potissimúmq; de municipibus suîs, adjungens; circumducebat discipulos diversi sexûs, ætatis, conditionis. In his, eminentiores, Isaiam (10) quendam; qui, probrosâ priùs appellatione dictus *Ocrea* (11), postea *Christi* cognomentum scelestus assumpsit: Nicolaum, *Magnum-Deum*; (12) pueros item duos; & ipsius Ezechielis quoque, defessi jam olim uteri, matrem, eóque tempore vetulæ-rugosæque formæ viduam; semper antehac sibi, domesticísque suis, ac viciniæ, *Barbaram* appellatam: tunc autem, repentinâ suî mutatione, *Mariam de Mundo Medénam*, an potiùs, *universo salutarem Orbi Puellam*, Deíque matrem, *Virginem æternam*, (13) & dictam, & existimatam? Eáq;, *liliorum* (quæ *Virginitatis* symbolum esse solent) imitatione, solîs, per omne corpus, *albîs* operimentis amiciebatur; à vertice capitis, ad talos usque plantásque *pedum*. quibus (ut ità ludam) nihil, ad plenam *Mariæ Dei-parentis* simili-

militudinem, deerat; præterquam *serpens*, & *Luna*, calcatæ. Sed istæ videlicet imagines, mulieris hujus in *lunatico* capite residebant.

VII. Dresdam porrò Saxonicam, Electoris sedem, cum potissima discipulorum suorum turbâ, tractus; ac Synedrii severis quæstionibus agitatus: hæc ferè de se, suísq; tanquam omnium unâ voce, deprompsit *Ezechiel.*

Se *grandem cœli Principem* esse, Michaëlem: qui cæteroqui, DEI-VERBUM, nominetur. Non aliud usquam esse DEI-VERBUM, præter Unum unicum, per se subsistens; semper manens ac vivens Verbum, Ghristum JESUM: Extráque Verbum hoc, illud, quod foris scriptum extet, & quod è cathedris sonet, nihili pendendum esse. Quod ipse, quódque sui, sentiant, ac mundo promulgent; id occultis sibi revelationibus, selectísque somniîs quibusdam, per divinum Spiritum innotescere. Divinas leges, & mandata, se, quíque sectæ sint istius, exsequi plenè perfectéque posse. *Baptismum*, qui Lutheranorum in templis conferatur, magicas esse præstigias: cùm, nisi per DEI Spiritum, nullô modô contingere cujquam possit *ablutio.* Filios, qui vel ex se, suâque conjuge, vel è suis asse-

aſseclis, (utpote juſtîs, ac deli&ô carentibus,) naſcantur; *Naturâ* juſtos & *Sanctos* eſse: propter eáque, baptiſmô non egere. Lutheranorum, in ſynaxibus, Cœnam dominicam, non eſse, niſi præſtigias magicas: Veram contrà, legitimámque Cœnam, Apocalypticîs illis deſcribi verbîs; *En, ad oſtium ſto foris; & pulſo. Siquis vocem meam audierit, & oſtium aperuerit; ad hunc ingrediar: cum hoc mutuò cœnabo*. Chriſtianam, in terris adhuc agentem, Eccleſiam, eſse ſinè deli&o, ſine macula, ſine ruga, ſine labe quavis, debere: cùm alioqui, vel uno talium inquinata, futura non ſit Eccleſia. Cæterùm, Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti, typum & imaginem, ad vivum exemplar expreſsam, & unam unicam, *Iſaiam* eſse ſuum, agnomine tunc Chriſtum; cognomentô quondam (ut di&um ſuperiùs eſt) *Ocream*. Chriſtum, Servatorem noſtrum, tam *perſonâ* ſuâ, quàm *naturâ*, totum, quantusquantus ſit, eſse ſecum, (hoc eſt, cum Ezechiele Medéno): ſéque *Grandem cœli Principem* (eundémque, Michaelem, & Dei verbum, & Ezechielem,) in ſuopte, quod judices viderent ac tangerent, corpore poſſidere, circúmque ferre, *Carnem* pénitus eandem; quam è matre ſua,

Dei parente, Christus suscepisset; quámque pendens, patiens, moriens in Crucis ligno, gestâsset. Proinde quoque, quodcunque gereret, gerendúmque mente conciperet, ac factîs expediret; id secum & Christum, agere rebus, & agitare mente. Quocirca, vel ex hujus caussæ fonte, promanare, (si cæteri deessent Innocentiæ testimonia,) quòd ipse, quódque sui, peccatô carerent (14). Vi præterea, sic cohabitantis sibi, suísque, Christi, se de *mortalibus*, jam tunc esse factos *Immortales*. Denique, nec *Resurrectionem* olim fore *mortuorum*; nec *Vitam æternam*: quippe, *mundo* se jam olim, semel ac simul, fuisse *mortuos*. Æternæ verò vitæ, quam pollicitus esset Christus, lætitiam sese, suîs in corporibus, certô certiùs, & plenîs fructibus, jam tunc experiri.

VIII. Quæ retulimus; ea dictîs ac scriptîs *Ezechiel* hic, cum suis, enuntiavit: paritérque, pertinaciâ mirandâ, sibi, contra quasvis oppositiones, in consessu *Judicum togatorum*, tuenda suscepit. In quo synédrio, perridiculum id accidit; quod Judicibus, sciscitantibus de Doctrinæ firmamentis, simul omnes reposuerunt, astutô non minùs, quàm acu-

aculeatô, defensionis effugiô. Cùm enim illius consessûs princeps interrogaret; Num, sectæ tam inauditæ stabiliendæ, prodigium ullum, aut signum, naturæ viribus altius, proferre nôssent, ac possent? *Enimverò, tepida* (succlamant illi) *postulatio!* Perinde, quasi non jam pridem isti quæstioni, nostrô velut omnium ore, Christus noster, Matthæi duodecimô capite, responderit? *Hæc* ADULTERA GENERATIO, *Signum quærit: & Signum non dabitur ei*. Fuerant autem omnes, qui tunc adversùs Ezechielæos illos in concilio Dresdæ sedebant, *Ministri verbi*, *pastores*, *Speciales*, quos vocant, ac *Superintendentes*: Ezechiel verò (sicut ipse sese prædicabat, & multi credebant,) *os*, *& Verbum*, *Dei*.

Cùm igitur hi conceptis ab opinionibus, & decretis, deduci nullo modo possent: pars eorum in vinculis missi sunt Königstenium, Misniæ munitissimam arcem, ad Albim sitam. Dresdæ verò, retentus in custodia dux sectæ: cui subinde, ne solitudine tabesceret, adjuncti captivitatis socii, factionisque participes, plures sunt; Langensalziô Dresdam evocati.

IX. Cæterùm, tantam rerum opinio-

númque, tam in divinis ac sacrîs, quàm in humanis profanísque, novationem; ne sidera quidem, elementáque, suì vicissim immutatione, dissimulare visa sunt: ac præteritorum præsentiúmve quædam arguere; probare contrà, sanctiora: futura verò præsagire, vel minari.

Cœlum Orientis Europæi, *Crucem* exhibuit purpuream: geminatum item Solem. (15) In Transsylvania quoque, Varadíni, finitimâ Pannonibus urbe, (quam & ipsam Turcæ nuper occupârunt,) mediô Februariô, per biduum continuum, terra non modò movit, insolentî tremore; sed etiam è suísmet visceribus, tanquam è nubibus ibi latentibus, claro fragore tonuit. (16) Quo videlicet eodem ferè tempore *Bethlenius Gabor*, cùm tormentis suîs bellicis, tum verborum furiîs suîs barbaricîs, omnem ubique lapidem movebat: ut omne Daciarum solum, & nomen, ditioni subjiceret Achmetis Byzantini; cujus ipse stipendiarius, publicè *Servus-Fidelis*, & audiebat, & erat, (17) adversùm Christianos. In Carinthia, ditionis Austriacorum provinciâ, quam Dravus amnis ab Occasu Solis, orientem versùs, percurrit, quæque meridiem ver-

versùs ad Fori-Julii, Savóque flumine perambulatas, terras vergit, frumentô pluit. ſed non ideò fertilitate, quantùm oportuit, lætâ, vel optabili: quia grana, tincta colore rubicundô, prænuntiare viſa ſunt illa, quæ non ità multò pòſt, *Auſtriacas* inter, *Venetásque* copias, ad Gradiſcam maximè, ſævière certamina: donec utramque denique partem, armorum juxtà, cladiúmque, cepit ſatietas; & compoſuit, etiam caſtrensî ſequeſtrâ fame. *Neméthi* verò (qui locus eſt excurrentis in Transſylvaniam Ungariæ, Bethlénum inter, & Coloſwariam, medio ſitu, Septentrionem ſpectans,) fons, aquæ vicem, ſanguine non *manavit* tantùm, ſed planè *bulliit*; &, effervescenti ſimilis, ſurſum ac prorſum ejaculatus eſt latices, horæ ſolidæ ſpatiô. (18) cùm inter hæc, & Gabrielis illius Bathorii, de quo dictum eſt annô ſuperiore, cædem propinquitas ejus per ſummam crudelitatem ulciſceretur; *Mediſchii* (19) de turris faſtigio dejectis quibuſdam, quos necis Bathorianæ participes deprehenderant. cùm, præter hæc, & *Gabor*, (qui Bathorio ſuffectus à Turcis fuerat,) obſequium Turcicum, hoc eſt, *jugum ferreum*, omni vî, Dacorum cervicibus impone-

Anni Acta.

poneret: ac tyrannus insuper Achmetes, ante complurium, qui jus dicebant, aut negotia principis curabant, ædes, oblonga veria ferrea jussisset infodi, defigíque; Bethlenii Gaboris mandatorum ac nutuum contemptoribus, aut Cæsari benevolis, in supplicium inevitabile destinata. Cœlestia tamen consilia, decretáque, præsentibus his armis arma longè cruentiora, Gaboris etiam, aliorúmque nefandis ministeriis, in annos proximè secuturos, abscondita tenebant. Attamen inter ista, tot atrocia, *Gallicani* saltem cœli *prodigium* hilarius fuit unum; horarum aliquot *stella pomeridiana*, clarissimi fulgoris: & inferiùs quoque nobis, in admirationem peculiarem, recursura. Nam ordinem rerum egredientia, non debent in ævi *grege* recenseri.

Gregaria verò quodammodo, plebejáque res, & in annos ferè singulos sese reciprocans, milites, ac bella sunt: quæ nec anno præsenti defuerunt. Sed iis præmittere *Seditiones* libet, ceu *præludia bellorum*: quemadmodum, qui grandes & famosas maris tempestates describunt, antecedentem æquoris inquietudinem, & cœli fluctuúmq; tumultum prævium, narrationis in fronte constituunt.

X. Or-

X. Orditur autem turbarum hujus anni famam, à seipsa, visceribúsq; suis, Europæa Gallia (20): per Gramondi Tolosátis, & Appamiani Præsulis, ac Mercurii Gallobelgici, cæterorúmq; Celtarum, expositiones historicas sonora. Potentior, quàm pro generis claritudine, Galliarum apud Reginam, Mariam Medicæam, *Conchinus* (21) erat, Conchini filius, Joan. Baptistæ Conchini nepos; illius, qui Cosmo quondam Magno, Florentiæ Duci, fuerat à secretis. Eum, auctoritate gratiâq; *Leonora Galigäja* conjugis sibi conciliatum, *Maria*, quoad regnum adhuc pro filio Ludovico moderabatur, & *Marchionem* creaverat *Ancræum*; & ad summum regni totius Equitum magisterium evexerat: ingratiîs plurimorum, inprimísque regii sanguinis & palatii magnatum querelîs frementibus; *Externis duobus* (nam & Galigäjæ, Tuscum erat, humillimæque sortis, genus) *plus tribui*, *quàm aliis omnibus*, *aulæ ministris*. Indè, contra Reginam, multorum ora; Condæi verò Ducis, (Henrici II. Borbonii,) scripta, questibus referta. Quibus ut obviàm iretur, tardiùs quidem, & (*) instabiliùs aliquousque, sed tandem tamen, & adhuc in tempore; perop-

por-

Anni Acta.

portunè cécidit: quòd, hôc ipso tandem annô, *Ludovicus rex*, inter impuberes hucusque census, & sub arbitrio matris habitus; regiô Gallorum veterum institutô, *Major-annis* palàm pronuntiatus est: &, à matre sibi per manus tradita, Regni gubernacula supremo dominatu suscepit; postridie Calendarum Octobrium regimen exorsus. (22) cùm, jam antea cœpta *Condæana* Procerum societas, ne tum quidem in partibus otium respiceret: iîs, (ut videri volebat,) inflammata caussîs, quas, ex *Ancræana* potentiæ suscitatas invidiâ fuisse, superiùs memoravi.

XI. Sed ego, præter illas, idoneum secutus assertionis auctorem (23), motûs istius originem etiam aliam reperio. nequis dubitare posset, *Quin ægrè mundi tranquillitatem dissidium turbet aliquod, cujus non scintillam primam mulieres sufflârint.*

Guisia Contiáque, fœminæ Principes, in flagrantissima *Reginæ matris* gratia natantes, lætissimîs eam, & assiduis, hyeme præsertim hujus ipsius anni, cœnîs ac ludîs frequentârant: aliîs, ejusdem censûs & ordinis matronîs, consortio non adhibitîs. Eô proin ipso, cæterarum nonnullæ, quæ non vocabantur, exclu-

sæ

sæ despectæque sibi visæ; ringebantur, ac fremebant. Præ cæteris autem, æmulatione flagrantes, Nivernæa Dux, & heroîna Suessionensis, tunc quidem vidua; sed ambîta Duci Mayenio: quibus poterant, querelarum iræq; faculîs, etiam virorum animos in reginam, cænarúmque socias, incendebant: *illa*, Nivernæi Ducis, *hæc* Mayenii. Cæterùm ab his in alios sensim aliósque, (tanquam argentô quopiam vivô,) currente murmure, questibus, & à regina mentium-alienationibus: aulæ deniq; magna pars, haud salutatîs regentibus, est dilapsa: penéque transfugii simulacrô quodam, Principum alius aliorsum, eruperunt. Primus, *Condæus*. tum *Nivernæus*, *Bullionius* & *Maynius*, ac *Longavillæus*: &, inter hæc, *Cæsar* quoque, *Vindocinensis Dux*, Gabrieliæ filius; vinculîs, in quibus eum Medicæa Regens attinuerat, elapsus. Et Bullionius quidem, etsi cæterorum (ut Gramondus scriptum reliquit) concitator, & secessionis *caput ac fomes* haberetur; Genevææ disciplinæ, cujus *tunc* erat, suetâ dissimulatione, Parisiis aliquousque tractâ morâ, subsederat. specie tamen denique, dilapsos reducendi, Reginæque reconciliandi, digressus ipse quoque; Sedánum,

sui

Anni Acta.

ſui principatûs ſedem, receſſit: urbem, in extremis Orientalis Galliæ, Lotharingis & Luxemburgiis finitimam. At in ultima Campaniæ Gallicanæ Nivernæus principiò ſtatim irrumpit: ubi *Meſieras* urbem, & arcem, occupat, egregiéque munit. Sueſſiones Maynius invadit; Picardiam Longavillæus: Armóricos, &, quæ *Minoris Britanniæ* vocabulô cenſentur, Galliæ partes, *Cæſar Vindocinenſis*; juvenis, conjugiô nobiliſſimô Mercuriæ, (Ducis olim Mercolii filiæ,) Proregiâ quoque dignitate, firmîs arcibus, & magnîs à patre ſibi relictis opibus, glorioſus.

At *Condæum* fortunæ varietas flexuoſior circumagebat. *Caſtrorúſum* enim primò delatus, cùm moram illic, neque tutam ac firmam, nec adeò pro dignitate, futuram crederet; in Campaniam ſe, Nivernæíque contubernium, recipit: ſed nec ibi diuturnus. Cùm enim, ſub hujus anni medium jam Majum, inter Reginam, ac Principes, ab ea divulſos, de pace, (ſicut mox dicam,) ac dimittendo milite, præter exſpectationem apud pleroſq;, conveniſſet: Condæus Ambaſiam abiit. ubi, tam urbem, quàm arcem, communire pro viribus intentus, cùm imminere Pictavis Bonivétum Mar-

Marchionem, Vindocinensis partes foventem, intelligeret: Ambasiâ relictâ, Pictonum terras petit. At Pictavorum Episcopo, Castanæo, novarum molitionum suspectus; quanquam Borboniæ gentis, ac regii sanguinis Optimatum primus tunc, & spectatissimus; portis urbis, armorum vi, prohibetur, & excluditur, inermis ipse, militúmque nudus: quippe, quos ex fœdere jam tum dimisisset. Verùm hæc posteriùs, & annô vergente jam in autumnum, evenerunt: cùm inter hæc neque *regina*, quod sui muneris rationes exigebant, negligeret: & *Rex* filius matri, (cujus administratio palàm à diffidentibus Proceribus infensabatur) in nullo defensionis genere deesset; ità pietate suadente.

Vastabat flammîs, ac ferrô; raptabátque prædîs, & exhauriebat, Armóricos, (suámmet nempe provinciam) Cæsar Vindocinensis. Alibi, Condæani militem, pro suî, sicut ferebant, ac regni tutelâ, contraxerant; ad Suessiones stantem; quem & *exercitum* nominabant: mille cataphractos; totidem, & quingentos insuper, equites, armaturæ levis; ac peditum præterea tria ferè millia; discordium aulæ Principum, extra Vindocinensem, unicum

cum universúmque robur. At Reginæ regíque, dictô citiùs in promptu stabant, priúsque, quàm illis alteris dimidium delectûs procederet; Bassompétrus, &c, Helvetici ductor præsidii, Galatisius: cum fortissimorum tribus millibus. prætorianorum quoque Regis, millia quatuor: & novis mox delectibus auctæ vires, ac numerus. Ad summam! Optimatum, adhuc in fide perstantium, operâ studiôque, decem millium pedester, trium millium equestris exercitus, statim in oculis: aliorum sex millium, aliunde suppetias euntium, in procinctu jam erat, & accursu. Summæ rei *Guisius* (24) à Rege præficitur: ab regina verò, secundùm hunc, in Campania, cum manu validâ, curare contra Nivernæum *Praslinius* jubetur. (25)

Jámque pro satìs explorato tenebatur; copias eas, quæ multitudine, caussæque bonitate, præminebant, dimicatione quoque prævalituras. nec effugissent *uniti* cladem; nisi, Gvisii Ducis erga Principes, à se bellô prosequendos, commiseratione, Reginæque potissimùm in pacem, (etiam pæne precariam,) inclinatione, Condæus, Nivernæus, & socii proceres, ad compositionem, vel serò, respicere cœpis-

WOLFG. WILHELMUS.
Dux Neoburgicus, etc. Com. Pal. Rh.

cœpissent. Hi primùm legationibus binis, ac tamen irritis, invitati; vix demum adultô propemodum vere, convenerunt; iique, præter unum *Vindocinensem*, omnes. Placuit, agendis inter se rebus, pacísque legibus scribendis, locus, *Menechildis fanum.* (26) Ibi, per regum internuntios, & ex eorum mente mandatísque, cum Optimatibus, qui secesserant, actum & collatum indulgenter est: promissáque, fide regum, antè-gestorum omnium, non oblivio modò, sed etiam apud Galliam, & exteros principes, excusatio: *tanquam boni publici, non rebellionis studiô, discessum* ab aula primùm, dein ad castra ventum esset. Redditio sumptuum, in arma socialia factorum, ostensa de publico Condæanis proceribus: ingens sanè pecunia. Nivernæo novæ, Mesierarum ad arcem, ædes extruendæ, destinatæ sunt. Ambasiæ, tam urbs, quàm castellum, Condæo, *depositi jure*, cum præsidio cohortis unius, certum ad tempus, promissa.

Sed, è diverso, (ne nihil ipsi Regibus præstarent) latæ conditiones sunt: utì novæ, ceu Mesierarum urbi nimis contiguæ, munitiones arcis, à Nivernæo diruerentur. In Armoricis, à Vindocinensi (quem rex præfe-

ēturæ Britannicæ restituebat) *arx Blavéti*, juxtáque munitiones, in planum deducerentur. Præter centum ad Mesieras, & ducentos ad Suessiones, pedites, præsidii causâ permissos; reliquus miles, quà stativis inductus, quàque sub ineuntem annum, per nuperos Principum motus, urbibus impositus, nullâ morâ dimitteretur. Factionibus denique quibuscunque, tam intestinis, quàm extrà regnum ineundis, abstineretur; & initis, ab eo die, repudium mitteretur.

Acquieverunt omnes (præter *Vindocinensem*, tunc absentem, & adhuc bellantem,) huic fœderi *Principes*; ac subscripserunt, ad decimum quartum Maji. Firmârunt annulô, rex, & regina mater.

XII. Sed nempe, *Nulla pax tabularum est; nisi firma sit & animorum*. Voluntates in eam adigendæ, non verba, sunt. alioqui, nec vera, nec esse diuturna potest: ubi potissimùm, resilire paratis, adhuc alicubi fulcrum, & receptus, superest; uti sanè tunc *Cæsar Vindocinensis* erat. Is pacificantium in verba, nec juràrat ipse; nec, siqui jurata retractarent, præsidiis videbatur suis exclusurus; immò potiùs ad signa sua prior, & ultrò, pellecturus. Hic, aliâ

altâ præsertim adhuc memoriâ captivitatis, quam fugâ nuper exuerat, & , siquid aliud in eum Regina severiùs aliquando decrêsset dixissétve, persistens Armoricanis in armis; nec ipse militem , utì jussus erat , sacramentô solverat: & Marchionem Bonivétum, eádem in obstinatione, valido cum equitatu regis terras persultantem, in partibus retinebat. Arcem, nec *Biaveti*, nec alias , recèns exstructas , ex decreto regio dejecerat : & videbatur , ad se Condæi quoque studiis retrahendis , inhiare ; gravis, (si fieret id,) & longævus, hostis perstiturus.

Cùm, ecce , reginæ promptîs consiliîs & animîs, in eum, nihil minùs suspicantem, *Brissácus* , Equitum magister , sex Helvetiorum millia, recentissimè quidem conscriptum, sed acerrimum tamen militem , inducit : eúmque coërcet. In Pictonas, ipse Rex irrumpit; non major *quatuordecennî*; stimulô matris, comitatúque Gallicanæ nobilitatis, inter agmina cataphractorum , & equitum immensa robora. *Bonivétus* in fugam statim avertitur : miles ejus dilabitur : episcopo Castanæo Condæus reconciliatur. Tum, ad primum regis, in Armoricos transgressi, conspectum, animi rebelles,

les, & arma *Vindocinensi* quoque, cadunt. arx Blavéti, vetitæque munitiones cæteræ, solo procumbunt. Rex, incruentum à domitis provinciis exercitum reducens, Parisios sospes redit: expeditione *brevissimâ* compos ejus voti factus, quô, sic profluente, vel *longissimâ* vix feliciùs triumphâsset. *Tanti* subinde *refert*; *à regibus bella, non mandari magìs, quàm geri!*

XIII. Cæterùm, Galliis solô jam deinceps, pro potestate suprema, præsessurô Ludovico XIII., sublatîsque *muliebrem* adversùs *dominatum* quiritandi caussis; aliquantisper tumultuum in republica motus resederant. non dormiebant, in *Ancrei* concepta potentiam, odia; suô, nec longô pòst, tempore, collectionis datô spatio, furiosiùs insurrectura.

Tantisper autem, nec *Germaniis* suæ defuêre turbæ; quanquam, nec *urbium* egressæ septa; nec ferè, nisi *plebejas* intrà factiones bacchatæ: donec immodicæ licentiæ furiis, severitas Imperatoris intertonaret; fulmine *proscriptionis* partim extinctis, partim mitiùs afflatîs censoriâ pœnâ, pœnarúmque commi- natione, nocentibus urbium incolis: earúmque, Francofurti præsertim, & Aquisgrani, turbatoribus.

XIV.

XIV. Ac *Francofurti* quidem, Imperialis ad Mænum urbis, (quam à *Francorum transitu*, repertôque fluvii *vadô*, dictam sic Ligurínus, aliíque, censent) quietem exagitare cœperant, ab anno jam præsentis ætatis duodecimô, nefarii quidam, nec pauci, cives; nocturnîs juxtà, diurnîsque cœtibus, intrà parietes delectorum sibi penatium, conglobari soliti. Processu verò temporis, aliîs super alios in colluviem suam pertractîs, vehementer & numerô creverant, & virium fiduciâ: minùs ut bienniô, jam & iis inciperent esse formidini, qui malè-quietis esse terrori debebant.

Ad ineuntem igitur hujus anni Majum, (27) concursu factô, *Senatum*, in curia sedentem, occlusîs priùs auctoritate privatâ portîs urbis, dein & curiæ; postulatîs primùm impudentibus importunîsque, sunt adorti. Non annuentẽ deinde, proptereáq; per dies aliquot conclusum, & captivo simillimum, attinentes; minîs atrocibus, & omni genere malorum intentatô, tamdiu premere perrexerunt, ac perurgere: donec, si salvis esse capitibus ac fortunîs in urbe vellent, priores, & ultrò demum, in ordinem sese redigentes, magistratu

decederent; professi tamen, & palàm clamantes: *Invitos se, contráque jus gentium, indictâ causâ, per vim, dejici dignitate.* Quod totum, quid erat aliud; quàm, imperiô sordidæ plebis, exauctorari Senatum; cujus à Cæsare proximum erat in plebem imperium: & subesse præsides, ac, præposterô more, præsidere subjectos? Quapropter, hîs cognitîs, indignari *Matthias Cesar*: mandare motuum istorum repressionem; in reos, accuratam quæstionem; dejectique Senatûs, quàm celerrimam restitutionem.

XIV. Ei negotio præfecti, qui proximi degebant, *Elector* Moguntinus, *Joannes Suvikardus; & Ludovicus, Hassiæ Landgravius*, Darmstadianus. qui, per suos illico legatos, etsi gnaviter in curam eam incumberent; apud obstinatos tamen nihil proficiebant: non ipsi vocibus, suæ Cæsareæque voluntatis interpretibus; non Cæsar, acerrimîs decretis, ac proscriptionum minîs. Enimverò, cùm declarasset Imperator: se, quemadmodum in rebellionis auctores & participes, (ni cœptîs absisterent,) exempla novissima statuturus esset; sic, quiescentibus ac morigeris, &, inter eos, *Judæis* quoque, (28) præsidium ac favorem esse

ſe præſtiturum ; accendit ea promiſſio, contumaciam hinc quidem adversùs ſupremam poteſtatem : illinc autem invidiam, odiíque flammam, in *Hebraos*. Iſti porrò, pro vetere ſua ſuperſtitione, *Jeroſolymorum excidium* anniverſariâ lamentatione, die menſis Auguſti xxv. reculturi ; *taurum altilem* herbis ſepulcreti ſui, ſolidum per annum, ſaginârant : ut eum die *Threnorum* ſuorum immolarent. Is ergò bos, Auguſti die viceſimo primô (qui *Dominicus* erat) è ſtabulo ſuo, ſub diluculum, abruptìs repentè vinculìs, erupit in libertatem. ídq; ſtatim lævum Judæis omen eſt viſum, ſecuturæ non multò pòſt infandæ cujuſdam calamitatis. Et profectò; popæ quidem cultrum *bos* effúgit : non evasêre præſagìtum ſibi malum, domini *bovis*, ac dominæ.

XV. Nox etenim intercelſerat unica : cùm, poſt increpitos Edictô Cæſareô jam dudum cives, & inquilinos, ſiqui turbas in urbe curiâve civiſent, aut cientibus operam, ſtudium, favorémque, commodâſſent : novi motûs emerſit occaſio.

Nam, nequid ſollicitudinis, in reducendâ per omnes ordines tranquillitate, Moguntini Darmſtadianíque Principum legati prætermitterent:

Aa 4

terent: Augusti vicesimô secundô die, filios quoque familias, qui pubertatis jam militaris essent, omnémque *cœlibem* è tabernis opificum juventutem, in forum convocatos; eorundem illorum, quæ *viris* inculcârant, graviter admonuerunt: ostentatîs, siqui fortè parére detrectarent, eminus pœnîs, cominúsq; pœnarum minîs; & obiter interspersô simul salutarî, (periculosa magisteria, tabernásque seditiosorum, relinquendi,) consiliô. Sed hîs illi dehortationibus, aliisque talibus, tantùm abfuit, ut proficerent apud solutissimæ licentiæ multitudinem; ut, & *mandatis*, & *mandantibus*, exsibilatîs, haud paullò proterviùs indè, quàm convenerant, abirent. Ad vesperam verò, pars suopte furore, *gratuitóque potiùs*, quàm ob pretium, aut cujusquam gratiam parandam, *mali*; pars autem, à factiosis, ac turbarum ductoribus, (quod pòst compertum est) impulsi, confirmatíque; sub horam pomeridianam ferè sextam (29), tanquam opere jam soluti, maléque die talî, (qui *Luna* fuit,) feriaturi, vicîs ab omnibus, & domibus, angulísque platearum, procurrunt: non turmatim magìs, aut gregatim, quàm *sturnatim* (ut ajunt), & *graculatim*. Verbô

Verbô dicam: *Juniorum Opificum*, ac Tabernariorum lurconum, *Exercitus*.

VICUS erat Francofurti, *Judaorum* peculiaris, quem PARVAM illi JEROSOLYMAM (30) appellabant. Hæc, ab urbe cætera, suîs & portîs, & repagulîs, suprà pariter & inferiùs disclusa; sub noctis præsertim viciniam claudebatur. & tunc, (ut adeò turbulentô die,) solitô diligentiùs, ac fortassè temporiùs quoq; fuerat obserata. Quoniam ergò Cæsaris (*) edictum *Civibus inquietis* iram, *Judaisq; quiescentibus* tutelam, denuntiârat; in *illius* quidem, (ut putà, *defensoris*,) contumeliam, in *istorum* verò, ceu *clientium*, pestem ac perniciem seditiosi, manu globôque factîs, *plateam Hebraorum* incurrunt. portarum eam, quæ proxima furiosis occurrerat, oppugnant: irruptionem moliuntur: clamore, manu, saxîs, ferrô, securibus eam, ac dolábrîs, convellere nituntur. *Christi se caussam agere*, vociferantur, *contra detestabiles circumcisos*: cùm suam reverà, *Barabbaq;* latronis, agerent. Non desunt tamen *Judai* sibi; vî vim, & armîs arma, repellentes. doliorum intus, & cuparum, oppositu portam muniunt: ac telluris, & saxo-

rum, aggestu prævallant aditum. Opitulantur his, civium primò numerus exiguus: paullatim dein, aliquantò densior; & honestissimus quisque, rabiosos voce, manu, strictísq; demum mucronibus, coërcere conantur: cùm, inter hæc, oppugnantium furor non modò nihil remitteret: sed petulantissimorum insuper quorumque, vagæque plebis, accursu novô, vires caperet. In turba, digladiantibus in incertum audacissimîs etiam furciferorum, fiunt atrocia vulnera; gemináque funera. truncantur, alii manus; aures alii: defluxítque per genas, cuipiam effossus oculus.

Quocirca, fugâ periculi, jam parciùs, qui tumultum compescerent, intervenientibus; cùm violentæ, sempérque crescentis, multitudinis impetus nec sisti porrò, nec sustineri posset: perfractâ denique, bipennibúsque diffissâ, portâ, torrens seditiosorum universus irrumpit; ac, profligatîs, qui restiterant, in *Hebræorum* domicilia fortunásque fit impetus. Nox ea, quàm longa fuit, prædationibus, & miseræ vexatione gentis, infu nebatur.

Ortô verò Sole, vix demum & spei quidpiam afflictis affulgere visum est, & opis; ex accursu

accurſu civium. qui, partim pedites, ac magna pars in equis, & armati, præſidio *Judæis* futuri; turbam incompoſitam, prædâq; gravem, & alibi temulentam, alibi dapes ac vina revomentem, aſpectu telorum percellebant. alios autem, ſicubi minùs proficeret terror, inflictîs quoq; plagîs disjiciebant.Ità turbo demum hic compeſcitur. Eorum interim haud paucis, prædæ magna pars extorta; dominis poſt tumultum reſtituenda, locîs tutis, ac munitis, ſeponitur. Quod *vini* ſupererat in doliis, (quæ multa magnáq; vel adhuc plena reperiebantur, vel partim evacuata,) publicum in valetudinarium infertur: laſcivientíque multitudini potandi nepotandíque materia ſubducitur.

XVI. Sed nondum, ne poſt iſta quidem, *Hebræorum* quietæ res erant; aut extra diſcrimen ſalus. Effractîs arcîs, comminutîs ciſtîs, raptîs & exportatîs fortunîs, adhuc eorum *capita* periclitabantur: &, in calamitatis auctarium, quærebatur eorum *exitium*. Tam implacabilis efferatorum rabies erat; *ſanguine*, jam prægustatô, *viniq;* fervore, facta truculentior. Poſt quæ talia proinde, ſuorúm præſertim aliquibus vulnere debilitatîs.

Anni Acta.

tatis, & uno quopiam glande plumbeâ trajectô, supremam in desperationem, reddendæ sibi tranquillitatis, adducti Judæi: *tauri* sui nuperam, in effugio, felicitatem pedibus suis exoptabant: eámque, non à *Deo* modò *patrum suorum*, sed & ab *hominibus* amicis inimicísque, flagitabant. *Exutis omni vitæ subsidiô, nudatis ope, malè mulctatis corpore, priusquam & id, quod animæ sibi reliquum sit, amitterent; urbe se, vel per gratiam emitterent, vel per violentiam exturbarent: permissô duntaxat, ut, quod quisq; secum vestimentorum, aut supellectilis necessariæ, cuperet elatum, id exportare fide publicâ liceret.*

Licuit; etiam per urbis primores: &, complurium è civibus benevolentiâ discessionem illam adjutante; quò maturiùs sese, tutiúsque, tot malis evolverent, ejusdem adhuc diei, qui *vicesimus tertius Augusti* fuit, horâ post meridiem primâ, (31) diducta *Parvæ Jerosolymæ* porta fuit illa, quæ Mæno propior erat. Emissi Sexûs utriusque *Judæi*, cujusvis ætatis, *mille quadringenti*; pars navibus, alii lembis, lintribus, atque cymbis, recepti: multi sursum, pierique secundo flumine deorsum, omnes adversâ fortunâ, plorantésque, navi-

navigant. Vagantur, & appellunt, in incertum, alius aliò, raróque multùm-hospitali diversoriô; propter *commune Gentis, & justissimum*, in omnibus terris, *odium*.

Plures interim, hic *Israelis* hujus *Exitus*, *ab* hac *Ægypto* Franconicâ se comiter & amicè prosequentes, nactus est; quàm illa sub Moyse quondam, è Regione Taphnês, emigratio, Nilum accolentes barbaros, sibi propitios. Nostrates enim hi, non modò non, ut veteres illi, ferrô, minîs, exsecrationibus, aut equîs curribúsque Pharaonicis, eos insectati; sed faustîs potiùs ominibus, & armatô, (necunde violarentur,) præsidiô comitantes, eduxerunt. Ad summam! iter eorum, & profectionem, tum eô migrationis primæ die, tum & posterô, perendinôque, (quibus alii post alios, complures, turbam profugorum primam subsecuti sunt,) adornârunt, & instruxerunt. Quod præstiterunt isti, seditiosis prædonibus illa, quæ rapuerant, eripiendo vicissim; eáque, vel discedentibus *Israëlitis* continuò reddendo; vel postea, tam recuperata, quàm ab iis quocunque modô post se relicta bona, cum fide curâque submittendo. Nec id mirandum adeò, vel alienum à civita-

tis illius moribus erat. Nam civium pars adhuc permagna, seditionum, quæ per ea tempora gliscebant, aut semper insons, sanáque, permanserat: aut, post edictum Cæsareæ majestatis primum, & alterum, redierat in viam, ac legum ordinem.

XVII. Verùm *capita* ductorésq; *turbarum*, jam à *triennio* ferè, posteáque, partim in expellendo per ferociam Senatu, partim in opprimendis Judæis, quidam & *utrobique*, sese præbuerant allodoxi: pluribúsq; mox turbinibus aliîs, ad id voluntatem suam nefariam obfirmârant certi quidam homines. Horum siquis spectâsset audaciam, *regibus* oriundos suspicari cœpisset. si facta, vitæque professionem, explorâsset; ægrè subinde *remigibus* aut essedariîs ortos, reperîsset: ut vel sic tamen vix à furciferis eos, ac nebulonibus, distinxisset. In compendium illos mittam, si dicam; ut plurimùm, *civitatis* fuisse *spumam*, *plebisque fæcem*. Et hi tamen (quod Apostoli quondam arguerunt) *dominationem contemnebant; majestati maledicebant: audaces; sibi placentes; sectas & factiones introducere, non verentes.* (32)

Princeps porrò, quodammodóq; *Catilina* conspirationis ejus, *Vincentius* erat quidam, cogno-

cognomentô *Fettmilchius*, quasi (linguâ Romanâ circumloquendo vocem Teutonicam) diceres, *Pingue*, vel *adipe mistâ serosum, lac.* Cupedinarius hic erat; & bellariorum placentarúmve coquus, (33) atque pistor. Hujc proximi, *Conradi duo*: quorum alteri cognomen erat, *Schoppio*; conditio vitæ, suere sarciréque vestes. alter autem, ambitioni suæ convenientî nomine, Germanicè *Gerngrossius* dici gaudebat; &, successione generis, solebat. quam vocem Latini, quomodo conviviorum sectatorem, *Cœnípetam*, sic istum, *altiora sê venantem*, *Grandípetam*, aptè cognominâssent: cujus opificium erat, arcas & scrinia concinnare thalamorum.

Hi *tresviri* conjurationis erant, ad res in deteriorem statum proturbandas à seipsis delecti. Sed inter hos ipsos, ut inter *Consules* geminos *dictator*, *Vincentius* dominabatur. Ad hunc quoque, nec alium magìs, adjunxerant sese, jam à principio ferè motûs illius, inquietissimus quisque civium, & advenarum quoque non paucorum. Ab hoc, ut à *tesserariô*, responsa quotidie petitum, eò commeabant cæteri turbarum, ceu legati, tribuni, centuriones, optiones, speculatores, emissarii: *luis* *mortá-*

Anni Acta.

mortalium! Georgius Ewaldus, Saxenhusius; illius oppidi civis, & incola, quod Francoforto ponte Mæni conjungitur. Georgius Ebelius, pannorum tinctor; Stephanus Wolfius, restio; Joannes Halbeyus, Joannes Saurius, Adamus Stummelius, Gerardus Theurius, Barthelinus Gaulius, Adolphus Cantor, Joannes Fridericus Hildebrandus, Petrus Mutschiérus, Rejnhardus Meurérus, Hartmannus Gejselbachius, Joannes Conradus, piscator; Hermannus *Capra*, Sartor; & alius quidam ejusdem opificii, cœlebs, ac sine nomine, juvenis. Quibus adjungebant, qui *conjuratorum syllabum* comportârunt, etiam puerum annorum undecim, Hermanni *Capræ* filium; patris (postquam is deinde captus, & ad supplicium tractus est) in curru confessorem, aut tanquam conscium & administrum; aut, ut infamis vecturæ comitem, in quantulumcunque parentis plectendi solatium. (34)

Præter hos verò, quos nominavi, fuêre conspirationis istius complures alii, pars occultiùs, alii plerique palàm, ac manifestiùs, participes: adeò quidem, ut paulò pòst in comitio Fettmilchus, *ea, quæ movisset hucusq.*, *dixis-*

dixisset, egisset, auctore se fecisse CIVITATE, *defendere conaretur:* ejúsque rei cùm *testem* appellaret eam omnem, quæ præsens tunc adstabat, *civium concionem*; multitudo, (falsò licèt, ac plurimis silentibus,) tamen acclamaret, insanis vocibus, OMNES SE TESTES FIERI. Quo proinde fiebat, ut circùm *Fettmilchum*, & tunc, & antea posteáq;, nunquam non petulantium ac protervorum tenebrionum catervæ versarentur: indéq;, pravissima quæq; consulta gestáq;, tanquam *à fonte malitiæ*, cæterum in corpus civitatis promanare, (fortassis haud immeritò) viderentur.

Tale fuit, expugnatæ proximè, direptæque, *Novæ-Jerosolymæ* facinus. Tale, paullò priùs, *Curiæ* seditiosa circumsessio; patrúmq; conscriptorum extrusio. Tale quoque, *legatorum principalium*, urbici motûs sedandi caussâ missorum, suis in contuberniis impudentes interpellationes, obsidiones, inclusiones, per appositas excubias: exagitationes, contumeliosa virulentáq; vituperia: quibus ii, liberè, debitâque cum gravitate, suorum Principum exsequi mandata, prohibebantur. (35)

XVIII. Quæ cuncta, compluriáque talia, flagitii plena, cùm in Sacræ quoque Cæ-

Bb sareæ

ſareæ Majeſtatis contemptum manifeſtiſſimè redundarent; utpote decretis & edictis ſeditioſos, primò *communiter*, ad extremum verò ſatis etiam *nominatim*, (36) increpitantis: non potuit denique non indignanter ea Cæſar, implacabilitérque, ferre: cùm præſertim interea *Fettmilchius* præteritis facinoribus inſolentiam & aliam, eámque geminam, addidiſset, in hunc modum. Imperârat Cæſar urbi, *veteris*, ac ſcilicet Majô menſe dejecti, *Senatûs* in integrum reſtitutionem: &, cum priſcis in curia ſubſelliis, ſuum cujque munus, ac procurationem antiquam reddi, mandârat. Eâ Cæſaris voluntate civitati denuntiatâ; priuſquam, quod imperatum fuerat, efficeretur, cùm eam ipſam in rem, ſubſtituti nuper ac novitii Senatores, in curiam, quam *Romanam* vocant, convocati, ſederent: *Fettmilchius*, aſſumptâ ſui gregis civium denſâ multitudine, ferox irrumpit: *perturbatæ reipublicæ, diſciſſionisq; concordiæ civilis quæſitæ*, Senatum inſimulat. & nunc conſidentes, in id eſse potiſſimùm intentos; *ut, ex mente præſcriptôq; Cæſaris, (cujus ipſe nec depreſſam velit, nec evectam, auctoritatem) boni publici devaſtatorum numerum, ac potentiam, amplificent: conſultores novos in*

auda-

audacia confirmando; veteres autem, & recordatione dejectionis irritatos, in curiam reducendo. Sed, venirent illi sanè, *bonîs avibus*; & in antiqua sedilia, regnáque sententiarum, sessum sese reciperent. dispicerent tamen, inter hæc; *Utrum, & quibus auspiciis, indidem se relaturi suas in domos essent.* Quæ sanè verba, gladiorum erant, ac necis, manifestæ minæ. Neque tamen hîc *Fettmilchi* quievit amentia; sed, ut culpam geminaret, continuò convocatîs in unum plerisque suæ pravitatis asseclîs; cum iis, factionis fœdus instaurat: *jusjurandum*, in cœptis persistendi, libertatem retinendi, nullam ullius ab aliis divulsionem admittendi, postulat à singulis viritim: & accipit à plerisque, subscribente *manu* firmatum; ab cæteris autem, ut ignaris calami tractandi, *linguâ*, sese devovente, *si fallerent*. (37)

XIX. Utrumque factum hoc Vincentianum valuit ad augendum Cæsaris contemptum: & indurandam rebellium obstinationem. Cùm itaque, finitîs hujus anni nundinîs Autumnalibus, exterísque cum mercatu pariter dilapsîs, missu *Cæsaris*, *fecialis* imperatorius, geminô stipatus tubicine publicô, Vi-

Anni Acta,

ennâ Francofurtum eques introîsset; *Decretum* apportans imperiale *Proscriptionis* Triumvirorum Fettmilchianæ conjurationis, & voce promulgandum, & curiæ valvis affigendum: ut primùm hic, cultu fecialis amictus, & *aquilæ* super pectus *insigni* conspicuus, in curiæ supremo gradu, medius tubicinum, stans spectari cœpit, & audiri: dictô citiùs, relictis etiam mensîs, (nam meridies, ac prandii tempus, erat) ex omnibus undequaque vicis & angiportis, civium immensa multitudo convolat; &, insani clamosique gregis dux, *Fettmilchus*. Fit frementium, tumultuantium, & invicem sese comprimentium, impellentiúmque, barbara vociferatio. complurium etiam, in ipsos curiæ gradus, ad fecialis latera, procursus; minitantium, & clamore, pulsu pedum, intentatione pugnorum, absterrere lectorem conantium. Peragit hic tamen, quod Cæsar jusserat: & altâ, præconiúmque suetâ voce, *Diras* in *Fettmilchum*, ac *par-Conradorum* sociale, recitat; graves, & prolixas, à primis verbis, ad extremum usque versum; quantumvis, ob plebis obstrepentis fragorem, vix quisquam quidquam exaudiret. Parata stabat multitudo, vel saxîs obruere fecia-

fecialem; vel manuum unguibus concerpere, ferrôve conficere. Sed vetuit *Fettmilchus*, (in hoc uno, *semélq; tantùm*, seipso modestior,) violari Cæsaris internuntium; ullóque posthac vel facto, vel dicto, lædi. Dum autem, promulgatione finitâ, præco parat, & valvis curiæ *proscriptionis Decretum* affigere, præfatus, *Ità mandare Cæsaream Majestatem*: Fettmilchus, continuò suî denuò similis, obnititur: omnîque tribunô plebis impudentior, & verò, tanquam Imperatoris ipsius imperator, *Ità fieri se nolle*, clamat: ídque, vi seditionis prædominante, pervincit. Ipse verò, pro mandato Cæsaris præsenti, Cæsaris profert alterius, & antiquioris, Mandatum geminum, *Caroli Quarti*: quo (sicut ipse contendebat) vetaretur, *A quoquam quemcumque civium Francofurtensium pœnâ Proscriptionis affici*. Ne multis! obstante provocatione Fettmilchi, reclamantibúsque seditiosis, & planè denique metu mortis, absterritus *fecialis*; infectâ re, cum Edicto suo, comitibúsque tubicinibus, rediit in diversorium suum; & quievit.

XX. Non quievêre tamen *Inquisitionis*, à Cæsare constituti, prætores, Principes, Mo-

guntinus ac Darmstadianus: sed, cùm Hœchsti tunc in vicinia versarentur, postridie confestim (38) ad Francofurtensem urbem universam, præcipuéque rectores ejus, & majores minorésque magistratus, epistolâ datâ; verbîs Cæsaris, *tradi sibi Seditionis Triumviros in catenis*, jusserunt. Quòd autem illi pravè-gestorum impunitatem è *Carolinis* sibi *Privilegiis* geminîs, de quibus antè paullò memoratum est, pollicerentur; iísque prolatîs, palàm ac passim triumpharent, tam confidenter, ut non modò non proscribi se, verùm nec vinciri, proscribentibúsve tradi posse, dejerarent: exemplum *Carolinarum immunitatum* illarum, cum fide transcriptum à librario publico, Principes iidem continuò Jureconsultis Universitatis Marpurgensis inspectandum, accuratéq; discutiendum, transmittunt. Hi, cunctîs ac singulis *Privilegii* sententiîs & verbîs sollerter trutinatîs; responsô publicô Francofurtenses docent: *Fettmilchi sociorúmq; causam, Caroli Quarti Cæsaris, nec menti, nec verbis, congruere. Nullum igitur eorum impunitati præsidium ex illis erui, vel debere, vel posse.*

Judicium hoc, sicuti doctissimus quisque, proba-

probatiſſimúsque, rectiſſimum (ut prorſus erat,) pronuntiavit; ità contemptores illi Juris omnis, humani diviníque, flocci fecerunt: & ingeniô legéque *Stultitiæ*, *ſibi ſoli* ſemper *perſpicacis*, in ventum difflaverunt. Id autem ingenium ſuum, & univerſim hi rebelles, & cæteris manifeſtiùs *Fettmilchus*, pluribus poſt hæc argumentis declarare perrexerunt.

XXI. Cùm enim, ad quintum Idus Octobres, (ut initium ſaltem ſeveritatis in reos, & à Cæſare jam damnatos, Senatus, qui tunc erat, oſtenderet,) Vincentio, duobúsque ſcelerum ſociis, is idem denuntiâſſet: *Curiâ Romanensi poſthac, & omni civium honeſtorum cœtu conventúque vitatis, ſuo ſe quiſque lare familiari concluſum teneret; ne prorſus, & per omnia, poteſtatis ſupremæ vilipéndere reverentiam viderentur*: uſqueadeo penſi nihil habuerunt; ut è contrario potiùs, urbe totâ palàm, quocunque libitum eſſet, ambularent; & ab eo die perniciosiùs, quàm unquam antehac vagi, volitantésq;, (Carolinorum nempe diplomatum quaſi ſcutô protecti) calumniarentur inſuper, & obviorum omnium auribus ingererent: *Tantam illam proſcriptionis contumeliam, ac pœnam, quam ſuis ac poſteris*

Bb 4

Anni Actæ.

rum suorum frontibus Cæsar inussisset, exauctorati nuper Senatûs, inprimisque Joannis Hartmanni Consulis, dolosis machinationibus apud aula Viennensis optimates conflatam & extortam esse. Quod falsò quidem isti, pérque mendacium, ab suis moribus haud alienum, sed tamen eô studiô jactabant; ut, adversùs eos acriùs incensîs civium animîs, omnium mentes ad suî, tanquam ab inimicis immeritò vexatorum, commiserationem inflecterent: eodémq; compendiô, manus multitudinis à suî, quam Principes imperârant, comprehensione refrænarent. Hujus autem voti sui paullò pòst summam assecuti sunt; velut exponam: incassum interea, per *apologeticum programma*, Patribus Conscriptîs impositam sibi contumeliam, & figmentum impudens, à se depellere conatîs. Nemine proinde manum proscriptis injicere, vel volente, vel ausô; crescebat eorum in dies, & *Fettmilchi* potissimùm, insolentia: cujus hic, etiam istud mox, inprimis audax, specimen exhibere, non erubuit.

XXII. Expulsîs nuper Judæis, ut ordinè magìs omnia, pacatiúsque, deinceps gererentur (sicut turbulenti præ se ferebant); visum erat Moguntini Darmstadianíque Principum

cipum legatis, id dare postulatis inquietorum: ut, exinanitam ineunte Majô senatorum complurium expulsione curiam, suffectione tantisper *novorum* replerent: quoad, compositâ quandoque *veterum* Senatorum controversiâ, priorem in locum omnia redirent. Suffecti sunt igitur, sub exeuntem Augustum, non promptiores ad capienda, quàm denuò relinquenda, subsellia, *viginti tres*: & tertiò Calendas Septembres, senatum inierunt. Id, probatum seditiosissimo cuique; Principibus, inquisitionis præsidibus, improbatum est: quia Cæsari placere nequierat, qui, *Senatum veterem*, nullo vel demptô, vel adjectô, restitui dudum jubebat. Recèns igitur adlecti patres, Decretô Principum, ante Septembris adhuc exitum, in ordinem denuò rediguntur: *ceu vitiô substituti.* Non difficile fuit iis, qui nunquam curiam affectârant, curiâ decedere. quod & obsequenter, Octobrî statim mense, præstiterunt; senatoria subsellia vitantes: &, siquando Romanensem in Curiam pedem inferrent; procùl sese, spectandíque magìs, quàm sententiæ dicundæ gratiâ, sistentes. Eorum quoque modestiam imitantes, civium nonnullæ societates, seditiosis antehac, quàm

Anni Acta.

Cæsareis imperatis, addictiores; in potestate se deinceps legum & Imperatoris fore, profitebantur. Horum, ut quisque se futurum in officio spoponderat, in *Album* nomina referebantur.

At non *Fettmilcho* mens eadem: sed, quem abditum, domi se, clausúmque, continere decuerat; neque curiam posthac, vel à primo limine, contingere, (quippe, lege prohibitum): is tertiò Novembris die, grege nebulonum, & agmine sui simillimorum (inter quos & *Evvaldus* erat *Saxenhusanus* ille, de quo dictum superiùs est,) assumptô, provolat in comitium; evadit gradus; irrumpit curiam, in qua tunc Senatûs, (utcunque restituti) pars magna, sed *novus* & *vicarius* consultor nemo, considebat. Videt id *Fettmilchus*: ac tanquam *Sylla* quidam imperiosus, legum regúmque rex; *Quæ, malùm! (*exclamat*) hæc rerum facies est, Senatores? Ubi sunt ergò, quos nuper eliminatis substituimus, consultatores?* &, submonentibus nonnullis, in turba stare quosdam eorum, ac pro curiæ gradibus, (& sanè stabant, animi caussâ, non ambitionis,) altùm ille vociferans; *Ergò veniant* (addit): *& sedilia, sibi debita,*

debita, recipiant. Ut ſederent enim, ac præſiderent, eos ſelegimus: non autem, ut ſtarent, ac ſedentium apparitores eſſent. Viſus eſt intelligentibus, id dicere; *Ne cura ſit vobis, quid Cæſar, ac duo Cæſareani principes, fieri velint: ſed, quid piſtor Vincentius, & lixa caculeiq́; Vincentiani, mandent.* Nec finis dedécorum, intrà tam pudenda, ſtetit eô die, Senatûs in baſilica. Nam, inter hæc, *Evvaldus* quoque, magnis vocibus & rixâ ſcribam publicum *nomina* flagitabat, & *Syllabum*, civium illorum; qui ſe referri curâſſent in numerum, *Cæſari* potiùs, quàm *conjuratis*, obſequentium. Id adeò peſtilens homo nôſſe laborabat: ut, ſibi *proditos*, cum ſcelerata ſuorum manu, tanquam factionis Fettmilchianæ *proditores*, obrueret, & jugularet.

XXIII. Quæ talia, pluráque talium ſimilia, cùm nec urbi, (gravitate morum inprimìs conſpicuæ,) nec adeò civibus, adhuc integris, & in fide manentibus, (quorum numerus erat ingens) diutiùs toleranda viderentur: inter *bonos* quærebatur, qui, triumviros conjurationis comprehendendi, facere vellet, & auderet, initium. Inventus eſt, magni vir animi, *Joannes Martinus Agricola*;

N ... legi-

Anni Acta.

legitimi tunc, & antiquioris ordinis, Senator: qui postea quoque, virtutis ac præmii gratiâ, caussarum urbis forensium *prætor* est factus. Huic autem, eodem ipso tempore, pars difficultatis aliqua præcerpta videbatur, & imminuta: propterea, quòd unus è *tribus* illis, *Conradus Gerngrossius*, prævisô, (nisi tandem spontè se magistratibus permitteret,) atrociorum pœnarum inevitabili reti, post ancipitem ac longam animi secumipso pugnam, ad diem deniq; Novembris vicesimum sextum urbe, vel invitus, excesserat. qui, nuntiô primùm publicô comitante, postea militibus armatis eum deducentibus, vehiculô Darmstadium intravit: indè demum Rysselhemensem in munitionem deportatus. Sed hæc aliquantò pòst acta sunt.

Interim *Agricola*, quem dixi, postridie statim, quàm *Gerngrossius* abiit; eò, quòd consiliorum ejus incertus esset, maturandam esse superstitum duorum comprehensionem prudenter statuit; priusquam, aut ab his, aut ab eorum sodali dilapsô, fœdius quidpiam novaretur. Manum itaque militarem, fortitudine, quàm numerô, majorem, at sibi fidam, assumit. Erat is dies, ut indicavi, Novem-

Novembris vigesimus septimus; ísque *Dominicus*, opificum nempe, vacantíque cæteræ turbæ, post meridiem opportunus ad compotandum. Audierat autem Agricola, *Fettmilchum* (etsi tunc quidem sinè *Schoppio*) lætum, & hilarem, in taberna vinaria *Theobaldi* cujusdam *Stauchii*, cum nonnullis sui consilii consciis, agere; bibentem genialiter, ac suas nempe, pro re communi, pugnas enarrantem: *Gerngrossii* verò discessum pridianum, & consilia, tanquam amentis ac desertoris, exsecrantem. Et sanè fiebant hæc quàm maximè: cùm, calenti scyphorum & fabularum certamini superveniens, cum armatis, *Agricola*, diductis impetu foribus, irrumpit: ac; *Te, Vincenti, volo*, vociferans: *mandatô Cæsaris, in vincula te duco*. Simùl adibat, manu prehensurus.

Fettmilchius, utpote, qui conscientiâ facinorum, nunquam sinè metu, proptereáque nec sinè telo, vel armis, esset; veste sclopetum æneum minutum (cujus formæ, sicariorum *enchiridia* sunt) abditum gestabat. Id ergò, jam oneratum, sed *epistomiô* nondum suspensô, raptim promit: in *Agricolæ* pectus exoneraturus. Verùm, in ictûs apparatu laborans

borantem, ac proinde tardiorem, alter occupat: &, injectis manibus, extortóque sclopô, militibus constringendum tradit; & in custodiam raptandum. Ea, *turris* erat, quæ *Bornhemiana* dicebatur.

Hîc ego non dubitaverim, quin eo tempore fuerint, qui prudentiam *Agricolæ* desiderarent; hominem, seditiosorum omnium ducem, & ab iis, tantùm non pro Deo suæ factionis, habitum, eô temporis atque rerum articulo vincientis; quô sciret, otiosam prodigámque, (præsertim *opificum*,) turbam, quæ *Fettmilchum* in oculis, & in cœlum ferebat, inter pocula locis omnibus calescere: potionéque, siquid in eum moveretur, animosiorem factam, periculis ejus non defuturam. Id, quod sanè mox eventus docuit; uti dicam. Sed videlicet, *Senator* hic, æquè sagacis vir ingenii, nec eorum, quæ secuta sunt, improvidus, rationem habuit *opportunitatis*, in homine callidissimo capiendo: quam utique vinosa securitas, & improvidentia, tempestiviorem, quàm cauta sobrietas, in manum dabat. Verendum erat, nisi præsenti prædâ momentôque *piscator* uteretur; ne fugax & lubrica, cùm maximè postea captares, *anguilla* difflueret,

eret, aut elaberetur. Turbas autem concurrentium, ad eripiendum reum, & feriatus poterat, & operosus (ut patebit) dies, excitare: quibus coërcendis, ut arma facta, sic prompta semper, erant futura. Conjectus igitur in turrim erat, utì dictum est, pestilens *Fettmilchius*; à largiter hausto vino, non modò nihilò sedatior, (ut tamen vulgò bene poti solent); sed potiùs, à novo sibi diversorio factus seditiosior, & efferatior. Ibi, clamoribus plusquam insanìs, ac vocibus, belluarum æmulìs, civium, & conjurationis invocare fidem: ut, ad eripiendum se globô factô, concurrerent, & irruerent, obsecrare. Fit grex statim, & agmen, omnis generis, & ordinis, *Vincentianorum* satellitum. opifices, & opificum operæ: sartorum, fartorum, sutorum, lanionum, coctorum, & insulariorum (39) urbis, quisquiliæ; concitantes, & trahentes, alius alium. Fit in turrim impetus: moliuntur pedibus, manu, saxìs, sudibus, & ferrô, carcerem; effractìsque vì portìs, ac serìs, irrumpunt: *Vincentium* eripiunt; &, inter attonitos utrimque spectatores, velut per triumphum, gratulantes gratulantem deducunt: eúmque domui suæ restituunt. Ibi tum no-

væ

væ fiunt, ac superioribus omnibus turbulentiores, coitiones: ad quas, post paullulum, è proscriptis tertius quoque, *Schoppius*, accurrit; flammæ redivivæ majus suscitabulum. Formidabatur, (ut ingruente jam nocte,) meritò magnum urbi, recentiorísque tumultûs, malum. Magistratuum ergò majorum minorúmque curâ, vigiliæ per totam urbem acres, & locîs omnibus, habentur: civium, quidquid incorruptum erat, in armis & excubiis: trullæ flammarum pensilium, in platéis, & vicorum propatulis omnibus, collucere: seditionibus quibusvis vias quascunque præstruere. Quiescebat itaque nemo; sed omnium minimè, *Vincentiana domus.*

XXIV. Eò confluxerat illâ, quàm longa fuit, nocte; quidquid ubique malitiâ vecordiâque præsigne per urbem erat: Præter *Schoppium* putà, petulantissimi quique, projectæque quodvis ad facinus audaciæ mortales; cœlibum opificum catervæ; servitia profuga; sicariorum, ac semicarnificum, gladiatoria cohors. Hi, fistulîs æneis armati, gladiîs accincti; saxorum, telorum, & ferventis aquæ continente dejectu, minaces; è fenestris, & culmine, *Fettmilchi sui* tutelam profitebantur.

Jám-

Jámque, diluculô terris redditô, nec apparente, qui domum, undequaque clausam & munitam, oppugnaret; sibi persuaserant, nullius tam firmum fore mentis robur, & audaciam; quæ se tempestatis ejus grandini vellet, ac pluviis, obviàm ferre. Placebant igitur in hoc sibi; *Victorésque* fore se, (sed ante prælium) ominabantur.

At inter hæc, alibi, dolore stimulatus erepti sibi perduellis, maximéque reipublicæ causâ sollicitus, *Agricola*, suarum & ipse rerum satagebat. quippe, jam dudum, ante lucis crepusculum, regiones urbis cunctas obire: militum percursare contubernia; pariter & hos, & cives universos, suarum ac Senatûs partium, in ordines & arma cogere: copias bifariam instruere; quarum agmen unum ipse ducebat: multitudinem cæteram (eámque majorem) & ferentarios, suâ quemque statione firmum, urbi jusserat esse præsidio. portam, cui *Campestri* nomen, occludere: portam item pontis interiorem, quæ *Saxenhusium* respicit, cum clathris portæ pensilibus, ac præferratis, intentâ curâ servandas committere. Secundùm hæc ipse, cum selecta militum manu, civiúmque plusquam *quadringentorum*

Anni Acta.

torum armatâ multitudine, rectà pergit ad *forum equarium*, & ad ædes *Fettmilchianas*, ibi sitas.

Adventantium autem excîtus tumultu, *Fettmilchus*, & ex edito loco conspectâ majore, quàm ipse cum suis animô præcepisset, adversariorum copiâ; mente consternari cœpit: ac copiolas suas, *manipulum furum*, respiciens; *Quid agimus?* inquit. Illi; *Quid, nisi pugnamus?* At, deliberantes interrumpens *Agricola*, stánsque pro fronte domûs, & clamans; *Interrogo vos*, ait, *& te præ cæteris, Vincenti: sponténe dare manus, ac vósmet in vincula, decreveritis? an vim potiùs supremam experiri? Decretum est nobis, hinc, nisi perduellibus in potestatem redactis, nunquam referre pedem. Quem cepimus; recipere debemus.*

Attonuerant, & hæ voces, & clangor armatæ multitudinis, adeò *Fettmilchum*, ac *Schoppium*; ut iis, (quantumvis nocte priùs totâ minacibus, & *mori* potiùs, quàm *vinciri*, paratis,) tanto civitatis visô contra se consensu, languerent superba verba, succiderent elatæ mentes, aqua fervens intepesceret, tela manibus effluerent: ac *se* denique, petitô datôque sermonis alterni commerciô, dicerent, *in po-*

testate

testate Cæsaris, & optimatum, futuros. Ibi tum, partim fusô fugatôque, partim spontè se per posticum ejiciente, cætero latrunculorum grege; *Vincentius* ac *Schoppius*, inter lamenta domesticorum, arrepti, per media concurrentium undique turbarum agmina, stipantibus armatîs, in carcerem *Catharinianum* deducuntur.

Gesta sunt hæc, ad *vicesimum octavum* Novembris diem. Quartô verò pôst, in vinculis exactô, sinè turbis novîs, die; dispositîs urbe totâ, sollertiùs etiam, quàm nudiusquintus, præsidiîs; conjugibus, liberîs, servitiîsque, domì reclusîs; vicatim quoque, catenarum opposítu, platearum transitibus obstructîs, nequis uspiam ea, quæ res posceret, interturbare posset: cataphractîs, & armatorum aliâ coronâ, stipatus Agricola, *Fettmilchum* & *Schoppium* è vinculis educit: in pilentum eos, sed accuratiùs alligatos, imponit: ac, per *portam patibulariam* devectos, *Moguntinis*, foris jam præstolantibus, in manus & catenas tradit. à quibus, *Hœchstam* primò, posthæc autem *Aschaffenburgum*, deportati; Francofurtum, non, nisi quatuordecim priùs exactîs in custodia mensibus, cum *Gerngrossio*,

redierunt: sed, ad *supplicium*. Id, quod anno mensíque suo reservamus.

Hæc interim narrata, sufficiant. quam ipsam utique rerum talium expositionem, tam diffusam, istis ego *terræ filiis* impensurus haud fueram: nisi pretium operæ duxissem, ostendi; Quónam tumultuum, perfractâ semel, contra *Paulinum* mandatum, (40) *potestatum sublimiorum* in obsequendo *reverentiâ*, viles etiam animæ prosiliant? Præcesserat exemplô, nostrorum avorum memoriâ, Monasterii, *Leydensis sartor*. Eum crustularii, capsarii, sarcinatores Francofordiani, suìs legibus resuscitatum ibant: nisi, temporì superveniens, *Agricola*, manes Catilinarum inquietos repressisset: ac redivivas novitates antiquâsset. (41)

XXV. At *Aquisgranensibus*, inter hæc, non latiùs quidem diffusô, sed inter validiores obstinatiorésque regnante, malô laborantibus, fortius videbatur esse remedium admovendum. Est autem *Aquisgranum*, Imperii nobilissima, pervetúsque civitas; *Menapiorum* in finibus, (quos *Juliacenses* hodie placuit appellari) Mosam inter & Rhenum amnes sita: thermarum salubrium, intus forísque, dives: Romanorum jam olim Regum, & Imperatorum,

rum, coronatione celebris: &, à *Caroli* ferè *Magni* tempore, (cujus & corpus urbs hæc, & gladium, etiamnum aſſervat,) ad *Carolum* uſque *Quintum*, inaugurationum ſedes. (42) Numerârat hæc, domiciliorum, intrà duplicem murum ſtantium, ante noviſſimum illud, & incuriâ piſtoris ſuſcitatum, incendium, (43) *tria millia* circiter; præter curiam ampliſſimam; cœnobia templáque pulcherrima; cumprimis tamen, magnificentiſſimè ſtructam, ac *Beatiſſimæ matris Dei* memoriæ ſacratam, cathedralem *baſilicam*. Hæc omnia, vix quadringentîs ſuperſtitibus relictîs, iíſque plebejîs, tectîs, inflammata vidit, & in cineres pulverémque verſa, decimus non plus quintus abhinc annus; cum incredibilis pretii mercibus transmarinîs, & incolarum parte non aſpernandâ. Præluſiſſe verò, ſi non & cauſſam his ignibus miniſtrâſſe, videri poterat, diſcordiæ civilis illa *flamma*; quæ per temporis aliquantum, nec exiguum, intervallum, jam non ſellulariam, & ſordidi quæſtûs, plebeculam proceribus commiſerat: ſed planè primores ipſos primoribus; &, per hos, in geminas ſciſſâ ſacrorum factiones civitate, ſtudia civium alterius religionis, in cives, diverſa ſen-

tientes. tandémque, non de *focis* duntaxat, sed *aris* quoque, pars ea, quæ possessionis vetustioris erat, periclitabatur.

Jam olim, annô sæculi superioris septuagesimô quartô, civium factionis illius, quæ se nominat *Evangelicam*, nonnulla pars in *Senatum*, (ab urbis exortu semper *Catholicum*,) irrepserat. Cæterùm, eorum discors ab orthodoxis agendi sentiendíque mos, ac genius, usqueadeo *veræ Pacis* studiosis sensim molestus esse cœperat; & inter eos, Rudolpho quoque Cæsari displicens: ut hic eos, (præsertim, frustra priùs increpitos, & audaciæ pertinaces,) annô supra *nonagesimum octavô* proscripserit: antiquæ Religionis Senatoribus curiâ suppletâ. *Civibus* autem, *heterodoxi cultûs exercitium publicum*, adnitente sollerter ipso quoque Senatu, (quippe, jam plenè Catholicô) tam intrà mœnia, quàm forìs, ademptum erat. At illi, sub hæc, (*ut è remoto ferè magìs, quàm sub oculis regentium, crescunt rebellibus animi*) ferociùs insurgentes; Senatum Pontificiæ religionis universum, non modò curiâ locôque suô, sed & urbe, pellunt. In exilium enim hi, tum eo die, (qui Julii quintus fuit, annô sæculi nostratis undecimô) quô repen-

repentè, per concitatæ multitudinis armatam manum, oppressi fuerant, abire præoptârant; quàm in vulgi tumultuantis sententiam, ac postulata, descendere; tum postea quoque, carere patriâ curiâque maluerant, quàm in easdem sese recipere; præsertim, tam præposterè conversô civitatis statu.

Nam, inter hæc, audaciam cumulantes audaciâ, cives *Evangelii Quinti*, sicut antè paullò *Jesuitis* eductis (44) suos *Verbi-Ministros* superinduxerant; ità Senatoribus, magistratibúsque primarum quarumq; dignitatum, *Catholicis*, (45) sui cultûs & sensûs *capita civilia* subrogârant. In hoc autem tam insolenti cœpto, quantumvis, tum aliàs, tum expressiùs annô mox duodecimô, sub ipsum Imperii recentis ingressum, à Matthiæ Cæsaris internuntiis & Oratoribus deterriti; postea verò, *proscriptione* quoque perculsi: tamen perstitêre. Jámque planè, non adversùs Romanam tantummodo doctrinam, ut olim, sed ergà Cæsaream quoque Majestatem, ejúsque formidinem, sese *Protestantes* exhibendo; supremi sui Capitis imperata minásque despiciebant. auxilia verò, suæ partim sectæ Principum, partim & extera, maximéque Batavicorum,

Anni Acta.

corum Ordinum, circumspectabant. Ea quoque jam passim, utì legationibus prensabant, ità confidentibus animîs sibi spondebant: cùm ab *Ambrosio Spinola*, Cæsareanarum ductore copiarum, Archiducis Alberti missu, Cæsaris autem auspiciis, repentè mensis Augusti die vicesimo secundô, castrîs & exercitu circumcluduntur. (46) arietes, machinæ, districti gladii, tormentáq; curulia, cum viris & equis, rebelli pertinaciæ jam non, ut antehac, è longinquo, vel interminando, sed cominus, ac rebus, ostenduntur. Nec opus murorum quassatione, portarúmve refractione, fuit. *Ceciderant* seditiosis *animi*. cum his, & ferrum eis, & minaces voces, exciderant; superbæq; contumaciæ casum, cætera pariter universa rei speiq; subsecuta strages est. *Spinola*, claves urbis, *Cæsari* seipsos, permittunt *Aquisgranenses*: diffugientibúsque *Protestantium* ferocioribus (47), triduô pòst, (48) in urbem exules; in curiam, *antiquæ* religionis, (& *solius*,) senatores; ad munia sua, veteres Consules ac magistratus, redeunt. Præsidiô militis Hispaniensis *Aquisgranum* insidetur, in annos deinceps octodecim, eósque continuos. (49) Eo maximè remediô, quies, & tunc

tunc obtigit; & postea, complures in annos, prosperè duravit civitati, priùs infeliciter aliquousque tumultuatæ. Sicut autem è lini lanæve filo, pensum, & fusi, lanificiúmque longum, sæpe deducitur: sic, ex horum, ac generis hujus similium, occasione *tumultuum*, enata, *Marchioni* præsertim *Spinolæ*, Bella postmodum compluria sunt; alias videlicet ex aliis expeditiones expeditionibus, aliâ trahente caussâ, providentiâ, necessitate, spe, seu formidine: quemadmodum, antequam finiam hunc annum, indicabo. nunc enim ante pedes, & alia sparsim mundi, tam Europæi, quàm Asiatici Mauritaníque, bella volvuntur; compendiô transcurrenda.

XXVI. Pedemontanis, Italiæ populis, ad Ortum, obliquo terræ tractu, connectitur *Montisferrati* regio; *Marchionum* aliquamdiu, nostrâ verò tempestate *Ducum*, possessio: nupérque litis ac belli, super possessione, materies. *Mons* (ut in Vice-comitum antiquitatibus *Merula* loquitur) *perpetuis expassus jugis: totus amœnus, & fructifer; inter Tánarum & Padum amnes, quasi Mesopotamia* quædam Italica; sicubi colles procumbere paullatim in campos incipiunt. Urbes in ea

sunt insignes: Casális Evasiana, geminâ cum arce; Ducum sedes: Alba, Pompeja priscis; Aquæ Satyellorum, Nicæa Palæa, Bassiniana, Salvatoris, Asta, Pollentia, Ceva, Valentia, Mons-calvus, Alexandria, Trinum, aliæque plures, parvæ, majores, ac mediocres, universim *ultra trecentas sexaginta*, Magino Boziôque testibus: præter pagos innumeros. *Montisferrati* porrò regionem, *Marchionum* intrà titulum, *Palæologorum* stirpis reguli, jam olim ab Andronici Palæologi, Byzantinorum Imperatoris, ævo, filiôque, longâ possessione tenuerant; ad annum usque sæculi superioris tricesimum quartum. Ultimô verò Palæologææ posteritatis extinctô, quem fuisse *Jan-Georgium*, eúmque sine liberis, ajunt (50); *Fridericus*, inclyti gestîs meritísque bellicîs Francisci *Gonzagæ* filius, *Mantuæ* Dux, à *Carolo Quinto* Romanorum imperatore, Montisferrati Marchio pariter, & hæres, institutus fuerat: (51) beneficiô sinè dubio, dignationéque, non tantùm egregiorum parentis ejus facinorum, sed præcipuè nuptiarum quoque, *Gonzagarum* sanguinem cum *Palæologis* denuò miscentium. Habebat enim Fridericus in matrimonio Margaritam *Palæologam*; Bonifacii,

facii, Montisferratæi Marchionis, sororem, ac Joan-Georgii, Postremi Palæologorum, è fratre neptem. (52)

Cæterùm ea Cæsaris in Gonzagam Mantuanum indulgentia, molesta jam tum Allobrogum Duci; molestiæ magnum adjecit incrementum: postquam annô postea septuagesimô tertio Maximilianus II. Cæsar, Caroli patrui premens munificentiæ vestigia, Gulielmum tertium, Mantuæ tunc Principem, etiam ut Montisferrati Marchionem, salutavit *Serenissimum:* annôque mox sequente, tum hunc ipsum, tum Montisferrati Regulos omnes, in posterum jussit esse, dicíque, *Duces*. quorum proinde primus, is, quem dixi, Gulielmus Gonzaga fuit: qui *Dux* pariter erat etiam *Mantuanus*. (53) Duravit autem hic rerum, & possessionis titulíq;, status, penès Montisferrati Duces Gonzagas, ad usq; sæculi decimiseptimi duodecimum annum, inconcussus. durârant verò pariter, & offensiones in animis Ducum Sabaudicorum; quas accepisse sibi videbantur à Cæsaribus, tanquam in domum *Gonzagæam*, circa *Montferratenses* controversias, propensioribus; quàm in domum *Sabaudicam*. (54) Dolor porrò, diu latens in men-

Anni Actæ.

mentibus Allobrogicorum Ducum, ematuruit demum; ac plenius in apertum prorupit, occasione mortis *Francisci tertii* Gonzagæ, Mantuani Ducis: quem, vivis excessisse, sub exitum anni duodecimi, suô locô retulimus. Mantuæ statim, unàque Montisferrati, principatum, quia filium legitimum Franciscus non reliquerat, (55) *Ferdinandus* adierat, germanus ejus: qui, Romanâ (sicut diximus) purpurâ depositâ, Camillam postea duxit Reticinam; ac, post hanc, anno sæculi nostri decimô septimô, Catharinam Medicæam, Ferdinandi I., Magni Ducis Hetruriæ, filiam: neutram, ut res loquitur, quidquam Montisferratæi, vel Palæologorum, sanguinis habentem: ideóq; nec juris aliquid (quantum esse posset in fœminis) ad Montisferrati *possessionem*, tanquam hæreditate confirmatam.

Successionem igitur istam, qua Ferdinandus, ut minimè dubiâ, gaudebat, impugnare confestim, repetitis ex alto caussis, & dissidii rationibus, sed adhuc incruentas intrà lites, Dux Allobrogum, Carolus Emmanuel, cœpit. cujus contentionis argumenta, cùm apud compositores temporum nostrorum, qui scripserunt ante me, scienter utique, cúmque

que cura, digesta prostent; non est, cur ego nunc, vel ad invidiam meam, vel ad odiosam litis alienæ memoriam, in lucem reducam. Fuerat Francisci, Mantuani Ducis, extincti conjux, *Margarita*: quæ Carolum Emmanuelem, Sabaudiæ Ducem, habebat patrem; è Francisco verò conjuge, filiam parvulam: (56) quam, à matre, cùm Sabaudiam suam repetere juberetur, avelli, durum avo Sabaudo videbatur, & indignum. Sed *Palæologorum*, vel inprimis, in *Monferratensi* controversia, lis ac successio vellicabatur; tanquam à *Carolo Quinto*, Cæsareísve Jureconsultis, minùs accuratè quondam, quàm Dux Allobrox, & Marchio Salutiarum, voluissent, excussa: cùm Cæsar, (auditâ, nec nimis penetratâ, disceptatione Margaritæ Palæologæ, Mantuæ Principis, cum Sabaudo,) pronuntiâsse diceretur: *Filiam*, *ajunt*, *Guilielmi fuisse Palæologi Margaritam. Si filia*; sit igitur *& hæres!* (57) Quam vocem, ex ore tunc Cæsaris exceptam, querebantur competitores, in successionis mox decretum; ab hoc, in jus possessionis hæreditariæ, transgressam, *pro se* Gonzagas Mantuanos usurpâsse: *contra Gonzagas* autem, semper eam Sabaudum impugnâsse. Nec adeò, vel tantò pòst,

pòst, litis fore finem, apparebat: nisi, vel à *Jure clariore*, vel à *ferro*, dirimeretur. Placuit demum, via decidendi posterior: & itum, à tribunalibus, in arma.

Cùm enim cedere Montisferrati jure, possessionéque, Mantuanus abnueret: ut vi vim urgeret Allobrox; in *Montemferratum* repentè, peditum equitúmque *viginti millium* copiîs contractîs, irrumpit. loca multa, munitionésque firmas, capit: *Trinum* & *Albam* urbes arietibus perfringit; ac scalîs applicitis occupat: plebis agrestis, aut fugam, aut prædam exactionémq;, permagnam facit. *Mantuanus* invicem, in *Allobrogis* terras irruens; oppida castelláque compluria, rapit, vastat, incendit: & in sylva quadam, *Sabaudorum* copiam, specie famâque majorem, concîdit. Hæc, annô superiore cœpta, (58) tutore postea *Montisferratæi Statûs*, contra Sabaudum, Hispanô quoque superveniente; præsentem etiam in annum excurrerunt. &, quòd ab infestatione Montisferrati locorum Allobrox, nec Philippi regis monitîs, nec illatîs sibi cladibus, retrahi vellet (59); *atrox* utrimque fervere *bellum* pergebat: immanî quoque, sub hoc ipsum tempus, ad *Vercellas*

lus urbem exſtructô propugnaculô *Sandovaleo.* (60)

XXVII. Chriſtianorum hæc, adverſùm Chriſtianos, & *orthodoxorum* utrimque, certamina ſæviebant; pro terrarum ea, quam Padus ac Tánarus includunt, portione: quæ *Cœli*, (cujus ad poſſeſſionem aſpirare nos unicè deceret,) nec punctillum æquat. præ qua proinde ſapientiſſimè Divus Amedæus Allobrox, Aloyſius Gonzaga Caſtilionæus, Ferdinandus Sanctus Hiſpanus, *Montes æternos* (61) maluerunt: *ferratos* deſpexerunt. Utiliora porrò rebus Chriſtianis, & cognitu gratiora piorum auribus, hoc eodem tempore, Philippus rex bella geſſit; ad extremam Africæ, quà *Feſsæ* regnum Occidui maris littoribus incumbit, oram: dum regi Marocchiano, *Sidáni*, Batavorum amico, *Mámmoram* (62) arcem, ac propugnaculum muniſſimum, ad oſtium *Cebuis* amnis, in Oceanum irrumpentis, fortiter extorquet: ac tyranno frænum injicit maritimæ libertatis, ad damnoſas hucuſque nobis excurſiones uſurpatæ. (63)

Dum autem hæc ad *meridianas* cœli plagas, & in Africa, geruntur: ad Septentrionem

nem *Polonus* quoque, resumptîs armîs in Moscum movens; acceptas ab eo proximè superioribus expeditionibus clades, variîs, ac plerumque sibi lucrosîs, incursibus ei refundit. loca Russorum munita, tum alia passim recuperat; tum amissum ignominiosè *Smolenscum*, haud sinè gloria recipere paullatim incipit: pleniùs id paullò pòst, ac multos in annos, frustra sæpius inhiaturis ei Czáribus (64), insessurus. (65)

XXVIII. In Oriente verò, *Persarum*, falcatîs ensibus, & Parthorum, sagittîs prœliantium, Rex, *Scha-abas*; ne plus à cognato sanguine, quàm à Turcis, (alienissimâ semper ab ipso gente,) perciperet otii: rebellantes sibi, sub unum idémque tempus, & nepotem Alquevinum, & patruelem Alquevini, Cadum, experitur. Diversîs uterque campîs, ac diversîs exercitibus, (tantùm viribus & multitudini fidebant!) tendentes; in unum duo caput effundere belli tempestatem parant: ubi primùm temporis ac loci, rebus suis aptior ad concursum, opportunitas enasceretur. Sed, idipsum fore, sicut animô præceperant illi, conjectans; &, ut annîs, sic armorum arte prior, molitiones eorum anteversu-

versurus; ad *Horatii* veteris Romanum, contra *Curiatios* Albanos, (66) ingenium *rex Persa* se vertit. Cúmque, sicut singulis seorsum se parem, ità conjunctis contrà, laboriosiùs restiturum, intelligeret: suîs utrumque divisim eliciens castris, & adortus campîs, fudit ac profligavit alterutrum; priusquam ad rebellionis socium fama rei summæ perditæ, vel etiam fluctuantis, perveniret. ut adeò, suppetiarum alteri portandarum ab altero, vel nullum esset, vel serum tempus, & iter. Cæterùm, acie victum *Cadum*, Schahabæ quidem ultrici manui, vel ingloria per medios enses fuga, vel ignobilis in turba cædes, subduxit. *Alquevinum* autem nactus, præliô captum, & vinculîs constrictum; rex acinace demum obtruncavit: è nepote nempe factum sicarium; &, quia sanguinis jura violârat, sanguinariâ quoque morte dignissimum.

Ea porrò de conjuratis victoria, non *Schababa* majorem, & ex proposito, lætitiam, quàm Christianis Europæis ex transverso fructum, ac periculi depulsionem, advexit; quod utrumque bonum, *Cadus* & *Alquevinus*, si plus armis, quàm Rex, valuissent, magnopere fuerant procùl dubio disturbaturi; cùm & res

terrásque nostrorum impunè vexandas Turcis concessissent; ac Persiæ regem, ab Otomannicis invicem pro more divexandis, præpedissent. Nam hi tunc, quos dicam, rerum in Oriente motus gliscebant; è Septentrionibus coorti: nihil ut mediocre partibus invalidioribus esse metuendum, appareret.

Caussa potissima, fáxque latè passim ardentis mali, *Cosaccus* esse pergebat; indomabilis vulgò, Polonicíque magis *sceptri*, quàm *fræni*, populus. Hic enim anni superioris gestîs audacibus haud contentus, & in minimis ponens, interioris Rhoxolaniæ nobiliores urbes exhaurire direptionibus, Precopenses Tartaros evastare, Turcicas in Euxino Ponto triremes exurere; querelîs, & expostulationibus Achmetis, adversùm se Byzantiô Varsaviam missîs, efferatior effectus, retrogressus quidem è Tauricæ Chersonesi finibus, sed in Thraciam rectà, fuerat: &, ad ipsas pænè Constantinopoleos portas, omnia prædationibus pervaserat. Repentè verò, sub hæc, ad *Tartaros* denuò, sed alios à prioribus, & scilicet ad eos, versi, quos, supra mare Caspium sitos in Aquilonem, *Nagajenses* vocamus, & *Caspianos*; quidquid utile sibi, placitúmque, repe-

reperiunt, *Cosacci* rapiunt. Pòst, in ortum, secundùm Asiatica Ponti littora, progressi; cum Bithynis, ac Paphlagonibus maritimis; cum urbibus, *Sinópe* (quam *Por-dapas* hodie Turcæ vocant), & *Trapezunte*, pariter, utì cum Tartaris egerant, agunt: urbes, quas dixi, cum portubus earum, armamentariîs, navalibus, & triremibus, inflammant. Ipsi, prædâ maximâ ditati, suum Poloniæ tractum ovantes repetunt: incassum, à rege Sarmatarum, Achmete Turcâ, damna rebus suis illata resarciri, postulante. Responsum enim est, à Sigismundo; *Prædonum id facinus, insciente se, non autem imperium suum, fuisse.*

Verè quidem hæc *Polonus* tunc, de grassatoribus Orientis ac Septentrionis; legum & regiminis impatientibus. Sed hanc querelarum Achmetis elusionem, haud dubiè, sinè sanguinis utrimque largo diluviô, non fuerat eluturus: nisi maturrimè compressa deletáq; cognationis conjuratio, sub id ipsum tempus, spatium ac facultatem Schaabæ concessisset; rebus bene gestîs alacrem exercitum suum, totîs denuò viribus in Turcam effundendi: Turcarum autem, conceptum in Polonos, & jamjam incursurum, impetum, eâdem operâ

retrahendi. (67) Sic tum otium Polono, Thracicis ab armis, partum: Cosacco verò, parta retinendi, retentîsque perfruendi, felicitas obvênit; *suprà meritum æquúmq;* (siquis Turcam audiret, super his ratiocinantem,) ingens, ac florens. *Nullis enim* (ait) *mortalibus esse bene debet, quorum culpâ rapinisq; malè quàm plurimis est:* sicut áccidit à violentia Cosaccorum Caspiis, & Asianis Musulmannis. (68)

XXIX. Interim verò (quidquid in Cosaccum effutiat Turca) multîs utique titulis honestior *Prædo* gentium impiarum *publicus* & *militaris* est; quàm *sicarius abditus* & *sylvestris*, Christiani sanguinis, ex insidiis, hirudo. cujus generis tenebrionum, hac ipsâ temdo. cujus generis tenebrionum, hac ipsâ tempestate, permagnam *Bohemia* copiam, sed nescia, tegebat: deprehendi verò cœptam, ad supplicia protrahebat. *Petroscios* appellant. Hi non interiora tantùm densorum saltuum, quà transeundum viatoribus esset, gregatim, & *plures simùl*, insidebant: sed subinde *singuli* seorsúmque delitescebant in virgultis; quæ, sylvarum, ut fit, marginibus adnata, proximè vias publicas ac paganas, latronibus ità tegumentum præbebant; ut tamen prætereuntium

tium neque conſpectum eis, nec vocum & ſermonum auditum, interciperent. In unum ergò talium quempiam *mulier* inciderat, peregrè veniens, & porrò tendens, laborioſô paſſu. ferebat enim uterum; in horas ac momenta partitudini vicinum. Hanc ubi conſpicatur *Petroſcius*; armatus pugione latô nudatóq;, de latebra repentè proſilit: miſeram invadit, ſternit, & ejulantem fruſtra, vociferantémque, (nam, latè circumquaque ſolitudinem eſſe, nôrat ac videbat ſicarius,) mactare viventem ac ſpirantem, incipit. ventrem (proh nefas exſecrandum!) tanquam cæſæ porcæ, medium diſcindit: infantulum, in veneficos, reor, magorum uſus, eximit, & ſeponit: canem, juxta corpus heræ (ſicut fit) inquietè quiritantem, pede prehendit: eum vivum, latrantémque, matrici mulieris per vim intrudit; intúsq; rabidè ſævientem, mordentem, laniantem, inſuper acu traductîs fîlîs, inſuit. Scelere tanto ſic perfectô; ſecedit ipſe tantiſper, in aliam arbuſti partem: ac puerperam in morte ſanguinéque, canem in puerpera, relinquit.

Aliam item, ab eodem, alio tempore, nec utique ſinè præmiſſâ corporis contume-

lia, perituram; providentia tamen Numinis, & canoræ vocis gratiosâ suavitas, servârunt. Sedebat ille, more suo, dumetô protectus, secundùm viam militarem sitô: præterituros, in quos irrueret, opperiens. Observat eminus adventantem hanc; sensímq; propiorem, audit, quasi per otium, & animi diffundendi caussâ, pérque summam suî securitatem, *divinas* cantillantem *laudes*. Captus ille, tum dulcedine moduli, tum ipso quoque (*sic Deus nonnunquam & impia corda tangit!*) cantûs argumentô; sese reprimit: ac taciturnus, dum totum illa carmen exsequatur, auscultat. Finientem demum, subsecutus, &, ignotâ viri formâ conterritam, hactenus, nec inclementiùs, aggreditur, & urget: ut & alterum præcedenti cantilenæ *carmen*, ídque de *Pœnitudine*, superaddat. Paret hæc; & *Davidis* (utì reor) *quinquagesimum* orsa, vocem sententiis, quas cantabat, attemperat: modósq; juxtà flectit, & comitis animum. Is enim percelli sensim, & concuti: dein æstuare, suffundi rubore vultum, gemitibúsque suspiria miscere: donec tandem, in claras etiam uberésq; lacrymas effusus, admirationem cantatrici movit, & vocem rupit sciscitantis; Quid

Quid esset, quamobrem vir animosus tam muliebriter ploraret? Hic; *O, te felicem,* inquit, *& candidô nimis hodie Solis jubare perspersam! Certè nihil mansuetudini meæ, sed gutturi tuo flexanimo, debes, & Genio servatori: quorum beneficiô, ruinam pudoris & mortem evadis. Ego namque (ne nescias) ego Petroscius, ego latro sum: cujus nunc dexterâ casura fueras, ut multæ jam ante te: nisi tam dulcè sanctéque per viam cecinisses. Et id tamen ipsum canticum tuum primum, tibi cygnéum, & ultimum, fuerat misellæ futurum: si non & de posteriore mihi rhythmo succinendâ, statim annuisses. In eo, sauciâsti cor meum; & duritiam ejus contrivisti: flexúmq; diversos in sensus, eò perduxisti, vel lenitatis, vel fatalis constrictionis; ut tibi vel invitus parcam: nec agere queam aliud, quàm aquus esse, faveréq; sorti tuæ; quæ DEI tutoris in gremio tam profundè sedet. Verè namque, mulier, verè manifestéq;, te Deus amat, ad invidiam usq; meam: cùm, è diverso, me cœlum universum oderit. nec id immeritò. nam, omnem numerum, & veniæ spem, excedentia, scelera patravi. mortalium utriusque sexûs, ampliùs nonaginta, jugulavi: reditum ad gratiam, & pacem cum Deo,* mihi

Anni Acta.

mihi praclusi; pactum æterno cum interitu dudum inii; salutem desperavi: VIVO, PERITURUS.

At illa, quantumvis multùm animô (dissimulanter tamen) pavitans, ac Petroscii ferrum in singula momenta verborum exspectans (quis enim, in solitudine, latroni professo, sinè pallore, comes eat?): hortari desperantem; solari mœstum; & erigere Christianæ spei verbîs, ad seriam delictorum detestationem; ad pœnarum, malefactis debitarum, deprecationem; ad morum, in posterum tempus, correctionem. *Nihil esse Deô flexibilius ad veniam; si mens humana flectatur ad recipiendam sanitatem. nullam esse seram, bonos ad mores, viam; dum seria, dum ex animo sit:* ac generis hujus cætera, quæ melioris mentis homines suggerere desperabundis, ad sanitatem, solent. At monitorum ille surdus; *Lapidi,* (subdit,) *lóqueris; & verba simul frugémque perdis. Jam antehac, nec infrequenter, hæc eadem mihimetipsi dicenti mihi, decernentiq; bona mens, constantia, propositum, effluxerunt: & dilapsa sunt. Quid potest igitur, ad pænitudinem toties recalcitranti, restare, nisi pœna tandem, ac stimulus peccati, mors; eáque velox?*

Septennium II. Annus 1614.

velox? Quibus ille, cum gemitu, dictìs; in virgulta ſe recepit: mulierémq;, penitùs intactam, & comitatu ſimul liberavit, & metu: dignam, quæ *Paulina* cohortationis, *ad hymnos & cantica ſpiritalia*, factîs expletæ, fructum retulerit: & Pudicitiam nempe ſalvam, & Vitam. Cæterùm ipſe (nec reor, ad dimiſsæ mulieris indicium,) haud multò pòſt, hujus ipſius, quem percurſamus, anni mediô Decembri, (69) comprehenſus; & Pragam adductus: poſteaquam & hæc, quæ retulimus, & alia de ſe plura, quæſitoribus enuntiavit; noviſſimîs, (licèt infra merita,) ſuppliciîs conſumptus, pœnas dedit. De *pœnitentia*, veniæque cœleſtis ſpe, nihil memoriæ proditum invenio.

Sed, quid ad ſummam rei próficit? Ex ingenti ſaltu, noxiis belluis habitatô, prægrandem aliquem aprum, aut annoſum lupum *unum*, in retia, venabuláve, compuliſſe: niſi *grex*, & *ſeminarium*, exſcindantur? Et in hoc igitur animum curámque Pragenſes intenderunt.

XXX. Erat, duodecim millibus paſſuum Pragâ diſtans, ſylva, quà *tranſitus* patebat in Auſtriam: aliquô tamen, per annos

hos bellicosos, lapsu temporis, claudi paullatim, minúsque teri, cœptus; ob frequentiam direptionum, & latrociniîs cruentum iter. Constabat, haud jam viritim, sed pæne manipulatim, illic prædones, & homicidas, non tam divertere, quàm habitare. Magistratuum ergò, *veteris* præsertim, quam vocant, *Civitatis* industriâ, currus expeditur, mercatorio simillimus; arcîs, ac cistîs, & sarcinîs, oneratus: prætereáq; virîs refertus, robore præstantibus, & lacertosîs; institorum, in loca longinqua tendentium, habitu cultúque, per omnia, dissicti: nec inermes. Agitabat equos auriga; corporis animíque robore nulli secundus. & utrimq; currum bini stipabant Equites: armati, quo modô plerumque, vel ipsi negotiatores; vel, mercium & mercatorum ad præsidia conducti, jaculatores. Qui porrò sedebant in rheda; tanquam de mercatibus suis & emporiis agentes, intérque sese clarè per viam, jam eminus, fabulantes; ab insessoribus sylvæ celeriter auditi conspectíq; sunt. Ut primùm autem proximè fruticeta ventum est; prosiliunt ex umbraculis suis, alius aliunde, compluresque numerô, sub unum temporis articulum, grassatores; pugionibus,

nibus, & sicîs, instructi: certissimâmque sibi prædam, & opimam, polliciti, cum clamoribus irruunt. Clamorem invicem, & ficti mercatores tollunt; (hi verò *carnifices* & *lictores* erant, omnes; ordinis sui facilè ferocissimi: manibus animîsque gladiatoriis alacres:) essedóq; desilientes, in *latronum* turbam sclopos exonerant: &, dextrâ lævâque, retrorsum antrorsúmque, rhomphæîs suîs funestis in eos debacchantes; tam fervidè præliantur: ut nebulones illi, spoliorum obliti, de solâ jam fuga, salutéque suâ, cogitarent. Sed hanc ipsam fugam intercluserant gemini, quos dicebamus, *equites*; ad saltûs principia strictîs & ipsi frameîs oppositi; regressúmque, vulneribus ingestîs, prohibentes. donec, vi denique majore superante, debilitati plagîs, *latrones*, effugium desperarent: ac victoribus sese victi permitterent. In hunc modum capti, colligatíque, *septem* uno die, (quanquam ex iis *quatuor*, vulnerum gravitate pæne semianimes,) in *Veteris-Urbis* custodiam *capitalem* (70) rescribuntur inquilini. Sic, inter vecturæ labores, & plagarum cruciatus, deportati Pragam; ad extremum, in rota quieverunt.

XXXI.

Anni Actai

XXXI. Gladiatorum ista, contra sicarios, pugna fuit; & pugnæ successus: famosior utique, quàm honorificentior. At, in Germania Rhenanâ, Spinolæ Marchioni Mauritium Nassavium, & eorum amborum exercitus, (etsi majoribus utrimque populorum urbiúmque cladibus,) insignior tamen apud suos quemque *gloria*, quàm Marcum Crassum olim Spártaco, commisit. Diceres; in altero, pæne *Majorem Africanum*; &, suô modô, *Punicum Annibalem* in altero, renatos belligerâsse: suspensîs ad rerum exitum, & indè consilia sua formaturîs, Europæ regnîs.

Et *Ambrosius* quidem *Spinola*, missus, ut suprà dictum est, à Belgarum Principibus Archiducibus, auspiciîs & voluntate regis Hispaniarum, Philippi tertii, Rhenum dextrâ lævâque copiis suîs, ac victoriîs, percurrit: maximámque partem Duci Neoburgico munitas urbes, arces, & oppida, capit ac tradit. In Rheni ripâ lævâ quidem, *Orsoyum*; in dextra verò sitam, *Vesaliam Inferiorem*, (inter *Disseldorpium*, urbémque Cliviam, mediô ferè tractu positam) ductore Spinolâ, miles Hispano-belgicus die septimô Septembris occupavit: &, in annum postea quintum decimum

mum usque, continuatîs stativis insedit. (71) In cisrhenana regione, *Duisburgum* subegit: priscis Teutobergum, inter Ruram rivum, & Angram fluvium, constitutam urbem: *emporium* olim, dum ejus adhuc à præterfluente Rheno mœnia subluebantur, quale quantúmque nunc *Francofurtum* est ad Mænum. qui Duisburgensium locus, illi saltui proximus est, in quo cæsæ quondam, ex insidiis, & *Arminii* Cherusci dolô, *Quintilii Vari* Romanæ legiones jacuerunt. In *Transrhenana* verò, quà ditiones Juliacenses, Mosam inter, ac Rhenum, in obliquum porriguntur, sub Hispanorum vicarium jus, & in tempus, à fato destinatum, Spinolani redegerunt; præter *Berchémum* (ad Erpen fluvium structum oppidum) ejusdem fluvii ripis impositas urbes, *Cásteram*, & *Grevenbrugam*. illam quidem, ad lævum amnem; ab arce, qua magnificâ munitur, nomen antiquitus sortitam, quasi *castellum*, aut *castrum*: *istam* autem, ad dextram Erpês, inter Cásteram ac Nuyssium; Juliacensis ditionis locum. Præter has urbes autem, & aliam occupârunt, remotiùs ad meridiem infra Juliácum sitam, ad Roram amnem, *Duram* (72); veteribus Marcodú-

codúrum dictam (73) : *Caroli Quinti* Cæsaris obsidione quondam gravissimâ pressam ; &, ab eo tempore, claritudine multùm auctam, urbem.

Omnibus his, quæ dixi, locis, cæterà quidam incolumibus conservatis, Hispanicum *Spinola* præsidium imposuit. *Myllhemium* autem, (& ipsum, ad Rhenum construi cœptum, oppidum) è fundamentis idem evertit: ità Cæsare Matthiâ mandante.

Condiderant id, per eos annos, auspiciîs opibúsque primùm, Principum duorum, Juliacensis successionis competitorum, ad alterum ab Ubiorum Colonia lapidem; *tanquam Aram* (ut loquebantur) *adversùs aram*, homines, novitatum, in religionibus, studiosi: quibus *Colonia*, *sacrorum veterum semper orthodoxa fidáque custos*, intrà suæ limites civitatis, quorumcumque *Protestantium* cœtibus & concionibus interdixerat. Illuc ergò secessione factâ, collatitiîs suis suorúmq; sumptibus, & operîs, mœnia, tecta, synagogas, sibi peculiares, moliebantur. Ac, tametsi contrà constantissimè semper disceptantibus *Coloniensibus*, & adversùs nimiam viciniam oppidi Rhenani-recentis suas veteres immunita-

nitates opponentibus ; Imperatore denique ſcriptîs, ac Dirarum jactibus, reclamante ; perſeverârant illi tamen in pervicaciâ ; *VVandalici* præſertim *Septemviri* (nam Collega cœptîs deſtiterat,) auctoritate, Batavicísque ſuppetiîs oſtentatîs, nixi : donec, ad extrema denique terrorum à Cæſare, *Spinolæ* militares tubæ, machinæ tormentariæ, pilæque plumbeæ, nitratîs flammîs expulſæ, cruentáq; vis omnis, cum ligonibus & rutrîs, ſupervenientes ; Ubiorum è terris, & *Myllhemium* eraſerunt, & contumaciam. (74)

Inter hæc autem, nequaquam otioſus (quanquam *eminus* ferè), cum Batavis ſuis, *Mauritius Naſſavius* ; præter Juliacum (de quo narratum in ſuperioribus eſt) in poteſtatem redactum, in Brandeburgici, jam Calvinum amplexi, fidem adigit *Embricam* ; ad Rheni ripam dextram, ditionis Clivienſis oppidulum : &, in eodem Rheni látere, *Rezum* (75) ; inter Veſaliam inferiorem, & Cliviam, ſitu ferè mediô. tum & *Marcáni Comitatûs* (ſiqua Cluvero fides eſt) *pleraque* munita cis Rhenum loca.

Tali ferè modô victores, & munitionum potientes, hinc Naſſavius, indè Spinola ; *Rhe-*

nanam

Anni Acta.

nanam utrimque persultabant *Germaniam*: quoad tandē indignatus quodammodo Rhenus, suos semper impunè frangi campos; more suetô violentiùs exundare, latiúsque, cœpit: & cœli præterea nivosior tempestas, præfestinatò superveniens; utriusque militem in hiberna compulit: utrumque verò Ducum, ad armorum expeditionúmque suspendium. (76)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Appamianus, in hunc annum, numerô 1.* (2) Babylon *enim ædificata fuerat in terra* Sennaar. *Genes. 10. v. 9. ubi nunc solitudo vasta.* (3) Cubum *Appamianus nominat. Sed nempe, vox* Sama, *dictioni* Cubo *adjecta, (ut fieret*, Cubosáma, *) supremam Japoniæ potentiam, ac dominationem, signat: sicut in ejus antecessore* Taíco, *(qui &* Quabacondónus *antè, & antiquiùs propriô nomine* Fáxiba, *dicebatur) accidit: qui pro* Taico *denique se* Taicosámam *appellavit; & appellari à suis voluit.* Cubosáma *porrò iste, de quo hôc locô sermo est,* Xogon *quoque (nempe,* Senior *) ab aliis nuncupatur. Exarsit autem* Cubus *hic in Chri-*

Christianos primùm omnium, etiam antequam Hollandi, & socii eorum, illuc appellerentur; ex caussis, quas in annuis horum temporum narrationibus, de Paulo Daifachio combustô, Nicol. Trigantius exsequitur: & ego in libro Exemplorum Tragicorum, *Exemplo 1. & 2. de Protasio.* (4) *Sic loquitur Appamianus, num. 10. in hunc annum.* (5) *Joann. 16. v. 2.* (6) *Hic idem & Imperii tunc Septemvir fuit: teste Slejd. Redivivo, libro 19. pag. 1365. col. 2. fin.* (7) *Continuator A. Jansonii, pag. 393. & 394. & Slejd. Redivivus, lib. 19. pag. 1367. & aliquid Cluverius quoque, pag. 772.* (8) *Cluverius ibid. col. 2. princip.* (9) *Ezechielem à* Meden, *Jansonii Continuator eum nominat; quasi nobili domô ortum. pag. 347. Ezechielem* de Menden, *Appamianus, num. 12. Ezechielem* Meth, *Slejd. Redivivus, lib. 19. pag. 1351.* (10) *Hunc ità nominat Slejd. Redivivus, locô, modò citatô: articulô 10. At Jansonii Continuator,* Joachimum: *qui fortasse binominis fuit appellationis; aut certè Joachimum mutavit in Isaiam.* (11) Jochim Stifel. (12) Clauß Groß-Gott. (13) Maria / von der Weltmeden. *Saxonibus (cujusmodi fuerunt hæretici isti)* Med / & Meden / *sunt,* Virgines. *Indè Magdeburgum quoque, seu*

Anni Acta.

seu Parthenopolis, illis, idiomate maternô, dicitur Medenburg. *Vide Abr. Saurium, de Urbibus, V.* Magdenburg. (14) *Nam illius juridica enuntiatio, hôc locô, plurali numerô, tam in verbis, quàm in pronominibus, bis ter utitur, apud Continuatorem Slejd. lib. 18. pag. 1351. artic. 10. & postea artic. XI. & XII.* (15) *Continuator A. Jansonii, pag. 410.* (16) *Idem, pag. 372. med.* (17) *Lege mandatum Achmetis, ad Transsylvanos, apud Slejd. Redivivum, libro 19.* (18) *A. Jansonii Continuator, pag. 410.* (19) *Jodocus Hondius scribit,* Medwisch, & Megiesch, *in tabula Transsylvaniæ. Sita verò est, ad Marusium fluvium, supra Albam Juliam, ad latus Euro-aquilonare.* (20) *Est enim & extra Europam, & nempe in Asia minore, sua Gallia: aliter &* Galatia *Græcis; & incolæ, Galli, Gallo-græci, ac Gálatæ, dicti. Et ad Americam Borealem, nova Francia: seu* Novam *quis* Galliam *appellare velit; in qua, anno superiore, tumultuati Angli piratæ sunt: ut in loco diximus.* (21) *Sic eum nominat Hartvvicus de Pere-fixe, in vita Henrici IV. pag. 512. & alii. Appamianus, & Gramondus,* Concínum. (22) *Barthol. Gramond. lib. 1. de gestis Ludovici XIII.* (23) *Vide eundem Gramondum libr. 1. pag. 38. & 39.*

Septennium II. Annus 1614.

& 39. editionis Ambstelodam. in 8. (24) *Ità Continuator A. Jansonii pag. 356. & Slejd. Redivivus lib. 19. pag. 1355.* (25) *Continuator Slejd. hunc nominat* Bralinum. *Gramondius verò, rerum istarum scientior, lib. 1. pag. 45.* Praslinium, *bis.* (26) *Gallicè*, Ste Menehou. *Continuator autem Slejd. locum facti fœderis nominat* Suessiones. *Sed ibi revera* copiæ *tantùm erant Unitorum; non autem Principum* Conventus: *si Gramondo hîc, ut esse debet, fides sit; utpote; qui rebus actis propior fuit, & penè videre quoque gesta potuit.* (27) *2. Maji. Slejd. Redivivus, lib. 19. ad init. pag. 1345. col. 1.* (28) *Sic enim concluserat mandatum suum Cæsar Matthias.* Wie Wir dann erstberührte Statt Franckfurt / vnd deroselben gehorsamen / alten / vnd neuen Rath / Geistlichkeit / zu sambt allen gehorsamen Burgern / Einwohneren / Unterthanen / vnd Schutz-verwandte Judenschafft / hiemit in Unseren / vnd deß H. Reichs Schutz vnd Verspruchnus / auff- vnd angenommen haben wollen. *Contin. Slejd. lib. 19. pag. 1380. col. 2. sub initium.* (29) *Abrah. Saurius, de Urbibus, tit.* Franckfurt. *pag. 518. princip.* (30) *P. A. Jansonii Continuator, pag. 464.* (31) *Abr. Saurius, in Urbibus, titulô* Franckfurt. *pag. 518.*

 (32) *Lege*

Anni Acta.

(32) *Lege Catholicam S. Judæ v. 8. & secundam S. Petri cap. 2. v. 10.* (33) *Slejd. Redivivus, lib. 21. pag. 1466. col. 1.* Ein Kuechenbecker. *& lib. 19. superius, pag. 1386. col. 1. ante med.* Ein Kuechenbacker. *quod tamen &* placentarum coquum *interpretari ibidem queas.* (34) *Continuator Slejd. lib. 21. pag. 1467.* (35) *Slejd. Redivivus lib. 21. pag. 1465. col. 2. ante fin.* (36) *Apud Slejd. Redivivum lib. 19. Matthiæ Cæsaris edictum Proscriptionis, pag. 1386. col. 2. ante fin.* (37) *Ibid. pag. eâdem: & mox sequente.* (38) *Ut disertè exprimit illorum epistola, (quæ extat apud Continuatorem Slejd.) principiò statim, libro 19. pag. 1391.* (39) *Hæc & apud Joan. Cluverum. Cæterùm voces istæ, sunt Arbitri, in Eumolpo.* Interim coctores, insulariique, mulctant exclusum. (40) *Ad Romanos cap. 13. v. 1. &c.* (41) *Cluverus summatim hæc, pag. 772. col. 2. Continuator verò Slejd. libro quidem 21. pag. 1466. constrictiùs: fusiùs autem, lib. 19. pag. 1396. & pag. 1402. col. 1. & 2. Et apud Jansonii Continuatorem, pag. 464. &c.* (42) *Carol. Stephanus, in Menapiis eam urbem collocat. Menapios autem, vel Geldrenses, vel Juliacenses esse, ait. Jodoc. autem Hondius, in Atlante Minore, titulô* Muersia, *&* Juliacum, *disertè Julia-*

Juliacensibus eam attribuit : pag. 389. col. 1. fin. At Abraham Saurius, opere de Urbibus, Brabantinam *eam facit : quod verum est, si Brabantiam meridianam extendat usque ad Comitatum Limburgensem. quod, an rectè, viderint alii.* (43) *Anno 1656. die 2. Maji, styli novi. Saurius, de Urbibus, titulô*, Aach. (44) *Ità namque loquitur Continuator Slejd. lib. 16. pag. 1206. col. 1. ad. princ.* Die Burgerschafft hat die Waffen an die Hand genommen : deß Rathshauß/ vnd der Stattpforten/ sich bemächtiget ; der *Jesuiter Collegium* eingenommen/ vnd sie darauß geführt. (45) *Continuator idem lib. 16. pag. 1217. col. 1. ad med.* Ist von der Evangelischen Burgerschafft ein *Provisional*-Regierung/ oder etliche Amptsverwalter / angestellt worden; welche die fürnembste der Statt-Aemptern / biß auff andere Verordnung / versehen/ vnd verwesen solten. (46) *Slejd. Redivivus, in Summario libri 19.* Die Statt Achen / wird vom Marchesen *Spinola* überzogen / (das ist/ belägeret.) *Et ideò Continuator Jansonianus ait;* Terrore Spinolæ, se ostendentis, restituunt Aquisgranani senatum Catholicum. *&c.* (47) *Cluverus ait;* Fugiunt Evangelici; qui remanserant, puniuntur. *pag. 772. col. 1. ad med.*

(48) *25. die Augusti. Jansonii Continuator, pag. 478.* (49) *Abr. Saurius, in Urbibus, tit.* Aach/ *ante fin.* (50) *Jodoc. Hondius, in Atlante minore, pag. 496. in descriptione Pedemontii, & Montisferrati. Vide & Nicol. Rittershusium, in genealogia Gonzagarum Ducum.* (51) *Id accidisse annô 1534. Jodoc. Hondius, librô & locô, modò citatô, disertè tradit. Martinus verò Zeillerus, in Itinerario Italiæ, cap. 1. pag. 15. col. 2. paullò ante finem, ponit annum 1530. non, quo Fridericus hic Marchio Montisferrati, sed, quo primus Dux Mantuæ, declaratus erat: cùm antea Gonzagæ Mantuani, fuissent* Marchiones *tantùm. Non ergò contradicit Hondio: qui de solo Montisferrati* Marchionatu *loquitur.* (52) *Zeillerus, ibidem.* (53) *Expende hoc loco, quæ Jodoc. Hondius, in descriptione Montisferrati, ponit pag. 496. &, quæ Zeillerus, in suo Italiæ Itinerario, cap. 1. pag. 16. & reperies concordes, etiam in Annis: si sic concilientur, ut hôc locô feci.* (54) *Legantur* Prætensiones *Ducis Sabaudiæ, contra Ducem Mantuanum, circa possessionem Montisferrati; apud Slejd. Redivivum lib. 18. pag. 1300. col. 2. & pag. seq. col. 1.* (55) *Ludovicum enim, annô 1610. ipsi natum, annus 1612. die 2. Decembris, abstulerat, ut ait Rittershusius*

husius in Genealogia. Spurium *autem, unum saltem, ei superfuisse, adhuc posterioribus annis; colligitur è Zeilleri Itinerario: cap. 3. pag. 86.* (56) *Slejd. Redivivus, lib. 18. pag. 1300. col. 2. post princ. Vide & Rittershusium, in genealogia Aloysii Gonzagæ, Mantuæ Ducis.* (57) *Vide hîc Zeillerum, in Itinerario Italiæ, cap. 1. pag. 13. col. 2. fin. Allusisse porrò Carolinum illud effatum videtur, ad istud S. Pauli, Galat: cap. 4: v. 7.* Quòd si filius; & hæres, per Deum. (58) *De his, vide obiter quiddam indicantem Zeillerum, Itinerarii Italici cap. 1. pag. 14. col. 1. post princ. ex Antonio Possevino, Medico.* (59) *Appamianus, in hunc annum, num. 7.* (60) *Continuator P. A. Jansonii, pag. 489.* (61) *Psal. 75. v. 4.* (62) *Jodoc. Hondius,* Mahmoram *etiam, &* Mannocam, *appellari, ait. Continuator verò Jansonianus,* Mármoram, *pag. 491.* (63) *A. Jansonii vide Continuationem, in hunc annum, ad med. pag. 334.* (64) *De hoc, vide, quæ tradit Abr. Saurius l. de Urbibus, pag. 72. & 73. & 74. littera S.* (65) *De infestatione, nec infelicî, Moscorum à Polonis, Appamianus scribit, in hunc annum, num. 8.* (66) *Livius lib. 1. decad. 1.* (67) *Appamianus, num. 9. & Cluverus, pag. 772. & 773.* (68) *Sic enim*

Anni Acta.

enim se vocari Turcæ malunt, quàm, Turcas. caussam, alibi retuli. In suo *Oriente, nolunt* Peregrini, *&* exteri, *censeri.* (69) *15. Decembris; ait Slejd. Redivivus, l. 19. pag. 1402.* (70) In die Altstätter Schachteley / *ait idem Slejd. Redivivus lib. 19. pag. 1403.* (71) *Abr. Saurius, de Urbibus, tit.* Wesel. (72) *Ità Marcodúrum Adr. Junius vocat, cap. de Oppidis. aliter, Durénum alii, & Duromágum. Germ.* Duren. (73) *Jod. Hondium vide, in tab. Juliaci.* (74) *Contin. Slejd. lib. 19. Jans. Cluver. pag. 771. & 772.* (75) *Aliter, &* Rees. (76) *Janson. Contin. pag. 480. fin.*

METRUM.

A*Lter* (1) *hic Annorum septemplice lubricus* (2) *instat*
Ordo gradu (3), *criticô pallidus auguriô.*
Templa, forum, campos, prætoria, regna, dynastas,
Ipsáque cum trepida sidera versat humô.
Principium à Sacris *capiamus. Jura Sacrorum*
Sub Tiberina venit Dux, Neopyrge, tuus. (4)
Nestorii imbutam vetulô Babylona venenô,
Et conclamatâ jam prope peste nigram,
Eminus Ausonii pastoria dextera Pauli (5)
Dissipat, ac medicâ charta salubris ope.
Hæc fontes aperit sanos; synceráque, monstrat,
Priscorum ex Hyblis mella petenda Patrum.

O, se-

O, felix Babylon! quando Solymásque, Deúmque,
Importat cineri tumba Petræa (6) *tuo.*
AT procùl, extremas æstivi Orientis ad oras
Insolitus Japonum spargit Ovile furor.
Cardo mali est summus, Rex lege, sed ense Tyrannus,
CUBUS, *& ungue ferô tigris, & ore lupus.*
Follis erat, flabrúmque iræ, stimulúsque frementis,
Merce gravis solitâ Geuso-Britanna (7) *ratis.*
Hæc, tumidis ventosa vehens mendacia velis,
Verbosô umbrabat Sacra Quirina dolô.
Perfida fraus! quantò, algenti tibi sidere, telam
Vendere, quàm fumum, ditius esset opus?
Nunc Japonum, hoc lucrum est; quorum in palmata trophæa,
Empta, per Hollandum est, purpura multa, (8) *scelus.*
Interea Europês etiam bacchatur in Aras
Hæresis, Arctoæ gentis in opprobrium:
Islebici nec jam contenta tumultibus œstri,
Extorti juris transilit omne vadum.
Stagnat in immensum (9); *latéque refusa, Genevæ,*
Trans Rhenum, Albim, Oderam, (10) *Lerna propagat Hydras.* (11)
En etiam (quis credat, in hæc vitulamina (12) *fortes*
Degeneràsse viros?) gens dat Avarpa (13) *manus:*
Excussôque Petrô primùm, dein' Saxone ventre,
Calvini inclinat sub juga glabra caput.
Pellitur (ô, Scelerum nunquam, nisi lædat & astra,
Ex Erebo requies!) ara, tabella, cruces.
Ipsum adeò summi, quod humus, cœlum, Orcus adorat,
Exauctoratur NOMINIS *obsequium:* (14)
Fitque Scelus, quod avita fuit latrevsis; IESUM,
Aut capite, aut flexô devenerata genû.

Proh facinus! jam Pauli etiam tuba jussa silere est:
Pressa, Evangelici lingua magisterii.
Quid superest, nisi, cœlo ipsi Venerabile Numen
Detrahere? atque, homines esse jubere Deos?
Tandem, etiam huc ventum est. terræ rediviva Cheruscæ (15)
Vipera, MEDENUS, dignáque prole Parens,
Nomine cum veteri, priscum exsecrantur amictum:
Dissimulant niveis pectora nigra stolis;
Barbaráque à cunis, MARIAM, se dicit, AB ORBE:
Filius in manes EZECHIELIS abit.
Nec tamen hic *prisci contentus imagine Vatis,*
Altiùs, ad solium Numinis usque, volat.
Principiòque sibi Michaël; mox, Altera *summæ*
Majestas Triados, fit genitura *Patris.*
Illa, *Parens nova facta sacri, sinè semine, VERBI,*
Virginitate (thori fessa) triumphat anu.
Néve magisterio sua deforet auris acuto,
It magna his, (terræ filia,) turba comes.
Dresda ligat, Vatémque novum, vatísque clientes,
Et Sathanam Sathanas cedere sede jubet.
Perstat, & obfirmat; ridétque, ostenta petentes,
Islebidæ (16) exemplis cautior, Ezechiel.
Ergò catenatum cohibet custodia vatem;
Procedúntque pari somnia cuncta pede.
Pus-hominis, Deus esse, sibi est, visúsque Tonantis
Filius; ac mendax, Sermo, vigórque, Patris.
Jam Soter, jam Christus erat, jam Victima mundi;
Appendixque sacræ sanguinolenta trabis.
Et, toties corruptæ, uterus, Mariana *pudoris*
Integritas: *Vetulæ ruga, Puella fuit.*

Omnia cuj fuerant, quod visum erat: aut ego fallor;
Aut Dresdæ hujc etiam carcer, Olympus erat.
Omnibus Impietas igitur cùm legibus obstet;
Cur servent leges terra, vel auræ, suas?
Muta novos Elementa sonos, ac Sidera linguas,
Quovis Campanô clariùs ære, movent.
Restat, ut auritô penetres hæc omina sensu:
Quidquid ab insolito fit Jove, pondus habet.
Lampade se geminâ Titanius induit ignis:
Nescio, quam hic noctem, Sol, minitêre novam?
Clausa Varadinas auræ spiracula terras,
Et nutante movent Dacica tecta situ.
Si bonus esse potest, rerum malus exitus, augur;
Turbinis ista, Gabor, sunt simulacra tui:
Turcica qui cæcis, ac Daca, tumultibus arma,
In castella ruens Cæsariana, quatis.
Præscia jejuni, moriturís frugibus, anni,
Larga Carinthiacô depluit axe Ceres.
Nec temerè, inspersô segetes rorâsse cruore,
Adriaci (17) *docuit Martis alumna, fames.*
Quid, qui Pannonici viridantia prata Nemethi
Fons, rubidæ assultans vortice pinxit aquæ?
Nónne futurum, arma, ac cædes, descripsit in ævum;
Barbaricâque Istrum strage, Saviúmque, rubros?
Ast alibi, Tyriô Crux tincta minaciter ostrô,
Explicat innúbi brachia vasta polô.
Christiadas hæc monstra petunt: quibus à CRUCE vulgò
Omne, micante, *bonum est; omne,* minante, *malum.*
Æquora qui canit, Æoliis agitata procellis,
Ac Jovis igniferâ fulmina torta manu;
Ille idem rabidi memorat quoque murmura Ponti;
Nec, tonitrû raucô nubila rupta, silet.

Sic

Anni Acta.

Sic quoque dissutô turbatum fœdere mundum,
Et collata pari dissona signa pede,
Prodere Pieriis conantem in sæcula Fastis,
Prævia non debet fallere Seditio.
Gallicus, *in censu hôc (nam quâ, vix strictâ, statimq;*
Condita, dignabor rectiùs arma notâ?)
Fert primas Fremitus: *dum hinc Rex, & regia Mater,*
Gujsiadæque vibrant Martia tela manus:
Illinc, aula Ducum, sceptris, per cætera, concors,
Sed genio Ancræi dissona, fœdus init:
Diversisque abeunt, castra in popularia, turmis:
Nimbus in Armoricos ferreus (18) *exit agros.*
Cætera, difflictâ sopit Provincia *pace,*
Prœlia; quæ excoctâ proferet Ira morâ.
Quod faciunt Franci, *(proavita colonia Martis* Franconis,) *hoc*, Mœni *urbs quæ* vada *junxit*, (19) *agit.*
In Proceres tollit *plebs* cornua, *vivere sueta*
Forfice, panificis aut operosa focis:
Judaicæq; inhians opibus Francfordica *cistæ,*
Ponit acum, ac sellas; arma, juventa, *capit.*
Huc prædæ hanc trahit illicium, putris unde fugâsset
Fœtor. at, IN lucris, ipsa cloaca, Rosa est.
Turba rapax Solymas *(plateæ est vox ista)* Minutas
Diripit: & magnas *perdit Hebræus* opes.
Isacidûm miseranda, vagans per tela, per umbras,
Exule, Mœnum omnem, natio lintre secat.
Pejor Aquisgranum *(Imperii venerabile fanum)*
Afflârat rabies, & Styge rixa sata.
Indigenûm furiis, Sacra liberiora sequentûm,
Exul erat sedis curia sana *suæ:*

Morbi-

Morbida *restabat; scabiémque in vulgus alebat,*
Dum similes sequitur fæx populosa duces.
Terruerat Cæsar : terrentem, audacia ridet.
Vibrârat fulmen: fulminis ira, pila est.
Ergò viris, armisque potens, plumbôque volante,
Mœnia Cantabricis Cæsar adhinnit equis.
Scilicet, Augustas implêrat SPINOLA *partes;*
Sàtque fuisse, sub hoc, Cæsaris, indè palàm est:
Namque, sua hunc validis, glomerata Rebellio, vidit
Trudentem agminibus mœnia; & intremuit:
Dàtque manus, tot stricta sciens hîc sceptra, quot enses;
Tot Poma-Imperii, quot volitare globos.
Nunc & Bella *canam. Toties, quis, bella canenti,*
Crederet, & campos, & superesse tubas?
Sed nempe, ARMORUM æterna est successio; *quæque*
Sol mala præteritus *distulit,* hornus *habet.*
Bæticus Allobrogum vastans exercitus oras,
Damnorum alternas dat, recipítque, vices.
Afrorum idem alibi, freta trans Tartessia, victor,
Vindice Mammoricos occupat ense sinus.
Axe aliô, nec clade suâ, nec Marte Polonus
Territus hostili, prisca sub arma coit.
Fœda Smolenskææ refricans dispendia pugnæ,
Unica dum captat mœnia, multa capit.
En iterum, & Schaabas, veteranô fervidus arcu,
Tótque Otomanniadûm nota ruina Ducum,
Arma, foris victor, non spontè, domestica sumit;
Impia cognatô bella movente Cadô:
Quem super, Alquevinus, agens in prælia Parthos,
Marte fatigat avum proximiore, nepos.

Sed,

Sed, gladiô *is*, *qui* & jure, *prior*, *rex sternit utrumque*;
Et diversa, *unô vindice*, *castra jacent*.
Ausa, *nepos luit*, *Arsaciâ* (20) *truncatus ab harpa*.
Sic Spes decollat præcocis imperii!
At procùl hinc, *Boreæ gelido sub Sole*, *Cosacca*,
Rectiùs *in Scythicum dedecus arma calent*.
Rectiùs hoc (*ajo*); *quàm*, *ut lustra Bohemica densus*
Infestans, *cædem ac funera*, *latro struat*.
Thrax fremit Achmetes, & *Caspius æstuat irâ*
Tartarus. *exsultans Sarmata*, *lucra trahit*.
Mauritium, *hæc inter*, *Batavâ valla Embrica pube*
Frangentem, *ac validâ Rezia claustra manu*,
Successu melior, (21) *Genuatis torquet Achillis*
Gloria; *tótque*, *uno turbine rapta*, *loca*:
Castera, *Dujsburgum*, *Grevebruga*, *Vesalia*, *Dura*,
Millhemíque audax dilapidata strues.
Ergò inter sese calidô nova prælia cæstu,
Consererentque pari cruda duella pede,
Spinola, & Auriacus: *quos* (*tanquam in Gargara tauros*
Armenta hostiles, *dividuíque greges*,)
Sic, *sua quemque* Ducem *manus*, *arma*, *sequuntur*, & *urbes*:
Unde novis streperet bellica Fama tubis.
Sed, *rabida arrectos in arenæ prœlia*, *Rhenus*,
Immodicâ stagnans eluvione, *sitit*.
Cùmque ità, *nec castris habilis*, *nec pontibus*, *iret*,
Pervius, *aut ullo commodus obsequiô*:
Ne nihil in propriis ageret, *saltem* arbiter, *arvis*;
Hinc, *atque hinc raptans Signa*, (22) diremptor *erat*.

TESTI-

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Secundum annalium istorum Septennium*, Annus Decimus quartus. (2) *Periculosus : quia* climactericorum *in censu. Vide dicta in Notis, ad Annum 1607.* (3) *Sicut in* clímace, *hoc est, Scalâ vel scalis, gradus se habent; sic in Annuis* Climacterismis, *annorum se numeri.* (4) *Quod* Burgum *Germana lingua vocat, hoc Græca*, τὸν πύργον, *turrim aut arcem.* νεόπυργος, &. Neuthurn / Neuburg. (5) *Pauli Quinti, gente* Burghesii. (6) *In monte Vaticano, S. Petri Apostoli, jam antiquitus, martyrii locus fuit;* S. Petri Confessio *vulgò; & sepulcrum. In eodem monte, Pontificum quoque Sedes, & habitatio.* In Vaticano noster sedet — *de Leone X. Syncerus.* (7) *Hollandorum, (qui & ipsi se* Geusos, *aut* Geusios, *cum Brederodio, nominari sustinuerunt,) & Anglorum, navis.* (8) *Martyrum vestis purpurea. Hymnus Ecclesiæ, in Festo SS. Omnium.* Vos purpurati Martyres. *&c.* (9) *Adeò Calviniana tunc factio circumserpere incepit; ut scripserit Jansonii Continuator, pag. 388.* plures tunc pæne Calvinianos fuisse Principes, quàm Lutheranos : Palat. Rhenanô, & Brandeburgicô,

gicô, vexilliferîs. (10) *Fluvius hic Brandeburgici Marchionatûs*, Viadrus *latinis est.* (11) *Pestes hæreticas. In palude* Lernæa, (*quæ lacus Argivus fuit, Lemannico non dissimillimus*) hydra *fuit, serpens aquatica, centiceps.* (12) *Ecclesiasticum vocabulum, S.* (*ut opinor*) *Hieronymi; à* vitulari *deductum: quod Varroni & Festo est, lætari, ac vitulorum more, in pratis lascivientium, exultare. Germani dicunt*, wie die Mertzenkälber gumppen. *Sapient. 4. v. 3.* Spuria vitulamina, non dabunt radices altas. Kälbergumppen / macht nichts / als Lumppen. (13) Avarpi *veteres, ad Viadrum fluv. ubi ferè nunc* Brandeburgici. *Abrah. Ortelii tabulam vide Germaniæ veteris, ad lævam* Oderæ, *seu Viadri, ripam.* (14) In Nomine JESU omne genu flectatur, Cœlestium, terrestrium, & infernorum. *ad Philippens. 2. v. 10.* (15) *Saxonicæ.* (16) *Lutheri: cuj patria* Islebium. (17) *Venetorum, contra Ferdinandum, Styriæ tunc &c. ducem, Archiducem Austriæ, bellum, famem peperit, & prorogavit.* (18) *Omnis enim Gallicæ dissensionis impetus, exoneratus demum est in Britanniam Minorem; ejúsque Proregem, Cæsarem Vindocinensem.* (19) *Urbs* Francofurtum; *quæ suam Mœni ripam, &* *Saxen-*

Saxenhusianam, *ponte lapideo connectit*. (20) *Parthicâ macharâ*, *incurvâ*. Arsaces *autem*, *Parthorum rex antiquissimus* : *& successores*, Arsácidæ. (21) *Quem Spinolæ felicem progressum* Matthæus Zubérus, *poëta laureatus*, *scabiosissimus*, *negat* ; *Spinolam Goliatho latenter*, *in Philippo III.*, *Mauritium Davidi*, *æquiparans*, *Parte* 2. *pag.* 29. (22) *Bellica namque signa vexilláve*, *à fluctibus evulsa*, *huc illuc ferebantur.*

APOCOMMA I.

Summæ Canisianæ perlectæ, *summa utilitas.*

I. NEscias, immensámne potiùs eruditionem, an ardentissimum religionis studium, an incredibilem denique legendi, seligendíque prudentiam, & conscribendi sedulitatem, suspicias ; qua vir Theologúsque venerabilis, PETRUS CANISIUS, Noviomagensis, adhuc vivente, vidente, perprobantéque lucubrationem, *Ignatiô*, Societatis patriarchâ, Volumen illud composuit, quod *Summam* inscripsit *Doctrinæ Christianæ* : *præclarissimam*

Summa Canisiana.

clarissimum, (ut Philippus inquit Alegambe, Bruxellensis,) Opus; *&*, *quod instar copiosæ possit esse bibliotheca*. Quod ipsum tamen deinde non parùm amplificare visus est *Petrus Busæus*, Canisii gentilis & cognatus: dum Sacrorum bibliorum locos, & testimonia Patrum, à *Canisio* duntaxat in marginibus, quasi per digitum intentum, indicata, plenis ipse sententiîs, ac verbîs, ad integrum appositis, auctoravit.

II. Hujus, quod diximus, *Operis* attentâ sedulâque lectitatione permotus, Comes Palatinus Rheni, *VVolfgangus VVilhelmus*, *Dux Neoburgicus*; Protestantium demum opinionibus, in rebus *Fidei*, relictìs, ad *Ecclesiam* transiit Romanam: ídque palàm omni multitudine, quæ Disseldorppii confluxerat, ad Catholicæ religionis professionem, in urbis illius æde principali, vigesimo quintô Maji, sollemnî luce Sacrosanctæ *Triadis*, editam ore Ducis. (1) Hujus autem actûs, primum, à Deo, proximúmque, stimulum fuisse, *Canisianam lectionem* illam; non modò Princeps hic, auctor & assertor, auctore quovis & assertore facilè major, affirmavit (2): sed & hujus in regna transmarina *Legatus*; quem *Petrum*

trum Simonium Rizium, familiæ *Niederempfianæ* nobilem virum, Janſonianus ſucceſsor nominat.

Hic enim, quem dixi, *Simonius*, cùm au-ctoritate miſsúq; Sereniſſimi Neoburgici, cæteros inter ſummates Aquilonis, etiam *Trianactem*, Albionis Priamum, orator ſalutaret; & in cauſsâ Juliacenſi, mutationéque ſacrorum, geſta Diſseldorppii, diligenter, (utpote Sereniſſimæ Domûs Neoburgicæ fautori priùs,) exponeret; mirante Trianacte novum Ducis conſilium, adjecit legatus; *Convictum argumentîs, ac teſtimoniîs inſolubilibus Scriptoris Jeſuitæ doctiſſimi, Principem ſuum, à Lutheri partibus, non potuiſse tandem non ad partes transire Pontificiorum.* Et cujus (inquit Trianax) ſcriptoris, tam potentibus vel verbîs, vel herbîs, excantatus, vela Dux veſter retrò vertit? *Caniſii*, (reponit orator,) *in Opere Catechetico.* Tum Trianax; *Diræ malè faciant*, (exclamat) *iſti furioſo Cani, qui Principem hunc tuum momordit! Malè quoque faciant omnibus, qui ſunt, & qui fuerunt, & qui pòſt erunt, Jeſuitis; perfidæ ſectæ; peſti mortalium pernicioſiſſimæ! quæ, quos Lutherus & Calvinus, à Papa, ſervitutéq; Babylonicâ, feliciter abſtractos*, (3)

Ff 2 ad

Summa Caniſiana.

ad Deum ac Dei Verbum reduxerunt ; ipsi denuò veterem in captivitatem compellunt. in quorum numero, tuus quoque nunc Princeps, sicut aliquot abhinc annis & Marchio Badensis, à castris nostris, (si verum audire volunt,) non facere Transitum ausi sunt, sed Apostasiam. (4) Hæc Trianax : oblitus, seipsum etiam (& quidem in deterius,) patris, ac matris, &, super hos, *quinque* maternæ stirpis avitorum, sibíque cognominum, antecessorum, (5) fuisse, circa Sacra, *desertorem*. Quibus ille tamen in præsens dissimulatis, his, fastigiô suô parùm dignis, maledictis Jesuiticum Ordinem, in odium invidiámque *Canisii*, quasi Tartarei cujusdam *Canis*, exagitans ; legatum dimisit: Canis exsecrationem intrà sese retinuit.

III. Neque tamen agnominis ejus auctor primus, aut usurpator solus, in insectando Canisio, Trianax fuisse, censendus est. Jam dudum antehac, apud Germanos, in Comitiis *Bojariæ* provincialibus, & in urbe, flumen Isaram adjacente, *Landishutô*, pars Boicæ nobilitatis, animadversô, fiscum DUCIS (is Albertus erat Magnanimus) aliquantò tunc egentiorem esse ; memorabilem ei pecuniæ collativæ summam obtulêre ; si copiam eis *Nova-*

Novatæ religionis, & è scitis Evangelii-Quinti vivendi, docendíq;, faceret; aut usurpatam, dissimulanter transmitteret. Negatâ verò, (sicut decuit,& oportuit,) tam impiâ Sacrorum nundinatione; caussam repulsæ totam in eum, qui Regiæ Bojorum à Cancellis tunc erat, & in Petrum CANISIUM, quo multùm Albertus DUX, ad Sacrorum tutelam, utebatur, conjecerunt: hunc vulgò, quòd *Viennâ* venisset, CANEM appellantes *Austriacum*; Et *certè*, *CANEM*, (inquit is, qui *Vitam Canisianam* in ACTA redegit Annalia, dum Añum exsequitur superioris Sæculi Quinquagesimum quartum,) profectò *Canem*! non, eorum è numero, qui *mutos* se gerunt, & *latrare non valent*; sed Canum vigilum, ac vocalium: & custodum ovilis, contra *lupos raptores*.

IV. Hic idem verò *Vitæ*, quam dixi, *Canisianæ* compositor, in Actis Anni quinquagesimi sexti memorat: Cùm Pragæ Bohemorum *Canisius*, concionibus suîs egregiam adversùs hæreses operam navaret, ídque vel inprimis *Hussitas* (ibi tunc numerosiores,) ureret: inventum esse die quodam, sparsum ab eis, adversùs Canisii nomen, monostichon.

Hinc procùl esto, Canis! pro nobis excubat Anser.

Quibus illi metri verbîs posterioribus *Hussium*, antesignanum suum, designabant; tanquam adversùs *Canisii* cathedras, & verba, clangentem, in scriptis, posterîsq; suîs: simùl autem & Veteris Romæ, de Gallis, noctu Capitolium affectantibus, sed Anserum clamore, dum dormiunt Canes, próditîs, historiam vellicantes.

Atqui (subdit, quem dixi, Canisii gestorum auctor) *summæ sanctimoniæ viri, præstantissimique Verbi-divini præcones, Bernardus & Dominicus*, priusquam nascerentur, *Catulorum fuerant* in somnis *effigie, symbolôq;, præsagiti*. Divúsque nominatim *Dominicus Gusmannus*, matri visus est, Catellus in utero, faculam ore præferens; ac terrarum orbem (igne, quem Servator cœlô se demissurum spopondit) incensuro simillimus, refulgens.

V. Quantumvis autem *Canisius* invisus universim Sectis esset; adeò quidem, ut earum alumni quidam, è plebis scelestioris fæce, genus omne dicteriorum in ipsum, & (pròh nefas!) etiam nonnunquam in *Sacrificantem* lapides (tanquam in Canem) per fenestrarum laxiora, Pragæ jactarent: *Hussitæ* tamen ipsi, solidam ejus doctrinam maximi facie-

faciebant. Iidem quoque, ſicut & Judæorum Pragenſium plerique, charum eum habebant; venerabantur, ac ſuſpiciebant, ob incomparabilem viri manſuetudinem, morúmque modeſtiam; vulgò cæteroqui, tam inſigni (qualis in Caniſio fuit) eruditioni rariſſimè ſociari ſuetam.

VI. Sed ad Canis, unde deflexímus, agnomen, utì paucis revertamur: Hujus herclè generis *Hyláctorum*, qualis *Caniſius* extitit, ſic ante fores, portas, ac portus, excubantium, & *abactores-gregum*, voce, pietate, ſcriptìs, abſterrentium; ſi quondam agmen Europa, ſi *copiam*, ac multitudinem, habuiſſet: nunquam *Koppius*, ex unicò Parthenóne Nimptzſchenſi, tanquam ex ovili lupus, *novem* ſimùl, Deo votas, *virgines*, elicuiſset; & ipſis *Majoris Hebdomadæ* diebus, ad ſacrilegam *Carnis* libertatem, laudatore facinoris, & *numeratore* prædarum, *Evangeliſtâ Quintô* (6), ſurripuiſset. Nunquam *Knoxius*, *Buchananus*, & *Papa Genevatis* emiſsarii cæteri, (7) tantum agnorum agnarúmque *Caledoniarum*, (8) ab Eccleſiæ ſeptis avulſarum, *abigeatum* feciſſent. Hæc *Trianacti* vox, pro ſua ſit *Apoſtaſia* voce. qui nunc, dum in *Principes* incur-

rit, castra mutantes; & in *Canisium*, pro vallis excubantem: quid agit aliud, nisi, *mortuos ut flagellet?* immò verò, mortuus ipse vivos; nec tamen dolentes: sed, (quod de se dixit Ennius extinctus,) *docta per ora virûm* lætè toto *volitantes* orbe. (9)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Jansonianus Continuator*, *pag.* 376. & *pag.* 411. & *pag.* 443. *libro* 5. *tomi* 7. *Appamianus*, *in hunc annum*, *num.* 5. (2) *Philippus Alegambe*, *bibliotheca Scriptorum Societatis*, *litterâ P. in* Petro Canisio, *pag.* 374. *col.* 2. *post initium.* & *Contin. Janson. pag.* 443. (3) *Allusio ad tractatum Lutheri*, de Captivitate Babylonica, *inscriptum.* (4) Apostasiam, *à Trianacte expressissimè nominatam fuisse*, Conversionem *Serenissimi Neoburgici*, *apud Legatum ejus*; *refert Jansonii Continuator*, *libro* 5. *tomi* 7. *pag.* 443. (5) Bajocórum; *in serie regum Caledoniorum. de qua Buchananus loquitur*, *in Programmate Paraphraseos Psalmorum Davidis*, *ad Mariam Stuartam*, *reginam.*

Nympha, Caledoniæ quæ nunc feliciter oræ,
Missa per innumeros, sceptra tueris, avos.

Quo-

Quorum etiam Album *idem Buchananus histo-ria sua præmittit ; à* Fergusio *cœptum , & in* Bajóco *6. finitum.* (6) Leonardus, *cognomen-tô* Kopp , *civis Torgaviensis ; è monasterio* Nimptzschen, *anno millesimô, quingentesimô, vi-gesimô tertiô , circa* Parasceven , *moniales illas rapuit ; VVittenbergam adductas, & ibi profa-no cultui vitaq; redditas. Factum hoc Luthe-rus, epistolâ ejusdem anni, feriâ mox sextâ Pa-schalis hebdomadæ, exaratâ, prædicat ; VVitten-bergâ scribens : quæ extat tomô 6. VVittember-gensi , apud Joann. Luft, anno 1553. impressa, pag. 2. folii 247. Raptarum porrò, (quæ tamen rapi , gratè tulerunt,) à Luthero posteris ista traduntur, & hôc ordine, nomina, & cognomi-na.* Magdalena Staupitzin. Elisabetha Canitzin. Veronica Zesschaw. Margareta Zesschaw , soror. Lanéta , von Golis. Ave Grossyn. Catherina, von Bore. Ave, von Schonfeld. Margareta, von Schonfeld. *Ex his* novem, *ipse sibi postea* septimam *excerpsit ; & conjunxit.* (7) *Talem Calvinus se Genevæ jactavit : talis haberi voluit. Bolsecum vidè.* (8) *Caledonia sylva , & Caledonii populi , in Scotia sunt. Abr. Ortelium, in tabula vide, Bri-tannic: Insularum.* (9) *Apud Ciceronem : cujus*

testimonium adducitur, etiam in fine Vitæ Ennii, Tomo 1. Vet. Poët.

METRUM.

C*Uj genus, ac ceras, priscæq; Insignia gentis,*
FORTIS ab innumeris bellua pingit avis,
(Marmaricus nemorum terror, fulvísque jubatus
Colla comis, rictu bella minante, LEO,)
Casta Palatinæ *repetens Sacra gentis, & aras,*
Wolfgangus, *Petri se profitetur Ovem:*
Aviaque Islebici ejurans pecuaria saltûs,
Thybridis alma redux prata, nemúsque, subit.
Huc, Neomagæi vigilata volumina Petri,
Solliciti curas exacuêre DUCIS;
Qui, tantæ meditans oculo scrutante, manúque,
Lucis Opus, VERI denique vidit iter:
Séque Canisiacis, *post lumen ab æthere, lychnis*
Deberi, memori Dux pius ore tulit.
Ergò, Canisæum in nomen dentem Hæresis armet;
Quando suo *locus est inter & astra* Cani.
Sit, *latratorum de gente*, Canisius *illis;*
Sit *Pterelas, Melanevs, Ichnobatésque sagax* (1):
Stringat *in hunc adeò Arctóus quoque rostra Molossus:*
Attonet hunc Stygiis Cerberus ipse minis!
Grande Canis *nostri decus est, venatio felix;*
Atque PALATINUS, *Martia præda,* LEO. (2)

TESTI-

TESTIMONIA.

(1) *Nomina canum, in Actaone Ovidiano, Metamorph. lib. 3.* (2) *Quem in Insignibus gerunt gentilitiis Comites Palatini Rheni.*

APOCOMMA II.

Exilium Cosaccorum, diffictum.

I. CRabrones nemo facilè, nisi fatuus, & compunctu dignus, irritabit. Furiosum vesparum grandiorum genus est; equinis è cadaveribus procreari, sylvestriúmq; cavernas arborum incolere, solitum: & indè, villaticum in pecus, amarô cum susurro stridoréque, sed amariore longè vulnerum inflictu, provolare. Tale quiddam (pace bellicosissimæ gentis dixerim) equitatûs Polonici cuspis, *Cosacci* sunt; è regni nobilissimi plerumque *recessibus abstrusioribus*, in *ferinam* Turcarum Tartarorúmque barbariem, prosilire sueti: rarô sinè luculenta, sæculísque celebrandâ, clade. Quos proinde, nisi demens & excors per omnia fuisset, nequaquam adeò graviter Achmetes I. Otománnides, exasperâsset: ob incen-

incensas, nuper admodum, in Ponti navalibus, triremes, (de quibus diximus,) acriter eos apud Sarmatiæ regem incusando; dissimulaturum autem, ad vindictam, ac pœnas, ab eis expetendas, ferociter incitando.

II. Fugiebat nempe mentem ejus, ultionis cupiditate cæcam, & vecordem; *MULTITUDINEM peccantem, sinè novâ validioréque multitudine, non castigari*: multò verò minùs, totam exturbari. Sperabat ille tamen nihilosecius, *ejectionem* saltem Cosaccorum, & *exilium*. & hi, se timere tale quiddam, præ se ferebant: ac migrabant, *Orientem* versùs.

Iîs ergò Poloniâ sic extrusîs, cùm à tergo nulla spes receptûs eis ab Germaniis foret; Turca clausurus antrorsum, & à lateribus, omne Cosaccis effugium erat; &, objectîs eorum progressui, quasi repagulîs, Euxinô, Mæoticô, Caspiô, mediterraneóq; mari; sic in sicco demum illos, quasi bestias in amphitheatri medio, deprehensos concisurus.

Sed falsus est animi. Cosaccos captans, captus est ipse suîsmet cassibus, & obsipatô pabulô. Nam hi, non aliter, ac flammîs immenso campo, maturarum segetum pleno,

prope

prope messis tempus immissîs, vehementîq; ventorum flatu propulsis; tanquam uno tractu continente sæviens *incendium*, paullò pòst, (1) Occidentis Orientísq; Turciam perpopulati sunt. Ignémq; tam vastum, *Achmetes*, suîs omnibus, quas minatus erat, marium aquîs, non extinxit; sed querelis suîs, affusô velut oleô, geminavit: regionibus, & opulentiâ nudatîs, & cultore desolatîs. Ità *Cosacci* nempe fugerant; ut omnia fugarent.

NOTA.

(1) *Appamianus numero 8. refert Turcicam calamitatem illam in* hunc *annum. In* sequentem *verò, Slejd. Continuator, lib. 5. parte quartâ. Verisimile est: aliquid horum utrôque contigisse.*

METRUM.

C*Lade quòd Odrysium* (1) *densâ destringeret orbem,*
Divite prædator Marte, Cosaccus *eques*,
Sarmatico Achmetes *regi dequestus; atrocem,*
Ac Majestatis, *scripserat, esse* dicam.
In jus ergò vocat; repetundarúmque, *latrones;*
Lege *reos peragi, Rege citante, jubet.*
Judicium tandem acre datur, prætórque, citatis:
His, facinus fassis, pallor in ora venit,

(Sed

Exilium Cosaccorum, dissictum.

(Sed mendax, simulante metum molimine fraudis.)
Artifice arripiunt extera regna fugâ.
Indè, ruente vagi, per & æqua & iniqua locorum,
Agmine, Threjiciam depopulantur humum.
Byzantina adeò (tanta est audacia læsis!)
Impunè admotô, mœnia Marte, premunt.
Hinc Mœsos, & utramque plagam septemplicis Istri,
Et, quæcunque niger littora Pontus (2) adit;
Pluráque, ferrô, igni, spoliis, formidine, miscent.
Achmetes querulas jactat ad astra manus;
Quidque Cosaccææ delatio justa rapinæ
Profuerit? quid lex? quid juvet urna? rogat.
Ne dubita. juvêre nimis. nam, Ex lege, nocentes
Verterunt (regio quod probat usta) solum.

NOTÆ.

(1) *Odrysæ, & Odrysii populi, pertinebant olim ab Abdéris Thracicis, usque ad Pontum Euxinum, & Danubium; spatiosissimô regnô, quod anno superiore pervaserant* Cosacci: *caussámque expostulandi Sultano Turcæ præbuerant.*
(2) *Euxinus: qui Græcis hodiernis* Maurothalassa *dicitur: Germanis*, Das Schwartze Meer. *id est*, Nigrum mare.

APO-

APOCOMMA III.

Stella Diurna, Gratianopolitana.

I. GAlliæ Narbonensis (quæ *Provinciæ* nomine jam olim celebratur) pars ad Septentrionem est; quæ *Delphinatus* dicitur. In ea, *Gratianopolis* est urbs, ab instauratore, *Gratiano* Cæsare, non modò nomen, sed & amplitudinem, turres, ac propugnacula mœnium, adepta: proptereáque plus aliquantò splendoris habens, quàm *Accusium* vetus; quo vocabulô priùs traducebatur. Cæterùm, haud paullò præsens hic Annus (*Septennii secundi* postremus) illustriorem reddidit *Gratianopolim*, à *cœlesti* quoque, nec prodigio suô vacaturâ, *luce*.

II. Dies erat Martii vicesimus sextus: & populus *orthodoxus*, horarum *quadraginta* continuatâ precum societate, supplicabundus; in Æde Sant-Andreanâ pacem Superûm exposcebat: cùm repentè, primâ post meridiem exactum horâ, super illius ejusdem templi fastigium pendens, apparere *Stella* cœpit; insolitæ cujusdam, & eximiæ, nec antehac observatæ, claritudinis. Ea, multîs mortalium millibus

libus inspectantibus, fixa manens, & immoto situ, lucere perrexit, universô residui diei vesperísque tempore: donec nox ingruens *stellam* hanc abduceret; &, nocturnis obeundis vigiliis, reliquam *cœli* siderei *militiam* ei sufficeret. Ex quibus tamen omnibus, *stella* nulla tantum à radiis suis, quantum isthæc, admirationis habuit: quoniam æmulîs duobus potentissimîs, quos hæc superaverat, hoc est, *die Soléque*, concertantibus destitutæ. (1)

NOTA.

(1) *Appamianus in hunc Annum, numerô 4.*

METRUM.

Celticus unanimi populus dum poplite pronus
Supplicat, ac mediô fervet in astra die;
Conferti radiosa super fastigia templi,
Aurea, non solitô Stella *nitore, flagrat.*
Nec, radii verita extingui potioris ab igne,
Solis inoffensum fulgure, fixit iter:
Firmáque, dum serum succenderet æthera vesper,
Insessâ nusquam movit ab Æde gradum.
Qui Ptolemæœis attingunt sidera palmis,
Vicinum terris hoc statuêre jubar.
Namq; aliter, quînam hæc, unam hanc, magis urserit ædem;
Quàm Rhodanum, ac Ligerim, Pictonas, atq; Gothos?

Hoc

Hoc volui: Ad nos stellatus descendit *Olympus*,
Ascendant *nostræ si priùs astra* preces.

APOCOMMA IV.

Ineunte Januariô, Palatina pariens.

I. ANnus hic, Palatinæ quondam ad Rhenum *Electrici*, tredecim illorum, de quibus anno decimô tertio dixi, partuum initium, Januariô cum mense fecit; in *Henrico Friderico*. Nec multùm interest; natalémne diem assignemus illi, *Calendas*; ut in hunc annum facit *Continuator Jansonianus*, &, siqui præter hunc alii senserunt idem: an potiùs, postridianum Januarii Calendarum; quod è Rittershusio (1) nos statueramus superiùs. (2) Quid enim, si nixum mater, ante noctis medium, orsa fuerit; cùm adhuc *Calendæ* durarent? finitô verò *noctis* (ut ità loquar) *meditulliô*, cœptóque die postridianô, sit *enixa*? cùm præsertim, & *obituum* nonnunquam tempora videamus, sic, tanquam *utrimque* rapientia sibi quidpiam amphibium, consignari. (3) Fecit interim genethliacæ calculationis ista discordia, quodpiam velut Oedipodéum, ac Sphingicum, ænigma: quo quæreretur, *Quis*, & quo-

Palatinæ partus.

quomodo puer, aut ubi, natus esset; antequam nasceretur?

II. Non omnino quoque nihil, ad *quæstionis* hujus *involucrum*, contulisse videri potuit, *Harlemensium* magnificentia *munerum*; superioris jam anni rumoribus expressa: qua, progenethliîs *Palatinæ prægnanti*, non secus, ac *puerperæ*, congestîs, *septem* solidîs priùs mensibus, infantem nasciturum cunabulorum ornamentis omnibus opulenter instruxerant; *haud minùs, ac jam natum.*

Immemores videlicet, aleæ, casuúmque, mortalis conditionis! quâ *Lucina* non omnibus puerperiis æqualem oculum, & horóscopum, indulget: sed quosdam pueros aspicit, ceu, non *vivos* modò, verùm & *vivaces* (utì fratribus *Henrici Friderici* favit): alios (sicut hujc evénit), tanquam splendidè quidem nascentes; at ingloriè, brevíq;, denasdituros. (4)

In hanc ergò tantam futurorum incertitudinem acceptâ *spirandi*, vel *exspirandi*, lege; quænam, oro, *puerpera*, non *præficam* priùs, quàm *matrem?* quæ non proles, *fletum* antè, quàm *vitam*, ordiatur?

TESTI-

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *In Genealogia Nicolai Rittershusii ; tabulâ Comitum Palatinorum Electorum, quorum caput*, Rupertus, *Dux Bavariæ, Comes Palatinus, Electus Imperator &c.* (2) *In Apocommate V. anni 1614.* (3) *Ità, verbi gratia*, S. Francisci Borgiæ *decessum, refert* in ingressum primi diei Octobris mensis, paullò pòst mediam noctem, *Scipio Sgambata ; in compendio vitæ ipsius, capite 26. quò eadem tendit & Franciscus Sacchinus, tomi 3. histor. Societ. lib. 8. num. 31.* vitæ vinculis solutum referens, sub noctem mediam, ac potiùs, aliquantùm jam inclinatam. quo fiat, ut ipsas magìs Calendas Octobris, quàm pridie, consignari oporteat pro obitûs illius die. *Philippus autem Alegambe, refert ;* pridie Calendas Octobris, excessisse Borgiam è vita. *quâ temporis periodô utique agere animam cœperit. (In bibliotheca Scriptorum Societatis, litterâ F.)* (4) Henrici Friderici *hujus, ut eum nominat Nicol. Rittershus. loc. cit. seu* Friderici Henrici, *(ut Jansonianus Continuator vocat) exitum prematurum, ac miserandum, retuli Apocommate 5. anni 1613. suprà.*

Palatinæ partus.

METRUM.

Angla, palatinô resoluta puerpera pomô,
Progeniem auspiciô fundit Elisa nigrô.
Natales puero, JANI risêre *Calendæ;*
Fatales lacrymîs *sed maduêre Deæ:*
Atropos &, *canæ recolens oracula Majæ;*
Fata (infit) puerum hunc, & paradoxa, *premunt.*
Hujc tegetem ex auro, cunásque, agilémque soporem,
Atque infantilis Serica vincla pedis;
Hujc torulum, ac plumas, & tota genethlia, pridem
Munificum Harlémi straverat ingenium.
Siqua fides oculorum igitur, Chaldæáque lux est;
Ante suos ortus, jam puer ortus erat.
Et tamen hic, tanquam proles Semelëia, Liber,
Cum bifronte iterum numine lumen init.
Cuj, quid vaticiner? QUISQUIS puer inchoat annum,
Ante annum; ille diem finiet, ante diem.

APOCOMMA V.

JACOBUS I., Angliæ rex, in Matrem Stuartam pius.

I. LEge, quâ nascimur, & imperiô Numinis, cuj sacramentum diximus, *honorare* monemur eos; è quibus editi sumus in hanc lucem. Id fit, *erga viventes adhuc*, obsequiîs, amore, cultu; reverentiæ, tam *interioris* affectibus,

MARIA STUARTA
Regina Scot:
Qualis ad judices processit.

ctibus, quàm *exterioris* officiis; ope, tutelâ, mutuæque sustentationis fomentis. Erga *vitâ* verò *functos*, gratâ beneficiorum memoriâ; virtutum jucundâ crebráque commemoratione; supremæ voluntatis exsecutione; precum suffragiis; Justis funebribus, decenter factis; honorificô corporis sepulcrô; marmoris inscriptione, veris ac duraturis laudibus disertâ.

II. *Postremum* horum (erga defunctam) munerum, copiosè JACOBUS, *Magnæ Britanniæ rex*, hôc demum annô præstitit MARIÆ STUARTÆ, *matri suæ*: quam, post annorum plusquam novendecim iniquam captivitatem, (sub fictis criminibus, reipsa verò, quòd religioni majorum suorum constanter immaneret, toleratam,) annô sæculi superioris octogesimô septimô, Februarii mensis octavo decimo die, crudelis Elisabeta, rectrix Angliæ, filia Boleniæ, carnificis iniquissimæ securi dederat obtruncandam, in arce *Fodringhamianâ*; BRITANNIÆ REGALI MACELLO.

III. *Virtutum* igitur *heroidis* istius, decorúmque *Summam*, cum deploratione calamitatis ejus, Rex filius *Epitaphio*, (quod ipsius *Piis Manibus*, in æde Westmonasteriensi, nunc

Epitaphium Mariæ Stuartæ.

erexit,) compluribus, & ornatîs verbîs, intulit. *Metrô* nos, eorum duntaxat *succum* exprimere solliciti; de cætero, Continuatori Jansoniano (qui verbosè totam exscribit) prosam *aridam* reliquissemus (tomi septimi libro quintô prostantem:) si Regis interim Britannorum etiam nuda duntaxat *Epigraphe*, vel *nostrum* quoque *Metrum*, satìs intelligi, sinè *plena* rerum STUARTÆ *cognitione*, posset. Ejus igitur & VITÆ nos, & MORTIS, enarrationem, necessariò copiosiorem, post *Metrum*, ejúsque Notas synopticas, percursas, APPENDICIS inscriptam titulô, volumine separatô subnectemus.

METRUM.

SCota, Boleniados *jugulata* Stuarta *bipenni*,
Infensâ tumuli marmor in urbe (1) *capit.*
Nati grata manus, doctus stylus, aurea penna,
Conscia mens, animus regius, ira memor,
Hunc tituli cippum, serîs licèt, attamen amplis,
Sic meritæ Matri, *suscitat exsequiis.*
Quis vetat, è multis vel pauca hæc subdere palmis?
Scotorum è prima clara Stuarta domô;
Tot proavûm Regina genus regum; Arboris hæres, (2)
Usque à Fergusidis sceptra trahentis avîs:
Anglo-

Anglorum solium, Trinobantææq; (3) coronæ,
Et rubram, & niveam, nata tenere Rosam: (4)
Exquisitum animi, speciosum corporis, (5) ingens
Ingenii, exemplar; nobilitatis apex:
Strenua, sed frustra: fortis, sed viribus impar
Invidiæ, ac sævis exagitata dolîs:
Contemptrix mundi, victrix necis, & lassatrix
Carnificum (6), ac magno victima fida DEO.
Regia subjiciens sceleratæ (7) colla securi,
Ætheria immeritæ præmia cædis habet.
Perpetuæ hæc brevis Urna spei est; Præconia nati
Maxima; nec fallunt de genitrice fidem.
Macte operis, calamique tui, facunde Monarcha,
Tam tenerè in Matris *fuse trophæa tuæ!*
Sed Tu (pace tuâ!), qui scis, MONIMENTA Parentum
Optima, non Tumulum, sed Sobolem esse Bonam;
Quàm bene finisses hæc vocibus omnia quinîs?
HÆRES VIRTUTUM, FILIUS, HOC POSUIT.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *VVestmonasterii nempe: quod pars urbis est Londini, ubi nunc* Stuarta *sita est. Abr. Saurius in* Londino. (2) *Per successionem, quâ in Regum Scoticorum Catalogum intrárunt, longô ordine,* Stuarti. (3) Trinobantes *olim (ut eos*

eos Abr. Ortelius nominat, in tab. vel, ut alii, Trinovantes, aut Trenovantes. Saurius, in Londino.) ad lævam Tamesis ripam, & oram: ubi nunc Londinum *etiamnum est, &* Sion, *&* Middelsexia. (4) *De familiis regiis*, Lancastriensî *&* Eboracensi, *quæ tempore Henrici 7. (antequam hic Elisabetam duceret, Henrici VIII. matrem,) adhuc insignibus distinguebantur* Albæ, rubræq; Rosæ, *consule Smithum, in Republ. Anglorum. In summa! post Elisabetæ Boleniana mortem, ad* Stuartam, *lege propinquitatis, hæreditas utriusq; Rosæ, hoc est, Unitum Angliæ regnum, transisset: nisi præmori coacta foret ipsa.* (5) *Maria Stuarta pulcritudinem corporis, prædicat etiam* narrator Supplicii *ejus, folio ultimô, Calvinianus scriptor.* Ingenii *verò* elegantiam, *Buchananus laudat, Rerum Scotic. lib. 15. ut &* Excellentiam ejus formæ. (6) Pluribus enim unô, trucidata fuit ictibus Stuarta. (7) Maledictam securim, *Inscriptio appellat soluta: quam* Appendicis *Operi sepositio, sub ipsum ejus finem, subinferemus.*

SECUNDI SEPTENNII
FINIS.



IN-

INDEX

Rerum, ac vocum, memorabiliorum

SEPTENNII II.

A.

per

Cosac-

D.

Fettmil-

370. frustrà Senatu reclamante. pag. 370. Turbas has sedandas Cæsar committit Electori Moguntino, & Landgravio Hassiæ Darmstadiano. p. 370. Declarante Cæsare, Se obsequentes & quietos cives protecturum, pag. 376. & in his, Judæos quoque, *ibid.* furiosiores fiunt, seditiosi. pag. 371. Qui mox improbè eos exagitant; & ad fugam compellunt, à pag. 372. usque ad p. 377. Reliqua vide de his, infrà, V. *Judæi.* Qui verò Francofurtensis Seditionis illius prçcipui fuerint auctores, Vide suprà V. *Fettmilchus.* & nominatim à pag. 378.

Fridericus IV. Comes Palatinus, Elector: moritur. pag. 109.

Friderici V. Comitis Palatini, nuptiæ, in Anglia, cum Elisabeta Stuarta. pag. 262. & 263. Earum pompa. p. 263. & 264. & 265.

G.

Gabriel Bathor. Vide suprà, *Bathorius*, Gabr.

Gabor Bethlen. Vide suprà, *Bethlenius* Gabor.

Gallia, Ligeris exundatione vastata. p. 17. per totum. & p. 18. à med. & infrà rursus. pag. 20. ferè per totum. Seditionibus agitari incipit, in caussa Ancræi Marchionis: sed adhuc clementiùs, pag. 359. Alia quædam motuum illorum origo, ex Aulæ fœminis. p. 360. & 361. quarum ad querelas scinduntur animi Procerum: & aulâ dilabuntur. pag. 361. etiam Bullionius Dux *ibid.* ad fin. alii quoque aliorsum, complures. pag. 362. maximéque Cæsar Vindocinensis. pag. 362. qui è custodia eru-

eruperat. pag. 361. Condæi principis varia tunc fortuna, & oberratio. p. 362. & 363. Vindocinensis autem suammet provinciam proterebat. p. 363. Hi Principum motus, moderatione Reginæ Matris, & Ducis Guisii comitate, componi incipiunt. pag. 364. ac 365. idque, in mutuas utrimque conditiones pag. 365. & 366. quibus annuerunt omnes, præter Cæsarem Vindocinensem, à compositione tunc aversum, pag. 365. & 366. bis. idq;, dolore captivitatis proximæ, in memoria residentis. pag. 367. Hujc adhærebat Marchio Bonivetus. pag. 367. Sed utrumque Ludovici regis inopinus superventus, & Brisacus, Mareschallus, ad obsequiū adigunt. pag. 307. & p. 368.

Genua urbs, pag. 272. Ad eam maritima tempestas, serò anni, gravissima, diuturna, perquam damnosa. pag. 272. & 273. Quomodo demum sedata. pag. 273. fin. & 274. princ.

Geusii mercatores, Cubo-Samam, Japoniæ monarcham, incendunt ad porrò sæviendū adversùs Christianos. pag. 343. & pag. 344.

Giezyus (Andreas) à Gabriele Bathore missus Byzantium; legantem se, dolosè spoliat Principatu: se substitutô. p. 192. & 193. Cuj tamē Bathor cedere, pro viribus repugnat: armis arma repellendo, pag. 193.

Gnesnæ, urbis Polonicæ, vastissimum incendium: & undénam exortum. pag. 282. & pag. 284. ubi de tribus factionibus Polo-

nici militis seditiosi. pag. 284.
Gramaticum decet, Quædam & nescire. pag. 92. & 93.

H.

Hala Suevica, Correspondentium consilia cudit: & adurget. pag. 110.
Hejducci, ferociter in Transsylvanos Saxonas bacchantur, sub Gabriele Bathorio. p. 304. & 305. Ab his Hermanstadium urbs occupata, omni libidine furoréque opprimitur. pag. 304. & 305.
Henricorum trium fatum, in Gallia. pag. 191.
Henricus IV. rex Galliæ, duella severissimè vetat. pag. 67. Societatis JESU Missionem instaurat Constantinopoli. pag. 67. De Missione verò, hanc prægressâ, & aliquousque interruptâ, vide p. 75. med. Ejus opem armatam invocantibus Correspondentibus, quid Henr. rex responderit. 122. & 123. Interficitur. pag. 111. & 116.
Henrici IV. cædis narratio, altiùs repetita. à pag. 123. usque ad p. 148. Henrici IV. genus, parentes, ac primæ vitæ synopsis, pag 123. & 124. Ejus postremorum temporum expeditio illa bellica. p. 125. & 129. & 130. Quænam mens fuerit expeditionis illius. 130. & 131. contrà sentientibus aliorum complurium suspicionibus, & conjecturis. pag. 131. & 132. Ejus multiplex acies, & exercitus. pag. 149. & pag. 150. longè major autem in destinatione ipsius. pag. 150. & 151. & quônam fine, ac scopô. pag. 151. & quo demum exitu. p. 152.

Digitized by Google

Henricus IV. in expeditionem extremam antequā abeat, conjugi Medicææ vices administrationis relinquit. pag. 126. sed certîs conditionibus, & consultoribus, præscriptîs. p. 126. med. Unde Reginæ desiderium oritur, Inaugurationis, & Coronationis publicæ. p. 126. & 127. Cui Rex, perinvitus, ac tamen, annuit. p. 127. Quocirca, ad Sollemnitatem illam, apparatus magni fiunt. pag. 127. eique pompæ Rex ipse quoque interesse statuerat. p. 128. Sed ejus machinas ac præludia priùs lustraturus, in publicum curru prodit. p. 128. confessoribus in rheda Proceribus aliquot. & quibúsnam? *Ibid.* Rex ipse tamen subsistit interim: ac metu non vacuus. pag. 129.

Henricus IV. videtur Inferis spiritibus invisus; & eorum insidiîs impetitus fuisse. pag. 132. & quam ob caussam? *ibid.* & pag. 134. Spectrum ei visum fuit mala comminatum, in venatione. pag. 132. & pag. 133. Et verò, aliâs quoque vitæ illius homines etiam complures, & diversæ sortis, insidias tetenderunt: ut, Petrus Barrierius, pag. 134. Joannes Castellus. *ibid.* ad fin. Joannes Islæus, corrupti vir cerebri. pag. 135. & pag. 136. Gallicana quoque fœmina. pag. 136. Formidinum, violentæ tandem mortis subeundæ ab Henrico IV. Rege; caussæ aliquot, & præsagia, ostentáque, eas incutientia. paginîs 136. & 137. & 138. Inscensiones quoque rheda-

Hugo Tyrænius, Comes *Hibernus*. pag. 25. & 26. & 27. Vide & infrà, *Tirænius*.

Hypotypôsis. trium Captivorum, Principum; in conspectu Regis, & Comitiorum. pag. 171. & 172. & 173. Bathorii (Gabrielis) & Nagii, equestri cursu concertantium: Nagiô ebriô, & hinc occisô. pag. 216. & 217. & pag. 218.

I.

Jacobus I. rex Angliæ, in Matrem extinctam Pius. à pag. 464. usque ad fin.

Jacobus Arminius, Bataviæ turbator: moritur. pag. 69. & 76.

Japonum tyrannus, à Calvinianis institori bus instigatur, adversùs Catholicos. pag. 343. & 344 caussam multis cruciatuû, pro Christo toleratorum, & mortis, ex ea suggestione, multiplicans, & continuans. pag. 344.

S. Ignatius de Loyola: BEATI titulô insignitus. pag. 4. & 5. & 6. De eo, Virorum Insignium Judicia, & Præconia. pag. 5. & 6. De Anno, & Die obitûs ejus. pag. 69. & 70. Ejus Sepulcrum. pag. 70. & peristases sepulturæ. p. 70. Sepulcrum ejus Musicâ cœlesti honoratur. pag. 71. ac stellularum micantium clarô phænómenô. *Ibid.*

S. Ignatii effigies, à Cæsare Cardinali Baronio primô omnium appensa, supra Sepulcrum ejus. p. 72. & 73. Ab eodem piè invocatus ipse. pag. 73. A Paulo V. Pontif. BEATIS adnumeratur publicè. p. 73. & 74.

S. Ignatii, per orbem, claritas, ab Invidis incessitur. pag. 96. & cur

ſtruit, p. 47. in quo & unà cum Muſſardo perit. pag. 48. Quânam ſpe ſalutis. *ibid.* fin. & p. 49. princip. & fin. & p. 50. Eadem Hiſtoria, in compendium Metrô redacta. p. 51. & 52.

Joſephus Scaliger. p. 69. Præconia, quibus hic ab ei benevolis extollitur. p. 82. & 83. Quem, è diverſo, pars contraria multùm vituperat. p. 83. Quænam, de patre ſuo, ipſe ſcribat Joſephus Scaliger. pag. 83. ut & de matre ſuâ. *ibid.*

Joſephi Scaligeri patria, fratres, ſoror. Educatio in téneris: religio, ac deinde perverſio. pag. 84. Ejuſdem opiniones heterodoxæ. p. 84. fin. & 85. Ejus omnium generum Eruditio. p. 85. Morbus ejus ſupremus: ac mors. p. 86. Elogium epitaphicum, à Leydenſis Academiæ Profeſſoribus ei tributum. pag. 89. Quónam tempore, & quantô ſtudiô, Joſephus Scaliger, linguam Græcam, ligatam æquè, ſolutámque, perdidicerit. p. 89. Fuit Linguarum complurium intelligens. pag. 91. Quàm interim Modeſtum ſeſe præbuerit. *ibid.* & ſeq. paginâ. Imò verò potiùs, quàm ſcurriliter dicacem, in alios. p. 92. De Majorum illius Nobilitate, quanta fuerit, à diverſis diverſè, habitâ. p. 93. &c.

Judæi Francofurtenſes, Tutelæ ſuî promiſſum à Cæſare Matthia accipiunt. pag. 370. fin. ideò inviſi Civibus ſeditioſis effecti ſunt. pag. 371. Exagitationis, & ejectionis eorum, præſagium fit, bos ipſorum

Lega-

Legatio Hollandorum ad Turcam Achmeten. pag. 200. *Persarum regis*, ad eundem Turcam, opulenta. pag. 200. & 201. Cui intérvenit defectio Nasuffi Bassæ, peropportuna Persis. pag. 201.

Legatio Gabrielis Bathorii, ad Matthiam Imperatorem. pag. 297. ejúsque munera donáq; magnifica. pag. 298. & 299.

Legatio Turcarum Imperatoris, ad Reges ac regulos Africæ, contra Christianos. pag. 322. sed à Christianis feliciter intercepta. pag. 324. & 325. & 326.

Legatorum, apud barbaros præsertim Reges, subinde difficilis est conditio functionis suæ. pag. 208. & superiùs quoque. pag. 202. & inferiùs pluribus, à pag. 230. usque ad 233. *inclus.* ubi de Persico ad Turcam legato, malè remuneratò. pag. 231. Sicut & de Chiausio Turcico, legatum Persicum comitatò; & à Persa propterea crudeliter tractatò. p. 271. & fusiùs, p. 453. ferè totâ.

Leonardus Koppius, Deo sacrati Parthenónis impius abactor, in Saxonia. pag. 451. Abductarum ab eo Nomina, & Cognomina. pag. 453.

Leopoldus, Archidux Austriæ, severus Justitiæ custos, & exactor. pag. 338. In cæde præsertim injustâ vindicandâ. pag. 338. & 339.

Ludovicus XIII. Galliæ rex, declaratus Majorennis; regni suscipit habenas. p. 360.

Lytrum captivi rediměndi, nimiò plus intensum, exactori perit. à pag. 318. usque ad 321. *inclus.*

M. *Maho-*

M.

Mahometismus Persarum, & Turcarum, distincti. pag. 81.
Maria Medicæa, Regis mariti absentis sustinere vices jussa. p. 116. sed admodum limitatè. *ibidem.* unde Cupiditas eam subit Publicæ Coronationis. pag. 126. & pag. 127. Ad quam, assensu Regis extortô, dies certus designatur. pag. 127. & obitur. *ibid.*
Maria Stuarta, regina Scotiæ, honorata à filio post mortem suam. pag. 465. qui Monimentum ei erexit: & condidit epitaphium. pag. 465. ad fin. & 467. totâ. Dotes ac laudes quędam illius Reginæ, aliæ. pag. 468.
Reliqua, de *Maria Stuarta*, vide totâ *Appendice* anni 1614. à p. 1. usq; ad p. 303. *inclus.*
Matthias, Archidux Austriæ: coronatur Ungariæ Rex. pag. 66. Rex fit Bohemiæ. p. 165. Ad ejus, cum Anna Austriacâ, nuptias, splendidè multa præparantur. pag. 165.
Mauritanorum regũ dissidia armata. p. 102. Prętigiis inter se Sathanicis decertant. pag. 197. & 198. & 199. Eorum nomina Abdalas, & Sidanes. pag. 198.
Maurorum gens, ex Hispaniis ejecta. pag. 103. miserabili fortunâ conflictantur. *ibid.* quippe, variè insuper sparsi, & mortui. *ibid.* & pag. 104. Ubi Cluveri, super illa ejectione, cavillis occurritur. p. 104. & p. 105.
Moldaviam, Turcarum Imperator Achmetes invadit: ac subigit. pag. 197.
Montis-ferratense bellum. à pag.

à pag. 405. & deinceps. Montis-ferrati regio, descripta. *ibid.* & 406. Urbium, & oppidorum, dives. pag. 406. Illius belli fons; & origo: Principum, super ejus possessione, contentio. pag. 406. à med. & pag. seq. ubi mentio stirpis Palæologorum, ac Mantuæ Ducum. pag. 406. & 407. mentio quoque Gonzagarum. pag. 407. mentio item offensæ, quam indè ceperunt Duces Sabaudiæ, contra Mantuanos. p. 407. Renovata porrò Contentio illa, inter Ferdinandũ Gonzagam, & Carolum Emmanuelem, Sabaudiæ Ducem; magìs magìsq; exarsit. p. 408. &, quânam litis origine. p. 409 ubi de Margarita Palæologâ. *ibid.* med. & de Caroli V. Cæs. celeri decisione litis, Sabaudo improbatâ. p. 409. & 410. Allobrogum Ducis, in Montem Ferratum, cruenta irruptio. p. 410. quâ invicẽ Mantuæ Ducem irritat. *ibid.* à med. ad irruptionem in Sabaudos, vix clementiorem. *ibid.* Mantuani Ducis causam Montis-ferratensem, tuẽdam suscipit Rex Hispanus. pag. 410. post med.

Moscorum Czar, seu Magnus Dux, Swiskius, & cum eo duo fratres ejus, capti bellô, pag. 108. sistuntur Poloniæ regi, in Comitiis Varsaviensibus, pag. 170. à quo misericordi affectu, & benignè, tractantur. à p. 170. fin. usque ad 173. inclusivè. Hi Captivi, à Polonis postea dimissi ad suos, cum pacto & conditione, pag. 183. fin. & 184.

& 184. irrita reddiderunt omnia; nullâ tamen suâ, sed aliorum, culpâ. pag. 184. Indè, agitur de Moscorum illius temporis, in deligendis Czaribus, inconstantiâ, pag. 196. ubi de tribus simul, aut quatuor, Imperii Candidatis. pag. 196. Hujus porrò Inconstantiæ caussâ expostulantem, Polonorum Legatum, inhumanissimè Mosci abigunt. pag. 196. & 197. Post quæ, rursus agitur, de Moscorum illius temporis volubilitate, in deligendis Imperii sui Candidatis: iisdémque rursus in ordinem redigendis. pag. 220. & 221. & 223. *inclus.* ubi & de eorum Pseudo-Demetrio. pag. 221. Mosci, ductore Michaële Fedrowiziô, Lithuaniâ incursant. pag. 283. Quónam tempore Mosci Religionem Christianam depravare sint orsi. pag. 227. ante fin.

Moscua, urbs. pag. 212.

Mulierculæ apostatrices, è cœnobiis, eruditulæ subinde videri, credíq;, volunt. p. 158. quarum unam magnificè Universitas Ingolstadiana irridet. *ibid.* med. & fin. Alia, in ejuratione monasticæ disciplinæ, ac præfecturæ, summam præ se fert pietatem. p. 159. post med.

Mussardi (Valeriani) tragœdia, à pag. 40. usque ad pag. 54. Mussardus Aruntium interficit. pag. 41. fin. & 42. Eo de crimine accusatus, citatur ad tribunal. p. 42. Sed non paret. pag. 43. Arce firmâ se claudit, & suam, pag. 43. ex qua se contra regios obsidentes defendit. pag. 43. & 44. Idem, adver-

Digitized by Google

adversùs Sacerdotis, & matris amiculæ suæ, salutaria monita obstinatum se gerit. pag. 44. & 45. De modo, quo seipsos Mussardus, & concubina, pariter interfecerunt; agitur pag. 53. & pag. 54. *Reliqua*, vide suprà, V. *Joanna Presta.*

Mullhemium oppidum; Rheno Coloniæque vicinum. paginâ 416. Quânam occasione, mentéque, primùm condi cœperit. &, A quibus? pag. 416. Ejus structuræ continuatio, causam querelarum quotidianâ movet Coloniensibus. pag. 416. fin. & 417. Cæsari verò, stimulû, mandandi demolitionem ejus, Rescriptis assiduis, & obfirmatis. pag. 427. Vi tandem admotâ, exscinditur. pag. 426. & pag. 427.

N.

Nagius (Andreas) seditionum in Ungaria, & Transsylvania, auctor. pag. 193. & 194. Item, pag. 213. & 214. Fuit is Transsylvanus. pag. 213. inhiâsse creditus, totius Transsylvaniæ possessioni, ad se rapiendæ. pag. 114. A Bathoræis tamen copiis, clade plusquam unâ, perculsus. *ibid.* Cujus etiam milites, comprehensos & captos, Bathor (*Gabriel*) crudeliter tractat. p. 214. post med. & p. 215. ad initium. Indè Nagio metus; & consilium, placandi sibi Bathorii. p. 215. Quod sentiens Bathor; ad se subdolè pellicit Nagium. pag. 216. Venientem autem, & epulis indulgenter habitum; prolicit ad equitationem. *ibid.* ab hac, temulen-

mulentum ad mortem adigit. pag. 216. & 217. & 218.

Nigritæ populi: qui? pag. 21.

Nuptiæ. Friderici V. Comitis Palatini, cum filia regis Angliæ. p. 262. usque ad p. 265. *incluſ*. Earum nuptiarum pompa. p. 263. Dos. p. 264. & 265. Nuptiæ Wolfgangi Wilhelmi, Ducis Neoburgici; cum filia Ducis Bavariæ Wilhelmi. pag. 265. Earum Nuptiarum, in ſacris, Ritus. p. 266.

O.

Opitulationes, ad invocationem Divorum, ſuprà naturam præſtitæ; non impunè irridentur. pag. 99. & 100. & 101.

Ormus, inſula. Vide, *Armuzia*.

P.

Palatina Electrix, Frid. V. uxor. pag. 329. prægnans honoratur, à diverſis Urbibus ſplendidè. pag. 329. & 330. & 331. & 336. Ejus proles numeroſa, cum nominibus quæque ſuis, & annîs natalitiis. pag. 331. & 332. Aliquorum ipſius liberûm, vitæ mortisque caſus. pag. 332. & 333. & 335. Carolus Ludov: Elector. p. 333. ad fin. Palatinæ partus. p. 461. in prole primâ improſper. p. 462. & 464.

Parentes defunctos gratè proſequendi, *Modi* aliquot referuntur. pag. 464. & 467.

Paſſavicus (ſic dictus) *miles*, Pragam Minorem diripiens. pag. 162. anſa fit heterodoxis, ſęviendi in Catholicos. pag. 163. & 164. & quidem in Religioſos quoque. pag. 164.

Paulus V. Pontif. p. 11. & 12. Ejus genus, ac pa-

ac patria. pag. 11. Electio ad Pontificatum: & Coronatio quo die? p. 12. Quædam Pontificis ejus gesta. *ibid.* & p. 13. Diversis honoratur Legationibus. pag. 13.

Pax inter Cimbros & Gothos, cogente tandem pestilitate expressa. p. 267. Quasnam utrimq; in Conditiones? p. 267.

Pecuniæ ignara gens, & contemptrix. p. 315.

Petroscii, latrones Bohemici: sylvestria loca passim insidentes. p. 416. & sæva, fædáq; multa, adversùs prætereuntes agere soliti. pag. 416. & pag. 417. Cujusdam eorum obscœna immanitas, in prægnantem edita. pag. 417. per totum. qui tamen idem, fœminam aliam & humaniter, & castè, dimittit; ob piæ cantionis suavitatē. pag. 417. fin. & pag. 418. & 419. & 420. & 421. narratione fusiore.

Petrus Busæus, Petri Canisii cognatus. pag. 446. & cujusdam Operis ejus exornator laboriosus. *pag. ead.*

Petrus Canisius. cujas. & quantus eruditione piâ vir? pag. 445. Auctor est Operis, quod inscribitur, *Summa* Doctrinæ Christianæ. p. 445. Vide infrà V. *Summa* &c. Lectione Operis istius, Canisiani, Princeps Neoburgicus pertrahitur ad Ecclesiam orthodoxā. pag. 446. & 447. eámque ob caussam maledicitur Canisio, à Trianacte Aquilonari. pag. 447. simùlq;, occasione Canisii, Societati Jesu universæ. *ibid.* & p. 448. Ab eodem Trianacte, ut Canis exagitatur Canisius. pag. 447. & 448. quod tamen

V.

FINIS INDICIS.

Mendum *pag.* 113. *v.* 2.

producit. *lege* corripit.

EFFI-

EFFIGIES,

Suis singulæ paginis assignatæ.



Digitized by Google